Opera omnia / ... studio et opera M. Jacobi Thevart ... digesta, denuo in lucem edita: cum praefatione Theodori Tronchin.

Contributors

Baillou, Guillaume de, 1538-1616
Moreau, René, 1587-1656
Thévart, Jacques, 1600-1674?
Tronchin, Théodore, 1709-1781

Publication/Creation

Genevae : Apud fratres De Tournes, 1762.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/wb4tksdt

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

11952/c

Faivre

GULIELMI BALLONII

OPERA OMNIA MEDICA.

In quatuor Tomos divisa.

TOMUS TERTIUS.

GULIELMI

BALLONII

OPERA OMNIA MEDICA.

In quatuor Tomos divisa.

TOMUS TERTIUS

GULIELMI BALLONII MEDICI PARISIENSIS CELEBERRIMI, OPERA OMNIA

In quatuor Tomos divisa,

STUDIO ET OPERA

M. JACOBI THEVART,

Medici Parisiensis, digesta, denuo in lucem edita:

CUM PRÆFATIONE

THEODORI TRONCHIN,

In Academia Genevensi Medicinæ Professoris.

TOMUS TERTIUS.

GENEVÆ,

Apud FRATRES DE TOURNES.

M. DCC. LXII.

GULIELMI

BALLONII

MEDICI PARISIENSIS

CELEBERRIMI,

OPERA OMNIA

In quatuor Tomos divisa,

STUDIO ET OPERA

M. JACOBI THEVART,

Medici Parisiensis, digesta, dono in lucem edita:

CUM PRÆFATIONE

THEODORI TRONCHIN,

In Academia Genevensi Medicinæ Professoris.

TOMUS TERTIUS.

GENEVÆ,

Apud FRATRES DE TOURNES.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL

GULIELMI BALLONII MEDICI PARISIENSIS CELEBERRIMI, CONSILIORUM MEDICINALIUM LIBER SECUNDUS,

A JACOBO THEVART, Facultatis Medicæ Pariſ. Doctore, digeſtus ac in lucem primum editus.

Prodit longè emendatiſſimus, & Græcarum dictionum paſſim occurrentium interpretationibus inſigniter auctus.

In quibus pleraque continentur quæ ad morborum cognitionem, eorum curationem propoſitis exemplis ad rem accommodatis, & obſcuriorum Hippocratis, & Galeni, & veterum ſcriptorum intelligentiam pertinebunt.

Sunt qui ea, quæ a junioribus conſcripta elaborataque ſunt, rejicere ac pro nihilo habere ſolent, quod nil novum & inſolens, & de quo non aliquid à priſcis ſcriptum ſit, literis mandari poſſe, ac dari aſſeverent. Non propterea tamen ab opere ceſſandum eſt, ac ſcriptor, quicumque ſit, merita laude fraudandus. Debent enim animadvertere ejuſdem intelligentiæ eſſe, judicare de aliorum ſcriptis, dum ea uſurpamus & in uſum convertimus, ac res ipſas conſcribere.

Ex Hippocratis libro primo de Diæta.

APPROBATIO.

HÆc Conſilia Medica Magiſtri GULIELMI DE BAILLOU, Medici Pariſienſis celeberrimi, olim Decani & antiquioris ſcholæ magiſtri, erudita oratione & ſummo judicio conſcripta, fruantur ea qua diutius caruere luce, futura rei Medicæ & ornamento & uſui maximo. Datum VII. Calend. Junii. Anno MDCXXXIV.

FR. BOVIONNIER, facultatis Medicæ Pariſienſis Decanus.

RENATUS MOREAU, Doctor Medicus Pariſienſis, & Profeſſor Regius.

GUIDO PATIN, Doctor Medicus Pariſienſis.

NOBI-

NOBILISSIMO ET CONSULTISSIMO

VIRO, DOMINO

D. GLAUDIO DARGOUGES

Montis S. Quirini Antiſtiti,

JACOBUS THEVART

Doctor Medicus Pariſienſis,

S. D.

ALTERUM hunc *Medicinalium Conſiliorum* librum a magno illo BALLONIO avunculo olim conditum, ac per me jam primum editum, nonnulliſque ad obſcuriores locos annotationibus auctum, tuæ Reverentiæ dum nuncupo, *Antiſtes Reverendiſſime*, non adeo mihi ipſe blandior, ut exiſtimem quæ abs tua comitate confertim in me promanant beneficia, tam levi munuſculo poſſe compenſari, quin potius novi, ejuſque eximii beneficii loco duxero ſi patiaris illuſtre nomen tuum hujus operis in fronte exaratum legi, unde nimirum & operi ipſi auctoritas acceſſura eſt haud mediocris, mihi vero ſingularis quædam lætitia probatæ abs te ejus, quam in eo ipſe poſui, operæ. Quis enim eſt cujus aut approbationem exoptare, aut pertimeſcere cenſuram magis debeam quàm ejus qui nobilitate generis quidem, ſed propria virtute magis conſpicuus raram illam omnigenæ doctrinæ, cum eximia probitate, dignitatis auctoritatiſve cum prudentia ac ſolertia non vulgari præ ſe fert miſturam? qui qua eſt in improbos quoslibet aut ignavos ſeveritate, pari humanitate ſtudioſos quoſvis amplecti ſolet? quem ipſe

non ſemel animadverti, quanquam gravioribus curis iis maxime quæ ad Eccleſiaſticam, cui magno ſuo merito præfectus eſt, diſciplinam pertinent fere occupatur, mearum tamen rerum, quantumvis tenues illæ ſint, ſollicitum. Nunquam fecero ſi propriis te coloribus omnibus velim adumbrare, ſi recenſere ſingula quæ te cæteros inter Præſules ſpectabilem reddunt virtutum ſublimiorum ornamenta, de quibus me amplius dicere videri poteſt inane ac ſuperfluum, quum ipſa ex operibus quæ facis ſatis ac ſuper innoteſcant. Superba enim illa montis S. Quirini baſilica per te non ita pridem funditus inſtaurata, an non egregiam tuam, ne dicam regiam, magnificentiam loquitur apertiſſime? Renovatus in ea Dei Optimi Maximi cultus nonne pietatem declarat? quid reſtituta ibidem priſtinæ ſuæ integritati religioſa diſciplina niſi authoritatem & zelum? tot vero pauperum tuis opibus ſublevatæ familiæ quid aliud niſi charitatem inſignem tuam vocibus in cœlum uſque exaudiendis, prædicant? Sileo itaque, tótque præclaras virtutes tuas tacitus ipſe veneror, unum abs tua humanitate contendens, ut hunc quem tibi offero librum perpetuæ meæ erga te obſervantiæ monimentum eſſe patiaris. Vale, Lutetiæ Pariſiorum, Idibus Auguſti MDCXXXV.

BENEVOLO

BENEVOLO LECTORI

GUL. DE BAILLOU

Doctor Medicus Parisiensis.

Εὐπράττειν.

ILLI semper mihi videntur præclare de se, deque Republica mereri, qui, cuicumque arti nomen dederint, & ad eam nobilitandam amplificandamque animum adjunxerint, ita se gerunt, ut omni cura, & cogitatione, novum aliquid quærant, quo utilitati suæ serviant, & artis illius dignitatem tueantur. Quod tametsi citra valetudinis imbecillitatem, & nonnullum rei domesticæ casum jacturamque fieri nequeat, non debet tamen vir industrius recusare, quo minus vel in extremo spiritu, & aliqua rei familiaris offensione, si quam opem hominibus suis afferre potest, id omnino experiatur. Numquam enim quantum proficiat efficiatve, eum pœnitebit. Nam quum præclarum augustumque sit pro Republica mortem oppetere, nedum privata commoda deferere, non tam hic genus mortis quæritur, quam causa ejus obeundæ, & voluntas, eaque honesto aliquo facinore, ac conatu erecta ac incitata: Quum is solum non dicatur pro Republica animam profundere, qui medio agmine, incitante tuba, conserendisque sirenus manibus id faciat, sed qui aliquo præstanti consilio, aut munere, aut umbratili aliqua exercitatione in eam curam incubuerit quæ uberes ex susceptis laboribus fructus Reipublicæ demetet & afferet. Ut qui in cura & meditatione obeundi muneris e vita excesserit, si modo in Rempublicam id commodorum retulerit, idem facere credatur, ac qui Hannibalem jam ariete Urbis muros quatientem ac evertentem fugarit, & superarit. Sed qui domi simul militiæque aliquid potest, tanto tum ceteris, tum se ipso præstantior est, quanto duæ virtutes uni, non numero, sed pondere antecellunt. Atque de Republica meretur Medicus, ut ceteri artifices omittantur qui ad nos hic nihil attinent, quicumque non erit iis contentus quæ sedula antiquitas quæsiverit, coluerit, ac limarit, sed suo marte aliquid vigil sedulusque inquiret quod ad priscam illam sedulitatem adjungat. Sic quum sibi ingenio consilioque auctore dignitatem reperierit, tum præclaro eo conatu ceteros ad id aut imitandum, aut perficiundum incitaverit, ut non tam affecto, quam perfecto opere contenti quiescant. Maxime vero id erit gloriosum, si susceptæ hujus laboris fructus ad Rempublicam

emanabit. Quo magis non me abſtineo quin hoc loco eos verbo appellem perſequarque, qui ſatis eſſe factum putant, ſi modo ſibi ſtuduerint, ſibi cecinerint, ac vixerint: nihilo enim a brutis differunt, quorum cura in eo omnis poſita eſt ut ventri obediatur, immo tota in eo vertitur ac conſiſtit. Atque eo modo, quo diximus, aliquis publicam utilitatem amplectetur, ſuam vero non deſerere dicetur, ſi primum magnam aliquam ex ſuſtinendis laboribus ceperit voluptatem, & aſſidua cura ac animi contentione ita tempus fefellerit, punctumque temporis puncto nexuerit, ut more eorum qui Endymionis ſomnum dormiverunt, omnes temporum moleſtias & tædia facile vincat & demulceat. Quæ enim uberior amœnitas, majoreſque deliciæ, quam applicando defigendoque in rem aliquam animo explere omnem exſpectationem diuturni deſiderii, & omnes rerum acerbitates jucundo fructu otioque temperare? Quod facilius in iis uſu venit quorum nulla umquam futura eſt ſatietas. An non is de ſe mereatur, qui ita in negotio verſatur, ut ejus honeſtus juſtuſque labor honore, præmio atque ſplendore decoretur? Suſcepti vero in rebus non ludicris labores, ſi quis modo inde fructus redeat, honore debito auctorem ſuum non fraudabunt, quin eum contra omnem invidiæ tempeſtatem aſſerent, atque vindicabunt. Quod iis non contingit qui exiguo lucello mercedulaque contenti, aut rudi adumbrataque rerum cognitione, mollitie diffluentes veluti vieti, diſſoluti, exanimes ac emeriti, ſegni otio, tamquam pigritiæ ſuæ fomento, voluptuantur. Jam vero locus poſtulat, ut de inſtituto aliquid dicam: tametſi ſcriptio ipſa ſatis indicet quo animo id fiat, vel ut is qui ſcribit privatis ſuis ſtudiis conſulat, vel ut aliqua ratione aut paucorum, aut multorum deſiderium levet, vel omnino id, quantulum & qualecumque ſit, ad Rempublicam referre videatur. Verum ne cui admirationi ſit hoc novum & inſolens ſcribendi genus, ſi de noſtro conſilio aliquid explicem, non erit forte a recto alienum. Hippocrates Hiſtorias morborum particulares ſcripſit, quod & nos hic facimus, ſed more noſtro ſcripta non illuſtravit. Et non Thucydidis more multa idiotis cognita propoſuit vulgoque trita, ſed rara & ſcitu digna curſim perſtrinxit, quibus aut certum periculum ægris crearetur, aut aliqua ſalutis ſpes illuceret. Commentarium in ſua ſcripta edere indignum erat tanto viro, indignum ejus otio. Credo enim illum tanti temporum ſingula momenta æſtimaſſe, ut ne minimam horulæ uſuram ſibi ipſe ad res ludicras conceſſerit. Quo magis a Commentario in ſuas hiſtorias ſe abſtinuit, quod forte hoc ridiculum ac puerile exſtitiſſet. Facile eſt enim aliquid narrando confingere, ut conficto quoque in id commento aliquid novum afferre videamur quo auram popularem aucupemur. Quæ quidem materies & ſeges eſt uberrima iis qui ſeſe jactare, & ingenioli, argutiarumque nonnullarum ſpecimen aliquod oſtentare volunt: necnon ſi miro quodam modo iis placet Aſiaticum ſcribendi genus, fuſum, profluens, dilatatum ac diſſolutum. Hoc enim eſt proxime Poetas imitari, qui rebus confingendis, & pro libito excogitandis longe uberius fuſiuſque dixerunt, quam ſi vera, & ad fidem hiſtoriæ referenda conſcripſiſſent. Veritas enim ipſa per ſe lucet, & intra quaſdam orationis anguſtias coërcita, ipſa tamen ſeſe ſuo nutu ſuſtinet ac tuetur. Quæ vero finguntur, ea orationis divitiis funduntur, manant & aperiuntur, nec in legentium animos prius influunt,

quam

quam ornatu oratorio, fuco, vestituque insigniantur: quum res fictæ, mutæ, inopesque dicendi sui fastidio quemque a se abalienent. At πολολογία facile mendacium falsitatemque prætexit & subornat: quod nudæ, apertæ, contractæ ac conclusæ orationi non contingit. At Hippocrates concise res descripsit, fateor, sed peculiari in dictum quodque commento opus non fuit, quum ex reliquis libris explicatio eruatur. Præterea quodammodo prævidebat (ut quisque sapiens conscius sui, nisi φιλαυτία animum perstrinxerit, rerum suarum judex est & arbiter) tanti sua scripta posteris futura, ut omnes gregatim, pro sua quisque parte, de illis illustrandis decorandisque laborarent. At de nobis longe aliter est: nam ea virgula non obtigit, ut credamus fore aliquos qui fœtus inchoatos abortivosque ingenii nostri perficiant: nec item nobis licet esse tam politis. Præterea non est ea nostri ingenii ubertas ut plura parturiat, nec ut a posteris id exspectemus quod divini Hippocratis vis pæne suo jure vindicavit. Idem in libris Hippocratis evenit ac si quis in locupletem domum venerit, non explicata veste, nec auro, nec argento, nec tabulis propalam collocatis, sed magnificis omnibus rebus constructis ac reconditis. Sic in Hippocratis libris divitias & ornamenta illius ingenii solum per quædam involucra & integumenta perspicere licet. Maxime vero id nos impulit ut stilum nostrum acueremus, ne scribendi inertia & negligentia obtunderetur ac hebesceret. Prout enim in quoque eximia quædam est indoles ad aliquid agendum, ita eam ipsam explicabit: ut si quando educamur ex domestica exercitatione & umbratili medium in agmen, in pulverem & in palæstram, non modo ingenii, sed & orationis vis aliqua appareat. Ad id maxime sumus incitati Ciceronis hortatu, qui stilum præstantissimum dicendi magistrum & effectorem esse ait: Nam si subitam & fortuitam orationem commentatio & cogitatio vincit, hanc ipsam profecto assidua & diligens scriptura superabit. Et qui a scribendi consuetudine ad dicendum venit, hanc affert facultatem ut si etiam subito dicat, tamen ea quæ dicuntur, similia scriptorum esse videantur, atque etiam si in dicendo scriptum afferat aliquid, reliqua similis oratio consequetur. Ut concitato navigio quum remiges inhibuerunt, retinet tamen ipsa navis motum & cursum suum intermisso impetu pulsuque remorum: Sic in oratione perpetua quum scripta deficiunt, parem tamen retinet oratio ipsa cursum, scriptorum similitudine & vi concitata. *At eloquentia non pelluntur morbi, nec etiam absurditate verborum & balbutie, sed honestum est omnes artifices, in suo quemque genere, propriis & aptis ad id quod tractant, verbis uti: ut tametsi quis arte & ingenio valeat, culpa tamen non careat, si lingua hæsitet, si voce sit absonus, si vultu motuque corporis vastus atque agrestis. Quæ nos dum cogitaremus, in id studium nos conjecimus e quo tandem aliquando & fructum maximum capi posse putavimus, & linguæ volubilitatem, verborum flumen, rerum & sententiarum ubertatem manare. Non quod placeat eorum Medicorum industria qui tales ex Commentario evadunt, ut si liber deficiat, jejuni & tenues appareant, si suppetat, uberes & abundantes, sed quum ipsi thesauro memoriæ credere multa oporteat, quæ in apertum usumque aliquando depromamus & efferamus, non alienum quoque erit in libris penu promptuariumque*

riumque aliquod ſtatuere, e quo brevi tempore id compendio comparemus, quod in ampliſſimo voluminum pelago non niſi longo tempore colligere ac venari poſſimus. Hic noſter labor, ſi quando in quorumdam manus devenerit, eos obſecro obteſtorque ut æqui conſulant: atque exiſtiment nos id propoſiti inſtitutique habere, ut in ſeria magis ſtudia operam noſtram convertamus, ſi quando (cum DEO) pax conſtans otium majus eſt confirmatura. Quis enim in tantis bellorum tumultibus, animorum ardoribus, & fluctibus, tranquillo pacatoque animo eſſe poſſit, quum vix Rempublicam regnumque totum reſpirare poſſe omnes intelligant, niſi armis aut conditione poſitis, aut defatigatione abjectis, aut victoria detractis? Si tamen Deus tantum impetum repreſſerit, flammam faceſque ipſas ardentes extinxerit, diſſidenteſque animos compoſuerit, firmoque neceſſitudinis vinculo copulaverit, dum Muſis ſua ſerenitas & tranquillitas reddita fuerit, optimo freti otio majora præſtantioraque præſtituros nos pollicemur.

Vale. Octavo Calend. Novemb. 1575.

AD

AD LECTOREM

ADMONITIO.

QUI libris conſcribundis operam dare ſolent, dum varium hominum judicium ſubeunt, ſæpe nonnihil de fama detrahi ſentiunt, ſæpe falſo accerſuntur. Et ſic quum varie quoſdam diſtrahi videant, malunt otio & litteris abuti, quum Græce Latineque docti aliquid præclari edere poſſint, quam nomine periclitando, ingenii ſpecimen efferre. Alii in eo laborant quidem, ſed timidiuſcule, dum opinionum fluctus pertimeſcunt. Aliis plus animi ſupereſſe videmus, ſed quum præfractius audaciuſque aliquid moliuntur, ſupercilium nimis attollunt, & nimio ſui amore capti, dum inani gloriolæ vento feruntur, ridendi ſui occaſionem porrigunt. At placet magis eorum conſilium, qui timidius aliquid aggredi ſolent. Qui enim libros ſcribit, ſive parietum anguſtiis coërcitos, ſive aliquando proditurus, in eadem eſt ipſe fortuna, in qua is qui ſpectante Roſcio in ſcenam prodierit, ſiquidem non raro hominum fallit exſpectationem. Quamquam audendum aliquid, præſertim quum non mordeantur ſcripta ab iis quibus natura meliorem quamdam indolem indulſit. Quis porro dubitat non eſſe propenſionem ad maledicendum homini ignorantiam & infantiam, quam paucorum coctam prudentiam? Quid porro ignaro, cum homine polito & ſapiente? Nec enim licet cum eo juſto ſacramento contendere. Niſi nos magis movet quorumdam improbitas & vafrities, qui ambitioſe triſtes in alienis æſtimandis omnia ſuſpendunt, quo plus aliis ſapere videantur. Edant tandem aliquid ut ambitioni ſuæ faciant ſatis: nam dum eorum æſtimabitur labor, habebunt forte quo ſuam triſtitiam leniant. Alii minime boni ſunt, qui in alieno opere nimium ingenioſi eſſe ſolent. Nec mirum, hercle, ſi ut quiſque eſt indocliſſimus & inſulſiſſimus, ita doctiſſimum quemque & politiſſimum petit, & traducit. Id vero majore licentia fit, quoniam nulla lex conſtituta eſt in eos qui falſo aliis contradicunt: maxime quum id de inſtituto fit, ut intelligentiores (ſic enim dicam) plebeiis & mulierculis eſſe videantur. At lex ſanxit ut qui falſo aliquem accuſarit, eadem pœna multaretur, qua & reus, ſi de crimine convictus eſſet: cur non eodem fine contendere licet cum iis qui aliorum ſcripta iniquius traducunt. Quod ſi ſtatuta lex eſſet, hominum improborum temeritas ſic cohiberetur, & doctis via ad agendum audendumque ſecurior aperiretur. Lutetiæ Pariſiorum Idib. Novembris 1575.

CANDIDO LECTORI

GUL. DE BAILLOU,

Doctor Medicus Parisiensis

S. D.

PRIMUS Apollineis vestigia pressit in arvis
Hippocrates, fama dignus, & imperio:
Quæque impressa, suo vult tamquam jure, gregatim
Posteritas, tanto sub Duce, gnava sequi.
Multa quidem furtim tacitis abstrusit in antris,
Quæque diu rapto, delituere, Duce,
Sed tandem emergunt, & amœna luce fruuntur,
Eruta gnavorum scripta labore Patrum.
Unus & ignavas virtute coercuit artes,
Ingenium multis sic acuebat iners.
Nam centena licet quis lustra peregerit, annis
Argolico similis Nestori sitque Seni:
Non tamen implicitas evolvet pollice gazas,
Nec vigil Hippocratis mente capesset opes.
Quicquid de medica dici queat, arte, disertum,
Quicquid & arcani texit Apollo sinu:
Illud in angusto divinus cortice pressit,
Ut nihil Hippocrati Delius addat inops.
Ne mireris in hoc insumi auctore labores,
Olim qui tantum ferre solebat opis,
Et qui nunc tanta morborum adstante caterva,
Longe hominum fatum, morte peremptus, agit.
Immo dira necis pepulisset spicula longe,
Contraque se lævas asseruisset aves,
Immortalis agens vitam, nisi lucis & Aulæ,
In numero optasset, sat satur, esse Deum.
Artis & ut tantæ laudem mereare perennem,
Otia, re quavis deteriora, fuge.
Quid datur excesso Divorum numine majus,
Publica quam incolumis constet ut arte salus?
Evolve Hippocratem, nec eorum temne labores
Qui scripta in primum restituere decus.
„ Nam laus scriptori debetur ut ampla parenti,
„ Nec cultor laudis debet habere minus.
„ Seminibus jactis qui dat vigil incrementum,
„ Non minus est quam qui sparserit illa solo.

PRÆ-

PRÆSTANTISSIMO VIRO

D. THOMÆ DOVER

M. D. ANGLO PRACTICO FELICISSIMO

ANTONIUS M. ZANINI

M. D. VERONENSIS.

Εὐδαιμονίζειν (*b*).

DERFRICTÆ frontis ſumus, Dover clariſſime, & perditæ audaciæ, qui te hominem occupatiſſimum, noſtriſque plagis remotum, totoque penitus orbe diviſum, inſperatò conveniamus. Gulielmus Ballonius, Medicus Pariſienſis præſtantiſſimus, iterum ex Gallia redux, Italis oris appulſus, tertii ſui voluminis ſarcina onuſtus, littoribus veſtris prætervectus, in tuos ruit amplexus; & longi itineris tædia emenſus, in tuo ſinu conquieſcit. Ambo tibi tot, ac tantis negotiis diſtento inverecundi obſtrepimus, ſub Galli cantum oſtia pulſamus, & moleſti ſumus invitè, dum obſequioſi eſſe intempeſtivè laboramus. Nondum te de facie novimus, ſed novimus interiorem, Dover, quantus eſt: latere non potes in animis omnium, in oculis; Anglia tua amplius te ferre non poteſt, extra effundit tantæ molis ſuperpondium. Quotquot Venetiis Proceres, populares tui, diverſantur (quibus decumbentibus medicinam facio per tot annorum curſus, muneribus, ac honoribus auctus) Thomam Dover ad unguem factum hominem uſque ad aſtra extollunt, & inſignes curationes tuas in Æſculapii templo cedro dignas appenſis tabulis apponunt; tuaſque diuturnas peregrinationes in Americanis plagis, in juvenili, ac provectiori ætate, exantlatas commemorant; Batavis ſuum Gulielmum Piſonem in ſcenam proferre καὶ θεατρίζειν non amplius laborantibus. Quoties lectiſſima Matrona de antiquiſſima Cæciliorum proſapia, quam honoris cauſa nomino, per decem, & amplius annos Veneta ſtatione delectata, tempeſtate proximè elapſa, malo meo fato, & inauſpicatò Londinum regreſſa, quoties nobiliſſimæ Virginis Corbet gentilis, & contribulis ſuæ, a faucibus Orci opera tua ereptæ, lætabunda hiſto-

 riam

(*b*) Foliciter agere.

riam familiariter inter colloquia mihi recenſebat, quam poſtea in tuis anglicis glorioſis opuſculis ſumma fide recenſuiſti! Annum decimum ſextum vix prætergreſſa, atrociſſimo confluentium variolarum genere percuſſa, extremis diebus animam agebat, Nobiliſſimis, ac peritiſſimis Medicis Richardo Mead, & Hans Sloane in deſperationem actis: miſellæ Virgini exanimi, cadaveroſa facie, brevi ſpiritu, exſtantibus oculis, jam, jam animam exhalanti, ipſe accerſitus feliciſſima audacia manum injicis, venam ſecas reclamantibus Medicis, adſtantibus timore perculſis, & attonitis. Quid fit? Naturæ vis egerminat ex celebrato præſidio, recolligitur, reviviſcit, reſtituitur. O Deorum portenta! O inauditæ praxeos exempla! Innumera apud Veſtrates proſtant ſimilia quæ de te celebrantur, quæ facilius poſſunt fatigare verecundiam tuam, quam nos ſatiare. In tanta tui nominis claritate, Amiciſſime Dover, favore famæ ſic adſpirante, beatiſſimis in diem ſucceſſibus, quid de te audio, quis incredibilis rumor aures pepulit meas? Ingentes Viros ingentia vitia comitantur. *Lædit te quædam mala fabula, qua tibi fertur valle ſub alarum trux habitare Caper. Hunc metuunt omnes.* Non eſt, quod Catulliano carmine te perſtringam, aut ſale nigro tantum Virum conſpergam. *Hydrargyros* bellua eſt, quam in ſinu foves, quam tueris, non ſub valle alarum, ſed in conſpicuo, & in conſpectu Solis. *Hydrargyros*, trux Caper eſt, qui tam malè olet tuorum Amicorum naribus, quem omnes naſutiores perditè execrantur, & Diris omnibus proſequuntur. Ut ſine diverticulis loquar, & nulla verborum circuitione, per omnium Medicorum theatra, per gynecæa, per tonſtrinas, in triviis, & angiportis rumor raucus factus eſt, te in Medicum Mercurialem evaſiſſe, ac tibi funerato lacrymis parentant. Quæ te libido cepit, quæ tam excors hallucinatio, ut Hippocraticæ ſapientiæ transfuga, in aliena caſtra tranſires! Tam nigros Soles tibi ſurrexiſſe, ut pollicitus meliora à te ipſo degenerares! Semiputata tibi frondoſa vitis in ulmo eſt, quæ adeo gloriosè in amplos racemos luxuriaſſet. Diſpeream, niſi Medicorum Romulus exſtitiſſes, ut veſtri Sydenhamii exegeſim uſurpem. Mediusfidius, ſi veteri ſemita imperturbatus perrexiſſes, & ambulaſſes, Londinenſium tuorum Muſa Antonius audiviſſes, erectis undique ſimulacris in monumentum ære perennius duraturis. Ah vereor præclaram tui nominis jacturam; niſi ſtatim reſipueris, & vivum argentum, quod te coquit, immenſa lactis colluvione, ex Dioſcoridis præcepto, perdomueris. Tua undique exæſtuant præcordia introſumpti metalli veneficiis; Argentum vivum eſſe univerſale naturæ alexiterium pronuntias; & quæ ſemel ſancviſti, pro aris, & focis tueris. Utinam valerem te totum Oceano abluere, & ab omni hermetica ſcabie, & peſtilentia liberare. Si poſſem, Democrito veratrum exhiberem, & Anglis ſuis reſtituerem. Totum cerebrum veluti mercuriali pneumatoſi inflatum diſrumpitur; tamquam Δαιμονιζόμενος (c) jactaris, & torqueris: hanc praxim ubique crepas, & pediſſequos tuos edoces. Ubique & in omnibus morbis tamquam præceps

(c) A Dæmone jactatus.

ceps auriga circumraperis, veluti invento *panaces* nomine gloriabundus: quamvis interdum, ut cautus videaris, mensuram & modum, & circumstantias præscribas. *Ad Populum phaleras.* Ego te intus, & in cute novi. Apage istos versipelles Ulyssas, Πανταχοῦ, Ἡμαρ, καὶ νύκτωρ (*d*) Mercurium meditaris. Ego te familiariter compello, Amabilis Dover, non fucatis verbis, sesamo, aut papavere sparsis. Tu solus sapis? Tu solus ad mensam Solis accumbis? Hucusque Nos, & tot egregie cordati homines stipites fuerunt? Solus Dover tanta audacia præditus! An tibi præluxit quidam Medicorum filius, amicus, & conterraneus meus, omnium mercurialium primipilus, Hermeticorum Ἄωτος (*e*), hæmophoborum Pater, totius Metallothecæ promus, & condus, *multus Homo, & infacetus*, & in hac palæstra per quadraginta annos μεμαραμένος (*f*)? Certè hoc multi subolfecimus. Utinam, Amicissime Dover, solus desiperes. Omnes desipimus, & insanimus: latè, & ubique gentium diffunditur pestifera lues, & exitialis contagio grassatur, non coercenda nisi lege Cornelia, quæ puniat inscitiam capitalem. Qui infectus est, ex Antiphane alios inficit, coinquinatus alios coinquinat, mortis stipendiarius, ex Luciano θανάτου μισοφόρος, hominiperdus ἀνθρωπόλεθρος, ut interpretando jocatur Theodorus Gaza. Quod magis mireris, novi quotidie asseclæ, & recocti Pharmacopolæ, & superciliosi senes à propriis castris deficiunt, & mercuriali militiæ se se adscribunt. *Dii prohibete minas; Dii talem avertite casum; & placidi servate pios.* Hanc pestiferam labem fovet, ac nutrit, fraudulenta nummorum corrasio, & loculorum deprædatio. *Mercurium lucripetam* in votis habent, & Glutto ex Persio exsorbent salivam mercurialem. Quotidie miseræ plebi illudunt, & credulis divitibus pessimè os oblinunt, & miserabiliter imponunt. Ineunte vere vertentis anni, accersebar ad consilium prænobilis fœminæ *Tragurienſis*, quæ Venetias commeavit ex Illyricis littoribus: jam diu acerbissimis capitis doloribus conflictabatur: in ipsa accessione pene animam agebat, furibundis insultibus lacessita; per totam domum veluti insana cursitabat; ventrem percutiebat, caput ad parietem allidebat; Deos, & homines compellabat; atria ejulatu, & planctu fœminarum personabant. Prædita erat gracili corporis habitu, calidissimo, & siccissimo temperamento; ut venaticum canem æmularetur: præ macie ossa reliqua erant: ex multo tempore salsamentis immodicè usa, mulier merobibula, prægrandes halecas ex Narentinis aquis impendio nimis deglutiverat ex genio suæ Gentis; & ex Salonæ lacu muria conditas delicias & cupedias suas esitaverat; garum ex liquefactis piscium intestinis enormiter depasta. Non satis videbatur vis morbi, nisi etiam accederet Medici familiaris phrenitica protervia, & palmaris inscitia: magna pompa, & meditata oratione μετὰ τῆς φαντασίας (*g*), in multiplici adstantium corona, tamquam ex adytis, & cortina, crudi mercurii deglutitionem per quadraginta dies con-

 stantissimè

(*d*) Ubique & noctu & interdiu.
(*e*) Flos.
(*f*) Dementatus.
(*g*) Secundum phantasiam.

ſtantiſſimè imperat; cætera præſidia vulgaris methodi contemnit, exſibilat, ac cum joco, ac cachinnis explodit; univerſis hianti ore intentis, loquaciſſimi hominis garrulitate deceptis. Contra Ego ſedato animo regerebam, nihil pejus poſſe excogitari, nihil horridius, quam velle nobilem mulierem mercuriali pharmaco exagitare. Converſus verò ad Medicum, ſive potius circumforaneum, in hemicyclo ſupinè decumbentem, in os placidè diſputabam: Quæ te intemperiæ agunt, ut infelix Seplaſiarius nobis propines *Argenti lethalia pondera vivi*? μελαγχολᾶς ἄνθρωπε, nigra bile laboras, o Homo, qui nihil differis de morbi natura; anteactam diætam non meditaris; flocci facis, atque pili temperamentum, habitum, & marcidam diatheſin non ſpecularis? Nonne formidas raptum ad ſuperiora, ex ſublimi natura metalli ad ardua tendentis? Ἑρμῆς πέταται, θεὸς ὢν, καὶ πτέρυγας ἔχει (*h*): plurimum nos debere Mythologis affirmat Palæſatus περὶ ἀπίστων, *de Incredibilibus*: ſed incredibilia non ſunt quæ quotidie occurrunt de *mentecaptis* immedicabiliter apprehenſis, peſtiferi liquoris poculis exſaturatis. Obrepit in mentem vapor qui illam obnubilat: metallica anathymiaſis animam proſternit, ac peſſundat. Ineluibiliter tincturam accipit cerebrum, ſtygio ſtagmate madefactum, & maligno algore perfrigeratum. *Ineſt in Homine amarum, dulce, & ſalſum, & acidum, & alia infinita*: ἐπὶ ἀνθρώπῳ πικρὸν, γλυκὺ, καὶ ἁλμυρὸν, ὀξὺ, καὶ τὰ ἄλλα μύρια. Si ſalibus exoticis, quibus ſcaturiunt melancholici, aſſocietur mercurialis hoſpes, quæ lanienæ, quæ carnificinæ non excitabuntur, ex elaborato, & deſpumante in maligniſſimum elixirem maligniſſimo opificio? Voraciſſimum metallum abſorbet, & ſibi devincit ſalina corpora, proteiformis naturæ exiſtens, & repentina ferocia debacchatur. Quis ψυχαγωγεῖ (*i*)? Quis νεκροαγωγεῖ (*k*)? Quis νεκροπομπὸς (*l*)? Qui in literis, & Philologia conſenuerunt, interrogent Lucianum. Diſce docendus adhuc, quid cenſet amiculus, ſecretam ganniens in aurem: Nuntium remitte, quiſquis es, tam horrendis auxiliis: Infeſtiſſimo Dæmoni Atlantis nepoti maledicito; ſub tutiori militia depugnabis, ſub qua uſque ad canos depugnaſti. Dediſcendæ ſunt veteres deceptiones, idola & deliciæ tuæ; illa inaudita pocula ſunt in profundo defodienda, & in viſceribus terræ æternum tumulanda: Naturæ humanæ θρεπτικεῖ τὰ θρεπτικὰ (*m*) conveniunt: Vegetativis principiis vegetativa ſymbolica ſunt. *A principio uſque ad finem eadem eſt, & ſimilis humana natura, & natura ex terra naſcentium.* ἢν δὲ βούληται ἐννοεῖν τὰ ῥηθέντα ἀμφὶ τούτων, ἐξ ἀρχῆς ἐς τέλος, εὑρήσει πᾶσαν τὴν παραπλησίαν φύσιν τῶν τε ἐκ τῆς γῆς φυομένων καὶ τῶν ἐξ ἀνθρώπων. *Hippocrates de Nat. Puer.* 35. Quædam ἀεροσάρκωσις (*n*), & veluti aerea ſtatuminatio, noſtri corporis fabreſactio eſt. Subtiliſſima fibrarum textura, & araneorum ſyſtaſis à Divino opifice, arcano ſubtegmine, delineatio eſt. Οὐτιδανὸς

(*h*) Mercurius volitat, Deus exiſtens & alas habet.
(*i*) Animas ducit?
(*k*) Mortuos ducit & in agmen cogit?
(*l*) Morborum ſignifer.
(*m*) Vegetativæ vegetativa.
(*n*) Caro aerea.

δανὸς (o) homo eſt, & bulla ex Varrone ἀεροειδής (p). Non æneis, aut ex fodinis deſumptis remediis indigemus, ut in aërem diſpergamur. Ablegatis tam inimicis præſidiis, quæ tam tenui machinæ inſidias ſtruunt, & precario corpori exitium parant, firmiori, & tutiori pede inſiſtendum. Quod ad me attinet, tale remediorum genus devoveo, fugio, execror. Mihi cornea fibra eſt, totus obrigeſco. *Sit ratio, ſit natura, ſit cæcus furor, odiſſe placet.* Ita eſt, κέκρικα, decrevi, o Amice, immobilis hæreo; *quam ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes.* Non velim hoc facere, etiam ſi omnes homines mihi auctores eſſent; verum vobis audacia pro ſcientia eſt. Cui indignationi Cratonis, & amariſſimo felli, *Abrotanoſque graves, & triſtia centauræa* de meo penu communico. Quas Deorum iras eſſe dicemus, aut quo Deorum iſta monſtrante? Quæ tam veſana medullas flamma extorret; ut ſic nobis illudas, & addas oleum camino, & ætnam ſubjicias æſtuantibus viſceribus? Hac ſcena peracta, cum ſatis peroraſſem, meditabundus ſella exurgo, dictatorio ſupercilio leges, & normas totius medicationis, & victus regimen præſcribo. Aſſentientibus omnibus, nobilis mulier egelidis lavacris ter in die immergitur, parcè per vices ſanguis extrahitur, ſorbitionibus hordeaceis exſaturatur, fit perpetua ὑδροπινοῦσα (q). Tam nulla medicamentorum pompa, tam nullis auxiliis; quadraginta dierum ſpatio, morbus deferveſcit, dolores ſufflaminantur, ipſa confovetur, connutritur, ſanitati reſtituitur, in patriam redit incolumis, tholo donaria ſuſpendit, Diis Mercurialibus execratis, ac veluti antiquis exuviis depoſitis, nova ſerpens reſtauratur.

O Sæculum inſipiens, ærumnoſum, & volubilitati obnoxium! Non tuam defleo, Amiciſſime Dover, ſed humani generis defleo inconſtantiam. Nati Vertumnis iniquis, deſtruimus, ædificamus, mutamus quadrata rotundis, iidem non iidem, nova adſtruimus, vetera demolimur; *tamquam nubes ſine aqua, quæ circumferuntur a ventis*, ὡς νεφέλαι ἄυδροι ὑπὸ ἀνέμων περιφερόμεναι, bianimes δίψυχοι, in noſtris viis inconſtantes, & teſſera volubiliores. Audiamus veteres Patres in ſuis decretis ſapienter imperturbabiles, & erubeſcamus. Intereſt humani generis ut Michael Doringius, ad inſtar omnium, perpetuus Sennerti confabulator Ὀαριστής, exaudiatur: pluris eſt unus homo, quam civitas: attollit vocem, exclamat, & ingenuè ut apud Tullium Ennius ſeipſum expectorat. *In uſu metallicorum ſum paulò timidior, veſtigia enim me terrent.*

Sed hæc omnia tamquam fimbriæ, & laciniæ, ac veluti ἐπείσοδος. A diverticulo repetatur fabula.

Talia de te ferebantur, præſtantiſſime Vir, ſed pænè adhuc incertis vocibus. Alii famam ἄνοον θεὰν (r) clamitabant, & magnis Viris magna affingi. Alii meras impoſturas, & ſycophantias eſſe calumniabantur. Quod ſi vociferatio ἀψευδὴς (s), & ſincera, ſperabantur tamen ἀποκατάστασις in integrum

(o) Nullus.
(p) Aëri ſimilis.
(q) Aquæ potatrix.
(r) Deam inſanam.
(s) Falli neſcia.

integrum restitutio ac veluti παλινωδία (*t*); *universis verticordiæ Veneris* sacra facientibus, de tam insigni viro revocando diesque noctesque sollicitis.

In tanta animorum fluctuatione, exiit libellus cum detestanda epigraphe *encomium Argenti vivi*; cui nuperrimè proluserat *Mercurius triumphator*. Statim, tamquam a Pane percussus, collapsus sum; totus inhorrui, notusque medullas intravit calor, & tremefacta per ossa cucurrit. Mihi mascula bilis intumuit. Extemplo arrepto calamo sine missione digladiaturus in arenam descende ἄσπονδος (*u*) & inexpugnabilis athleta. *Qualis aut Molossus, aut fulvus Lacon, amica vis Pastoribus*! Paucorum dierum spatio, & mihi parvis tabulis ἀντικρὺ (*x*) egerminavit *libellus* quem nondum arida pumice expolivi, aut ad umbilicum perduxi. Otium non suppetiit ut fætum delingerem. Totus spirans minarum & cædis in Mercuriales circumforaneos, & tonsores, in arma prorumpo ἐκπνέων ἀπειλῆς, καὶ φόνου (*y*). In prima acie tamquam gnavus, & industrius Imperator πρόμαχος (*z*) fortissimas phalanges oppono, *creperi certamina Martis* intrepidè subiturus; nempe compilavi *centuriam* eorum, qui Venetiis, Patavii, Veronæ atque finitimis locis epoto mercurio, atque ut festivè ὀνοματοποιεῖ (*a*) Sanctes Ardoynus *de Venenis*, *Mercuriopotæ* miserabiliter interierunt, aut ad incitas sunt redacti. Quoniam efficacissimè movent exempla, & doctos, & indoctos erudiunt, & nulla ratio valida est contra experimenta adeoque quis oblucetur? Juratissimi suam fidem oppignorant, & annulo syngraphas obsignant, quotquot ferales, & tragicos casus nobis renuntiarunt. Sua nomina apponunt, inviolabili jurejurando se se obstringunt. Plerique ex Sacrorum ordine de quorum fide dubitare nefas esset ἀπαραλόγιστοι (*b*), testes oculati, tam fallere quam falli nescii. Quod enim gloriosum dolos & technas comminisci? Quæ præmia ex Pindaro ἐξαπατῶντι (*c*) sunt constituta? Quid Δεδαιλμένοι Μύθοι (*d*) nobis proficiunt? Non uno modo Mercurius Homicida est. Nonnulli tamquam præsentaneo veneno propinato ταχυθάνατοι velociter ad Orcum descendebant, & stolidæ credulitatis pœnas luerunt. Alii lenta febre, & languoribus peresi, tandem oppetierunt. Plerique aquam intercutem, & malum habitum contraxere, labefactato hepatis tono, & partium naturalium œconomia, inaurata statua pallidiores. Multi perpetua morosi, & occultissima fatuitate apprehensi non amplius resurrexerunt. Quidam sanguinem expuentes deleti sunt; est enim Mercurius sua natura αἱμαγωγὸς (*e*), & purpuream animam evomentes, nigro gregi compulsi sunt, infinita exemplorum segete. Multis temeritas & capitalis audacia impunè cessit; & non statim periisse pro triumpho fuit. Deleteriam vim effugisse deleterii metalli, fastis adscribitur, innoxio, & præcipiti lapsu per intestina

(*t*) Recantatio.
(*u*) Irreconciliabilis.
(*x*) E contrario.
(*y*) Spirans minarum & cædis.
(*z*) Propugnator.
(*a*) Nomen fingit.
(*b*) Infallaces.
(*c*) Deceptori.
(*d*) Fabulæ versutè fabrefactæ.
(*e*) Sanguinem eliciens, provocans.

inteſtina deturbato mortifero pondere. Sed heù, heù latent ad tempus inimicorum inſidiæ. Notat Fernelius abſconditam in metallo narcoſim, & ſtupefactivam ſoporis malignitatem. Animadverterunt nonnulli anaphrodiſiacos effectos fuiſſe, elumbes, & Veneris impotentes, infœcundos, enervato tono partium ſpermaticarum, & reſoluta energia prolifica; ſalacitatis expertes, evirati, inertes, genitalia funerata deplorant, per quæ quondam Achilles fuerunt. Mercurialia Veneri bellum indixerunt: tolerabilis labes, niſi pejora prænuntiaret. Repit calamitas, & tota nervoſitas prætangitur: univerſalis paraplegia in procinctu eſt. Solus *Dover*, Mercuriomaniacus, Venerem proritare tamquam filtro, & bulbis, & erucis, *faſcinum* generosè erigere, ac ἰθυφαλλέειν (*f*) profitetur obſcœnum telum, & perſanctè dejerat, & nobis palpum obtrudit. Quod mireris, mercuriale opuſculum mellitis globulis ſigillat triumphans. *Mercurius excitat ad Venerem.* Quibus verbis quis non recalcitret? Cum ſis tam ſeverus homo ὑπέρχρονος (*g*), ævo tam grandis, Dover Amiciſſime, adhuc aphrodiſia ſpiras & doces! immiſcibilia miſcentur. *Non poſſum riſum continere, conſpiciens pellem leoninam ſuperinductam Crocoto*: ἐκ οἷος δὲ εἰμὶ ἀποσοβῆσαι τῶν γέλων, ὁρῶν λεοντῆν κροκωτῷ ἐπικειμένην. (*Ariſtoph. in Ranis.*) Grandævus γυναικοφίλος (*h*) gratias perdeſpuit. Ætas devexa, & in Venerem petulca deſpectui & irriſui eſt. Sed hæc veluti in tranſcurſu, & ἀπροσδόκητα (*i*). Inſtituto itinere pergamus.

Graveolentem animam obſervat Severinus Eugalenus, veluti in conclamato ſcorbuto, & ructus fœtidos, argillaceos, tamquam ex maris lacuna exhalantes. Plurimi ex longo tempore mortiferis poculis epotis, horrendum pallorem, & plumbiformem induunt ex Sennerto, *Meropes* multa mortis in effigie, fatum in aſpectu præſeferentes ut Joſue Barnes Oxonienſis Homericiſſimus, primus omnium ſagaciſſimè Μέροπες (*k*), nuper interpretatur.

Quidam epoto metallo neſcientes rapiuntur, adſtantibus nihil tale cogitantibus. Dum hæc ſcriberem, quidam Fullo in noſtra vicinia Fabri ferrarii filius, robuſtus juvenis, atrociſſimis ventris doloribus diſtorquetur, maxima fide πληροφορηθεὶς (*l*) ſe noxio liquido argento proluit: & ſtatim conſopitus ad inſtar narcotici medicamenti, intrà horam æternum obdormiſcit; gentiles, & cognati ſceleſtum propinatorem furcillis proſequuntur. Et quoniam ex allato in oculis meis interitu, occaſio ſe ſe offert; lubet ex prægrandi ſyllabo præcitatæ centuriæ, quæ auxiliantibus Diis palam fiet, & in acta referetur, unum, & alterum exemplum ex præcipuis excerpere, & hiſtoricè delineare, revera τραγικώτατα (*m*), & digna Sophocleis cothurnis. Horreſco referens.

Nobiliſſima Matrona ex antiqua proſapia *Speilemberch* jam grandis na-

(*f*) Penem erigere.
(*g*) Decrepitus & ſupra ætatem.
(*h*) Mulierum amator.
(*i*) Abſurda.
(*k*) Meropes fatum in aſpectu præ ſe ferentes.
(*l*) Plenus perſuaſionis.
(*m*) Quæ maximè tragica ſunt.

tu, anno decurſo ex Goritia Venetias perrexit, pro deplorata gutta ſerena, ἀμαύρωσιν vocant, aliquod auxilium quæſitura; fortunatior, ſi ſuam cæcitatem fatorum iniquitati reliquiſſet. Poſt experientiſſimorum Medicorum vanos conatus, ſuadentium Empyricorum auſus intrepidè ſuſtinet, ſe ſe in fuſilis argenti calicem ἄφοβος (*n*) ingurgitat. Statim, veluti cicuta epota, ſomno ſe tradit. O Superi, qui nos amnes, qui nos ignes expiabunt? Recollecta, pſallere occipit, choreas ducere, æſtu percita inordinatè curſitare, ſpecie in cachinnos effuſæ, & momento collacrymantis. Quod adſtantibus horrendum terriculamentum fuit, occluſo ore fit ventriloqua ἐγγαστρίμυθος, metallica ſævitie occultiſſimè in ſpiritus ſe ſe effundente. Poſtera die alvus malignè ſolvitur, levi animi deliquio corripitur. Tertia die, ac quarta in eodem propoſito perſeverans, cum eamdem execrandam potionem deglutiiſſet, paulatim, & ſenſim vires oblangueſcere, ſenſus obſcurari, ac miſceri rationem; malignis ſpaſmis diſtorqueri. Septima die latenter moritur; monſtroſa vultus fœditate, revulſis extrà orbitam oculis, totoque corpore ad inſtar aridiſſimi ſceleti contracto, ac nigrore obſito, tamquam ſi quatuor menſes a furca pependiſſet; *Vomica liquoris æterni intrà præcordia depaſcente.*

Quod ſequitur, ergaſtulis, equuleis, ac crucibus dignum.

Quidam nobiliſſimus Eques, ſupra annum ſexageſimum, elapſo proximè Aprili, Diis genitus, parentibus, avis, ataviſque S. S. prognatus, ſellas curules, trabeas purpureas, chlamydas Μυριοστὸς (*o*) ipſe enumerans, ex multorum annorum curſu, conqueritur de renum, & veſicæ vitiis. Atrociſſimos dolores ſubinde perpetitur, quibus ſedandis ſæpè ſæpius ſanguis è vena mittitur, remediis deleniſicis uſus, ἐυθίαιτος (*p*), reliquos dies tolerabiliter tranſigebat; ſed ad tempus redibat carnifex ille dolor, & mox ſolita admovebat tormenta. Tandem Generoſiſſimus Vir pertæſus, ac defatigatus tam crudeles amplius dolores perferre plurium Medicorum conſilio uſus, fuſilis metalli pateram abſorbet. Nullius noxæ particeps, fraudulenter delinitus, omnia ſibi proſpera auguratur: tertia, ac quarta die mortiferum poculum rurſus epotus, totus horrore concutitur: inſidioſiſſimus hoſtis ſe ſe in penetralia inſinuat, effætum corpus labaſcit, ſpaſmata corripiunt, tormina ventrem dilacerant, & tamquam ab affuſo atramento fruſtillatim incidunt: nugari, deſipere ac leviter contremiſcere: nigræ quinta die dejectiones apparent: ſexta die horridulus inter ſuorum amplexus animam exhalat veluti molli ſopore exſolutus. Vacillant ad hoc ſcelus exarandum litteræ. In conſpectu Solis, in ſinu ſuorum, in oculis omnium, neceſſariis ſpectantibus truculentum facinus peractum eſt. Non indigemus teſtibus, o Superi, o Cæli ſpectabile lumen, vos, vos in vocem erumpite. O Reges, o Principes, cur in maleficos ſicam non diſtringitis? Cur facinoroſos ſecuri non percutitis?

Sed hæc omnia tamquam ἐν παροδῷ (*q*) & in tranſitu. Opportunio-

ri

(*n*) Imperterrita.
(*o*) Milleſimas.
(*p*) Exactè vivens.
(*q*) Tranſcurſim.

ri tempore cum ſuis circumſtantiis centum *Paradeigmata* conſpicua fient, ſeveriſſimo judicio enucleabuntur, veluti ſub juſtiſſimis Nomothetis, uſque ad diviſionem animæ, & medullam reſecabuntur.

Ventum eſt ad Retiarios. Nempè altera *centuria* promulgabitur. *Centum nimirum Auctores*, veluti Myrmillones & Samnites in Saturnalibus gladiatores uſque ad internecionem, ἀλληλοφονίαν (r) digladiantes, cominus, & adverſis frontibus ſingulari certamine μονόμαχοι decertabunt. Omnes primi ſubſellii, & ex Claſſicorum proſapia, qui a Græcis, & Latinis temporibus ὁμοθυμαδὸν (s) uſque ad noſtra tempora, uno ore, inconcuſſi, pronuntiarunt Argentum vivum eſſe exitiale venenum, canis Cerberi ſpumam, ex trifauci ore emanantem, in Cocyto, & ſtygiis lacubus laticem effluentem ad perniciem humani generis.

Interea pro arrabone, pignore & fide totius ſummæ perſolvendæ, & quaſi ſpecimine, Plinius conterraneus meus, *pars ſolutionis*, in campum prodit: tamquam quæſitor Minos, urnam movet, & alta & quaſi præconia voce exclamat: *Argentum vivum, vomica liquoris æterni, venenum rerum omnium: Exeſt, ac perrumpit vaſa permanans tabe dira.* Lib. 33. 6. Suſpicatur Ardoynus Plinium, qui uno volumine Græciam, & Latium concluſit, hanc periocham excerpſiſſe ex Eraſiſtrato *de Theriacis, & Alexipharmacis*; quæ omnia injuria temporum perierunt. Tota poſteritas Plinio ſubſcribit, & veluti Senatus conſultum veneratur, & vivæ vocis oracula in omnium animis diſſeminat. Quis non contremiſcat? Quis audeat recalcitrare? Quis non pavidus concutiatur?

Dioſcorides inter Græcos tanti ponderis, Medicus vetuſtiſſimus, ἐπικλινθεὶς φακᾶς, διὰ τῆς ὄψεως φακοῦς, συνῶν Κλεοπάτρα, ἐπ' Ανθωνίου (t); facie lentiginoſus, inter ſeptica validiſſima reponit argentum vivum. *Cæterum hydrargyros epota habet vim pernicialem.* Υδράργυρος πεθεῖσα δύναμιν φθαρτικὴν ἔχει. lib. v. c. 110. Τῷ βάρει διαβιβρώσκουσα τὰ ἐντός. Suo enim pondere erodit interna. Remedio eſt lac copioſum, ſubinde epotum, & vomitionibus rejectum. Βοηθεῖται δὲ γάλακτι πολλῷ πινομένῳ, καὶ ἐξεμουμένῳ.

Fernelius acerrimus Mercurii expugnator, ore, dente, lingua, calamo, calcibus in metallum irruit, tonat, fulminat. Tanta rabie excæcatus, tantoque furore percitus ἐπιπομαίνεται (u), ut extra ſe ipſum rapiatur. Agyrtas omnes Mercuriales, & tonſores ad biremes, ad laqueos, ad ſecurim proclamat.

Joannes Baptiſta Montanus Veronenſis, Fracaſtorio coævus, Litteratorum ſplendidiſſimum ſydus, Medicorum alpha & omega, frequentiſſimè ex publico ſuggeſtu Patavii indignabundus exclamabat ad ſuos Auditores, undequaque gentium affatim affluentes, enarrante Cratone: SI SCIRETIS DOMINI, QUOT MORTUI SUNT EX USU MERCURII, MIRAREMINI. Gliſcebat enim in dies magis, ac magis, ſimiliter tunc

(r) Mutuam cædem.
(s) Unanimiter.
(t) Vocatus] lentiginoſus, ex lentigine ſuper faciem, vixit tempore Cleopatræ & Antonii.
(u) Maximè inſanit.

temporis peſtis mercurialis, urgentibus Fatis, quæ Montano vindice, ac tanto objurgatore indigebat.

Ne arbitreris, Amiciſſime Dover, Te cum ſolo Plinio, Dioſcoride, Fernelio, Montano, rem habiturum; Centum calami, centum ora, & centum linguæ propediem prodibunt, & robuſti carminis offas projicient, & centeno gutture perdeſpuent, & peſſundabunt tam peſtilentes magiſtros. *Cohors centiceps* χαλκοκοειςῆς æneis loricis munita in albo deſcripta in arenam jam jam eruptura. Adveniet juſtum tempus pugnæ; ſed nondum arceſſimus; ut ex Sidonio canes, etſi non latrant, hirriunt tamen.

In tanta Epiſtolæ brevitate, tecum non potis ſum digladiari; ſed tantum proludere, progymnaſmate quodam, & præexercitatione futuri conflictus. Promulſide quadam ex Petronio tecum jocamur, non exertis lacertis dimicamus.

Recantatis tam exitialis metalli encomiis, veluti ex longo ſomno experrectus ad meliorem frugem redibis. Redibunt circumpedes tui, fortaſſe ex hoc delirio, ab omnibus deriſi, & conſputi. Si deditionem paras, arma, & calamum projicio; ſi tempeſtivè reſipias, quæ dicta ſunt, indicta ſunto, quæ ſcripta ſunt, *Tardipedi Deo*, *infelicibus lignis uſtulanda*, ambabus manibus devoveamus. Potius ſacrificandum Mercurialibus Gratiis, ut Xenocratem Plato facere jubebat, & Mercurio Argicidæ, qui Canem Argum ſuſtulit, id eſt τὰ λυσώδη ἐνθυμήματα *furioſas cogitationes* ex Jo. Tzetze ad Heſiodum. Quo auxiliatore, tamquam cæleſti alexicaco, in tanta univerſali, & populari inſania ah quantum indigemus! O ſi mihi dextero Hercule Dii arrideant, & tibi παλινωδῷ (x) auxiliatrices manus porrexerint, quot aris anathemata, & ſoteria!

Libidinoſus immolabitur Caper,
Et Agna tempeſtatibus.

Sed nolo ſermonem meum longius evagari: Οὐ χάεις πολλοῖς ἔπεσιν ἀμφιπεριστρέφεται. *Charites* ex Homero *multiplicitate verborum non gaudent.* Per Hygeam, per Panacean, per Æſculapium, per Hippocratis Genium; neque enim habeo arctius vinculum, quo te obſtringam; *Hydrargyroſin* omnem tradas protervis in mare Creticum, portare ventis; illas pixidas mercuriales effringe, protere. Averruncis Diis ſuſpende cymbala, velatiſque comis novi propoſiti tenax, grandi auctoramento devinctus, totum te ipſum ejurabis. Libero Patri, & lætioribus Diis indulgendum, inter ſcyphos jocoſa, & ſeria miſceamus ſine ſupercilio veteris pocula Maſſici & Cæcuba exſiccemus, ſervata centum clavibus. Dolia, & ſerias veteris fuliginis teſtæ denigratas relinamus. Οἶνος ἀπεζεσμένος (y) ex Hippocrate unicum humanæ caducitatis ſolatium. Hæret animo quod Thomas Morus miſeris mortalibus ἀνθολογεῖ ἄδηλον (z) illud, auſteritatem Zenonis redolens, & laxamentum.

Δὸς

(x) Recantanti.
(y) Vinum fervefactum.
(z) Ex Anthologia Maximi Planudæ.

Δὸς μοὶ, ἐκ Γαῖας πεποιημένον ἀδὺ κύπελλον
Ἂς Γεγαὰς, ὑφ' ἃ κείσομαι ἀποφθείμενος (a).

Utinam huic ſodalitio intereſſet D. Jacobus Hay M. D. experientiſſimus ſenex Scoto-Britannus, ſympoſiaſtes meus egregius, & vetus conſodalis. Millies Venetiis tibi ſalutem propinavit plenis faucibus, dum ὁμόκαπνοι (b) rapiebamus occaſionem de die, & dulciter deſipiebamus in loco. Nunc verò Londini, ut audio, conſedit, ſenio confectus, & viribus deſtitutus, expectans non iniquo animo inexorabilem metam, & Fatorum arbitria. Sed heù, heù ἀδάκρυτον Πλουτία (c) non effugimus. Illum a me multum ſalvere, deprecor, & exoro.

Interea Ballonium, nuperrimè in tuam clientelam receptum, ama, fove, & Achaicis vocibus reſperſum, a me vero ſuo Latio reſtitutum, magis, & magis exoſculare. Si amabilitas noſtra placet, ſi tibi ambo accepti ſumus, in eodem contubernio conquieſcimus, & aſpectu tuo recreati, auram, & ſpiritum recipimus. Vale præſtantiſſime Dover, ut Populares tui valeant, quos opera tua valere facis. Ætatem Æſculapidum prætergrediaris firmus, & ſolidus, crudæ ſenectutis, & lentæ vivacitatis exemplum; Grande artis documentum, Medicus ſenex, Poſteritate futurus. Vale.

Venetiis X. Octobris MDCCXXXV.

(a) Ex terra genitus, ſub terram morte recondar,
Ergo lagena mihi terrea plena vini.

(b) Sub eodem fumo.

(c) Illachrymabilem Plutona.

GULIELMI BALLONII

MEDICI PARISIENSIS CELEBERRIMI, CONSILIORUM MEDICINALIUM

LIBER SECUNDUS.

HISTORIA PRIMA.

OANNES TASSINUS calidus temperie & ſiccus, veneri indulgens (ut ferebatur), vertigine oppreſſus, linguæque minime continens repente concidit: obmutuit. Paullo ante gravi metu perculſus fuerat. Fandi impotens quidem, alloquentibus annuebat: deſignabat locum dolentem ad dextras lateris dextri partes, qua ſeptum alluit. Frontem ac tempora contingenti, adurens flammeuſque calor percipiebatur. Paroxyſmo ſolutus intolerabili capitis dolore captum ſe narrabat. Ex intervallis exſiliebat, inſultabatque phreniticorum more, non convellebatur, deinde obtumeſcebat, & velut ſopore vigilanti occupatus delirioque jacebat: dein rurſum exſiliebat, indecore ſeſe componens, omniaque projiciens. Ad ſe rediit multis ultro citro tentatis. Dextrum latus dolere narrabat, & ſiniſtrum ante doluiſſe. Olim ſanguinem ore rejectaverat affatim. Venam ſecuimus. A ſecta vena repetit malum: cœpitque ſtata periodo reverti idque noctu. Reſtitutus tandem de reliquiis doloris in latere & capite querebatur, febre carebat, urinæ non illaudabiles. Niſi ſedula cuſtodia impeditus, horrenda feciſſet. Spiratio frequens, parva, non magna, rara, licet delirus: aliquando parum elato pectore ſpirabat, frequens & humile, ilia ducendo: Hypochondriacum aliquid congenitum erat: Pulmonicum quid putabant: aut a pure vaporem, aut tuberculum, aut convulſionem articulorum, pulmonis aut adhæſum; ſectio, uſtio, aut maturatio flagitabatur; omnia in ancipiti erant: Alii ephialtem, aut hypochondriacum ſuſpicabantur. Poſt magnam purgationem convaluit. Eruperant paullo ante ambuſtis ſimiles puſtulæ: an quia ſplenicus? ultimæ dejectiones albicabant: an quia abſceſſus ruptus eſt? Præter ſpem ſalus.

COM-

COMMENTARIUS.

ADmirabile aliquid atque ſtupendum hæc habuit hiſtoria, quod fere & invaſionis modus, & progreſſus, & eventus neſcio quid habuerit communem aliorum morborum ſortem ſuperans. Sanus erat, & integra fruens valetudine, niſi quod aliquando de latere dextro quereretur, aliquando de hypochondrio ſiniſtro: at id quod in utraque parte ſentiebatur, non credebatur tanti eſſe, ut propterea Medicorum advocato conſilio, ejus ratio & cura haberetur. In progreſſu & eventu non minimum quoque admirationis fuit. Hærebamus in eo ut cauſa quæreretur hujus mali, nec tantum hoc, ſed cur certa ſtataque periodo rediret. Quamquam non dubitamus nil in natura fieri, ſive ad valetudinem, ſive ad cibum & potum, ſive ad humores, ſive ad actiones muniaque naturæ pertineat, ſine periodo & certa circuitione. Immo dum loquitur Hippocrates de oculorum firmitate, quæ quum adeſt, longioris vitæ nota eſt, ſin minus, brevioris, vult impari anno hominem mori, ſi impari anno oculorum vis pereat. Et in eodem loco idem Hippocrates dierum imparitatem in magnis temporis & ætatis puerorum mutationibus obſervat. Eventus vero valde feſellit, quod mortis potius quam ullius melioris fati ſpes foret aliqua. Quod tam repente inſolens hoc malum invaſerit, id primus obſervat Hippocrates qui generaliter de omnibus morbis pronuntians ita ſcribit, οὐκ ἐυθέως αἱ νοῦσοι τοῖσιν ἀνθρώποισι προσγίνονται, ἀλλὰ κατὰ μικρὸν συλλεγόμενα, ἀθρόως ἐκφαίνονται, non derepente morbi hominibus accedunt, ſed quæ ſenſim collecta ſunt affatim magnoque inſultu ſeſe produnt ac proferunt. Nec enim tam ſubita eſt ad opprimendum generatio, quam ipſius adorſio & inſultus. Sed quum corpus jam ſemen morbi in ſe conceptum fovet & alit, minima etiam occaſione detegitur ac eluceſcit. Quod omnium apertiſſime Galenus explicat his verbis, *in comm. in* IV. τῶν ἐξίων (*a*): *Corpore noſtro ad morboſam diſpoſitionem parato, ita ut prope completa jam ſit, externum quippiam obveniens eam manifeſtat: nam vel febrem accendit, vel catarrhum proritat, vel capitis dolorem excitat. Deinde ex eo continenter ad morboſæ affectionis præparationem non ſine periculo languent.* Pluraque eo loci ea de re conſcripta ſunt, quibus demonſtratur quanta ſit vis cauſarum προκαταρκτικῶν (*b*) in morbis excitandis, non generandis: aliud enim eſt παροξύνεσθαι (*c*), aliud γενέσθαι (*d*). Cauſa externa morbum quidem, aut diſpoſitionem aliquam ſui generis excitat, ut inſolatio dolorem capitis a ſimplici intemperie, ſed ad excitandum, irritandumque aliquid confert: quod a me *in libro conſiliorum* pluribus dictum eſt ad evertendam eorum opinionem, qui cauſas procatarcticas in morbum diagnoſi pro nihilo ducendas putant. Duo hoc loco diſputare non erit præter rem, prius quum tantus calor fuerit in capite quomodo non

Dolores fugaces non ſunt negligendi.

Periodus in omnibus rebus.

Impari anno mors.

Quomodo oculorum firmitas diuturnioris vitæ ſit ſignum.

Par. 115. lib. 4. acutor.

Externa cauſſa ut morbum generet.

(*a*) Acutorum.
(*b*) Procatarcticarum.
(*c*) Exacerbari.
(*d*) Generari.

Calor summus in capite an cum febre.

non febricitarit? Et an tantus morbus sine febre esse potuerit? accedit & illud, quod ista additio in ægris, *sine febre erat*, ἀπύρετος ἦν, vel ἀπύρως, non temere ab Hippocrate ad rerum distinctionem usurpatur. Non potuisse esse sine febre ex eo contendere posset quis, primum quod omnis pæne morbus febris sit, quod nullus sine febre sit, quod nullus sine febre moriatur: sed hæc ἀδιορίστως (*e*) non sunt audienda. 1. Omnis morbus febris dicitur, quod nullus fere sit æque communis ac febris, & qui facilius occurrat, & quod fere omni morbo comitatum præbeat: quod Hippocrates distincte pronuntiat, *Communissimus morbus febrilis est, sive febris ipsa, & omnium morborum comes est, præsertim tamen ex inflammatione, & tensione abscessuum*: quod non abs re adjectum est, ut excludantur morbi aliquot frigidissimi, quorum febres comites non sunt. Id plenius Galenus explicavit his verbis: *Omnino in acutis morbis febres sunt continuæ: rari enim sunt ex ipsis quibus febres non adsunt continuæ ut apoplexia*, & *in 7. Aphor. lib. 1. febres continuæ sunt inseparabiles a morbis acutis*: quod bifariam audiendum, vel quod nullus sit morbus acutus, cui non annexa sit febris, vel quod quæ febres continuæ morbis acutis annectuntur, hæ simul & incipiunt, & desinunt cum morbo acuto: & id est ἀχωρίστως ἔχειν (*f*). Non placet prior explicatio, posterior probabilis est. 2 Quum nemo dicitur sine febre mori, id de febre marasmode audiendum est. Sed ad hæc omnia illud adduci potest, quod latissime patet. Ex morbis quidam sunt febres ipsæ, quidam febres comites habent, atque eæ comites febres aliquando nil habent ἀξιόλογον (*g*), ut dicatur æger febrire nec ne, nil intersit: aliquando sunt magni momenti: alias mites sunt admodum, aut saltem tales apparent, quum in recessu perniciem moliantur, 3 ut febres hæ quæ partis alicujus principis διαφθορὰν (*h*) sequuntur; ægri enim sine sensu, & nil tale cogitantibus Medicis moriuntur. Et hoc bonorum omnium auctor Hippocrates observat, qui dum loquitur de febre quæ vitium in utero & perniciem jam perfectam consequitur, ait πῦρ esse βληχρὸν, id est febrem esse mitem & mansuetam, ut videtur. Et hac nostra memoria a corruptione uteri observatum est primates mulieres interiisse, febre latente & blande ægras tractante, quod exspectationem spemque Medicorum non sine infamiæ nota & ignorantiæ suspicione decepit. Præter istas differentias febris numquam a quoquam observatas, est & aliquid peculiare in febribus observandum: aliquando enim vis ipsius febris in partem aliquam sævit, ut æger tantum vel se capite dolere dicat, vel renes, vel aliquam affici aliam partem, ut febris aliquo modo κεφαλικὴ (*i*) dicatur; (de quo plenius in alia historia dicturos pollicemur.) 4 Quod evenire puto vel quum peculiaris in parte aliqua infirmitas est & vitium, vel quum febris ipsius subjectum est potius teter quidam vapor, qui prout vel in has partes, vel in illas repit, ita quoque sui notas & signa exhibet;

Quibus in morbis sit febris.

Quid sit febrem a morbo acuto non separari.

1. de morbis mulierum.

Hoc apertissime vult Gal. comm. in part. 18. lib. 1. Prorrh.

(*e*) Indistinctè.
(*f*) Inseparabiliter se habere.
(*g*) Effatu dignum.
(*h*) Corruptionem.
(*i*) Cephalica, capitalis.

exhibet: 5 quod & exemplis illuſtrandum eſt, & auctoritate, quoniam ad id quod hoc loco tractatur, maxime pertinet. Audivimus obſervatum eſſe ab Hippocrate *in Coacis* (quoniam nondum locum legiſſe contigit) rigores aut horrores inanes in febrium paroxyſmis translationem in caput afferre ſymptomaticam, 6 id eſt, dum effertur vapor febrilis a foco, aut tenuis ichor, qui naturam perturbans, & calorem afficiens, eumdem foris intro revocat, unde aut rigor, aut frigus inſequitur periodicum. Quod ſi hoc fruſtra fiat, & potius recta caput vapor appetat, ac ſi conſtituatur firmeturque ſedes in capite, dolor oboritur ſæviſſimus, & adurentis in toto capite coloris ſenſus excitatur: in ceteris partibus nil ſimile percipitur: & vulgus ſe febrem in capite habere narrat. Item in paſſim vagantibus febribus periodicis, quum ſemen morbi exſtinctum videretur, certis quibuſdam diebus, ac ſi novus paroxyſmus ſuſcitandus foret, calor aut in capite ſummus, aut in alia parte, & dolor excitatur: quod fit aut ob paucitatem materiæ, aut quia ea nondum ſatis apta eſt ad putrendum & motum. Denique in febrium ineuntibus paroxyſmis præter conſuetudinem quædam ſymptomata apparent, aut ingens capitis ſolius dolor, aut brachii, aut cruris, aut velut incubus, aut ſuffocatio, nonnullis quædam contractiunculæ convulſionibus ſimiles, non autem manifeſtus quidam calor apparet in toto corpore, a quo febris ſuam eſſentiam nanciſcitur. Quod fit, meo judicio, propter aliquam ſeparationem & ſecretionem materiei, quæ non per venas, ſed per arterias aut nervos, aut inanes quoſdam mæandros irrepens inſolentia quædam ſymptomata procreat ac progignit. Quod & confirmant ea quæ ſcripſit Galenus dum rationem reddidit cur in principiis febrium aliquando delirent ægri, aut ſtrangulentur, aut ſuffocentur, aut terrificum aliquid patiantur, aut etiam ſæpe moriantur. Et Hippocrates de iis ſcripſit, in principiis febrium ſive delirium acceſſerit, ſive alicujus membri ſideratio, periturum hominem ſciendum eſt, ſi non optimum aliquod ſignum apparuerit. 8 Ex quibus omnibus apparet contingere ſæpe ut moveatur materia tum ſuo ipſius nutu atque ſponte, utpote animata & excitata ſuo ſpiritu & ichore, (nullus enim humor ſine aut flatu aut ichore cito impellitur) tum naturæ vi pellente; & tum in partem aliquam vis atque impetus iſte & impreſſio redundat: 9 quod huic ægro noſtro contigiſſe certum eſt. Unde quæri poſſet, an ſatius ſit in unam tantum partem vim iſtius tempeſtatis febrilis redundaſſe, an in totum corpus: nam ſi in totum corpus malum æquabiliter repat, plures & partes & facultates læduntur. Contra melius eſſet diffundi hoc totum virus, & in multas corporis partes diſſipari, quam ita confertim & gregatim in unam principem partem inſultaſſe atque impetu ruiſſe. Finem facturus, commemorabilem locum, & ad rem maxime pertinentem adducam, ut appareat, quomodo humor in corpore diu ſtabulatus & ſuppreſſus, viſus ſit tandem, qua data porta, irruiſſe in partem aliquam, & graviſſime illam labefeciſſe. Hippocratis hæc verba ſunt: *Quibus lumborum tenues & diuturni dolores, & ad hypochondrium reducti revocatique, & ciborum averſio cum febre, dolor is valens intentuſque ad caput perveniens cito cum quadam convulſione interimit*: Id eſt, ſæ-

De criſibus c. 9. lib. 3.

Flatus & ichor animant morbos.

Part. 8. lib. 3. Prorrh.

pe circum hypochondria latet humor, qui diuturnitate malitia acquisita dum sævit, furit ac virus exerit, dum caput appetit, horrenda symptomata invehit; fusiorem explanationem adduximus *in nostris Consiliis*, & *in libro Definitionum nostrarum*: Tertiam partem ex tribus propositis, nimirum cur Hippocrates sæpe addat, ἀπύρως, ἀπυρέτῳ ἐόντι aut ἄνευ πυρετῶ (*k*), paullo post explicabimus, ut rerum vitetur confusio.

TEXTUS. *Calidus siccus.*

Hoc additur ad explicationem eorum quæ postea dicentur: nam paullo post dicitur linguæ incontinens factus fuisse, quod affectionis melancholicæ index est ex Galeno, ut postea apparebit: Item quum ex inspectione faciei, capilli, oculorum & habitus, aliquid fovere hypochondriacum suspicio fuit: & non abs re: nam eventus docuit latitasse nescio quid jam diu in utroque hypochondrio, præsertim in sinistro, quod tam diri morbi occasio ac parens fuerit. Ceterum duo melancholicorum genera reperio, unum per se, alterum per accidens: per se quidem ut qui calido & sicco sunt temperamento, hirsuti & squalidi sunt, præsertim si angustiores venas habent: nam ex gracilibus quidam sunt ἐπίφλεβοι (*l*), ut 6. *Epidemiorum*, alii sunt λεπτόφλεβοι (*m*): quibus angustia vasorum est, iis major est in hypochondriacam affectionem propensio 10. Per accidens vero ut sanguinei temperamento: nam dum corpus δυσδιαφόρητον (*n*) redditur, aut aliqua alia causa inciderit facile massam sanguinis alterans, facile sanguis denigrescit: & in ejusmodi sanguineis est quædam εὐχροια (*o*), sed est cum torvitate quadam & mæsto vultu. Quod Hippocrates animadvertit paucis verbis explicans posterius genus melancholicorum: & amplissime Galenus *in Commentario* explicat & alio in loco. Et prout est dispositio & inclinatio ad melancholicum temperamentum, ita & ad τὸ ὑποχονδριακόν (*p*). Vide plura *initio Tomi primi Consiliorum.*

Part.17.lib.2. Prorrh. & 2. Epid.

Veneri indulgens. 11

Hæc causa esse potest forte cur cerebrum infirmius redditum sit, & ideo ad vim morbi excipiendam opportunius. Nam ut Hippocrates docet, *Semen robustissimum est quid, quoniam a Veneris usu etiam minima re excreta, imbecilles efficimur.* Venus digerit, desiccat & dissipat: non tam quia (ut ait Galenus) corpus virosum excernitur, quam quia multi coefunduntur spiritus, & ipsa voluptas per se etiam resolvit. Hippocrates vero usum Veneris calefacere, nedum refrigerare, ait, non solum propter motum ipsum qui calefacit, sed ob frigiditatis excretionem. *Coitus*, ait, *extenuat, humectat, calefacit*: 12 *Calefacit ob laborem & frigiditatis excretionem: attenuat ob evacuationem: humectat ob colliquationis reliquias in corpore factas.* Sed cur semen ipsum excretum frigiditatem vocat? Bifariam hoc debet intelligi, vel quia semen quum sit quid defectum e parte spermatica,

Hippoc. 11. de Diæta.

(*k*) Infebricitanter, sine febre exsistenti, aut sine febre.
(*l*) Venosi, venas latas habentes.
(*m*) Venas tenues & exiguas habentes.
(*n*) Ægrè perspirabile.
(*o*) Bonitas coloris.
(*p*) Hypochondriacum.

matica, quæ natura frigida eſt, frigidum ſit ex ſe, calidum ob ſpirituum perfuſionem : item omne aqueum ratione ſui frigidum eſt 13, quomodo ſanguis natura frigidus ab eodem Hippocrate ſtatuitur : vel excerni frigiditas dicetur, quoniam diffunditur per coitum pituita, & ſeroſum pituitoſumque excrementum, cujus excretio juvat : quomodo Hippocrates voluit veneris uſum frigidis, & a pituita natis morbis conducere : quod Ariſtoteles amplius explicavit.

Ariſtoteles 1. Problematon. Par. 41. lib. 4. acutor.

Vertigine oppreſſus, linguæque minime continens concidit.

Ob inordinatum ſpirituum motum vertigines fieri, ac præſertim animalium, illud jam teſtatum eſt. Et non mirum ſi elati inferne vapores, præſertim maligni, dum percellunt ſpiritus animales & perturbant, vertiginem inducunt : in iis enim potius ſpectatur qualitas cerebro infenſa quam quantitas : alioqui a cibo dum blandus ſomnus nos capit, vertiginoſi redderemur. Eam vertiginem quæ ægrum noſtrum prehendit, calorem capitis ſummum, & arteriarum pulſum Hippocrates quaſi hanc hiſtoriam deſcribens, & Galenus *in Commento* ad vivum expreſſit : *Quibus in febribus vertigines a principio & capitis pulſus ſunt, his ad judicationem uſque febris acceſſio fit, ſi delirent, nil mirum. Galenus in com. ait contingere, ut ab initio febres moderatæ ſint, ſed ſymptomata caput infeſtent, ob exuſtionem, vel exhalationem humorum in ventriculi corpore contentorum.* Et paullo ante, *quum caput circum agi videtur* δῖνος (q), *quum tenebricoſum quid obverſatur,* σκοτόδινος (r) *appellatur : Fit ob inordinatam ſpiritus flatuoſi motionem, qui vel localem in cerebro generationem habet, vel ſurſum ex infernis fertur partibus. Et quod notandum eſt, ſcribit omnes has tenebricoſas diſpoſitiones medium quoddam tenere inter id quod periculo vacat, & perniciosum.* Nam quum natura, ſive caliditas nativa conatur humores fundere ac diſſolvere, in hoc vis ejus quidem apparet, quia ſi extreme languida foret, quod ἀῤῥωστεῖν (s) vocat Hippocrates, ne aggrederetur quidem, ſed quia omnino extenuare ipſos vapores, & per inſenſiles meatus excernere non poteſt, in hoc languere dicitur ad aliquid, non omnino. Sic languor iſte non eſt periculoſus facta comparatione ad τὴν ἀῤῥωστίαν (t). Et in eo ſenſu ſudor dicitur ſignum eſſe & naturæ validæ & imbecillæ : validæ quidem, quia conatus iſte & vis in excernendo robur aliquod deſignat : imbecillæ autem, quia ſi naturalis calor omnino validus eſſet, non in ſudorem, ſed in quid tenuius & fuliginem reliquias iſtas converteret ac comminueret : quod non intellexit Diocles. Atque inter ea quæ ex Commentario prædicto excerpi poſſunt notare maxime oportet initio febrium, ſive febris manifeſta ſit, ſive principium tantum ſit febris, ſive conatus tantum naturæ, quum alioqui omnia mitia ſint ſatis, caput aliquando invadi ſolere a vapore maligno qui caput percellens & replens, & velut localem in cerebro febrem pariens pulſum in temporibus, & capite

Part. 23. ſect. 5. lib. 6. Epid.

(q) Vertigo.
(r) Vertigo tenebricoſa.
(s) Ægrotare.
(t) Ægrotationem.

pite afferat, vertigines & deliria, ob cerebri quamdam alterationem, id eſt, præſertim ſi cerebrum imbecillius natura ſit, & eo inclinet humor.

Linguæ incontinens.

Aph.40.lib.7. Sect.5. lib.2. Epid.

Apud Hippocratem reperio τῆς γλώσσης ἀκράτειαν, & τῶν χειλῶν ἀκράτειαν (*u*). In Aphoriſmis, *Si lingua derepente incontinens fiat, aut pars aliqua elangueat, id melancholicum eſt.* In Epid. οἱ παφλάζοντες χειλῶν μὴ ἐγκρατέες ἔοντες: *Qui lingua offendunt, verba repetentes ſubinde, & labiis moderari nequeunt*: male enim pro χειλῶν (*x*), legunt χειρῶν (*y*): niſi forte tolerabilis dicatur lectio ut conſonet cum illa particula ſuperioris Aphoriſmi; ſi pars aliqua velut attonita elangueat, quod τῶν χειρῶν ἀκράτεια (*z*), apoplecticum aliquid habeat: tamen nullo modo probatur poſterior lectio. Porro lingua ἀκρατὴς (*a*) dicitur, quæ ita infirma eſt ut non integre vocem dearticulet, vel quæ immota ſit ac velut exſoluta. Sed quid hoc ſignificat? Melancholicam affectionem. Galenus hoc probare non poteſt: τὸ μελαγχολικὸν, non humorem melancholicum, aut atrabilarium ſignificat, ſed affectum melancholicum a tali humore natum: unde quum dixit, vere τὰ μελαγχολικὰ, id eſt, affectus melancholici a dominatu atræ bilis: Sed paullo altius aſcendamus. Loci ſunt apud Hippocratem ex quibus forte demonſtrationem horum eruemus: *In* 2. *Epid.* blæſi, calvi, lingua hæſitantes morbos valde melancholicos patiuntur, & hirſuti quoque τὰ νοσήματα ἰσχυρῶς μελαγχολικὰ (*b*). Et alio loco blæſi & qui celeri lingua ſunt, melancholici ſunt. Sed in hoc differunt omnes loci iſti adducti quod quum dicit *in Aphoriſmis*, Si lingua repente incontinens fiat, de morboſa affectione ſermo eſt: quum vero dicit hirſutos, calvos, & blæſos melancholicis morbis obnoxios, de ſanis ſermo eſt. Nunc ad rem reverſi videamus an incontinentia linguæ, & ſi cui pars ſtatim elangueat, melancholicæ affectionis ſignum ſit. Metum & mœſtitiam melancholicum quid eſſe aſſeverat Galenus: item elephantum & cancros; at non poteſt ſibi perſuadere humoris melancholici effectus eſſe linguæ incontinentiam, & ἀποπληκτικὸν (*c*) quid. Tamen quid Galenus reſponderet Hippocrati *in libris de morbis* (quos Galenus Hippocrati adſcribit) ubi Hippocrates aphoniam ſubitam, & incontinentiam linguæ, membrorumque impotentiam atræ bili adſcribit? Verba ſunt hæc: *repente dolor caput occupat, & vox deficit; intra dies ſeptem perit, niſi febris ſupervenerit; ſi adfuerit, evadit. Hæc patitur quum atra bilis* (Græce μέλαινα χολὴ) *in capite commota fuerit, maxime vero qua parte multæ venæ fuerint, ut in collo & pectore.* Hic vides a melancholico humore hæc ſymptomata naſci quod Galenus non vult. Ac primum credo atrabilarium humorem vere mœrorem & mœſtitiam, & pavores parere, & deliria melancholica; at ſuccus

3. Aphor.

Sect. 3.

Lib. 2. de morbis non longe ab initio.

(*u*) Linguæ impotentiam, & labiorum hæſitantiam & impotentiam.
(*x*) Labiorum.
(*y*) Manuum.
(*z*) Manuum impotentia.
(*a*) Impotens.
(*b*) Morbos fortiter atrabiliares.
(*c*) Apoplecticum.

cus melancholicus apoplexias, ſiderationes, attonitum morbum, quaſſus, & reſolutiones membrorum afferre poteſt. Itaque *in illo loco lib. 2. de morbis*, μέλαινα χολὴ male vertitur atra bilis, potius ſuccus melancholicus verti debet: ſic conciliare locos auctorum oportet. Quod placet Galeno *in comm. Aphor.* qui fatetur quidem ſuccum melancholicum apoplexias, & conſimiles affectus parere poſſe, quatenus ratione craſſitiei communicat cum pituita, non autem quatenus ad atram bilem vergit: id eſt, in ſucco melancholico vel qualitas, vel ſubſtantia ſpectatur; ſi ſubſtantia, paralyſis, impotentia, obſtructio inde gigni poteſt; ſi qualitas, ut quæ ob empyreuma, & aſſationem acquiritur, ea atrabilarium quid habet potius. Et ex hiſtoria de Pythione apparet, humoris quantitatem comatoſas potius affectiones & oppreſſionem afferre, qualitatem vero deliria: quod valde notandum eſt, & id duobus ex locis Galeni apparebit. Prior eſt *in* 4. *Aphoriſmorum*, *ſi multitudo humorum magis ad atræ bilis naturam vergat, pavores fiunt & timores*; *ſin minus*, id eſt, ſi reſipiat naturam pituitæ aut alius humoris, *labores & convulſiones oboriuntur*. Alius locus eſt quo docet morbos hiemales potius ob materiæ quantitatem fieri, autumnales ob qualitatem. Iſta porro eſt qualitas quæ atrabilarios affectus parit; quantitas vero, ſive ſit humoris pituitoſi vere dicti, ſive melancholici affinitate pituitoſum attingentis, oppreſſiones & obſtructiones parit potius. Accedit & ad hos locos illud Hippocratis ſupra adductum, quum ait & blæſos, & hirſutos melancholicis morbis implicari: illud quod dicitur, multum habet energiæ, & forte numquam obſervatum. Nomine blæſorum intelligit morbos melancholicos improprie dictos, qui a pituita vere naſcuntur, quæ ob ſimilitudinem tantum quamdam ſuccus melancholicus dicitur; nomine hirſutorum quos δασεῖς vocat, eos intelligit qui proprie melancholico ſucco abundant. Et blæſi reſolutiones patiuntur attonitosque morbos, hirſuti atrabilarios, qui a qualitate potius quam a quantitate naſcuntur: docuimus enim paullo ante hirſutos proprie melancholicos effici. Unum adjiciam (quod ſcio ridiculum fore quibuſdam, tamen habet aliquid acutum) quum quis derepente linguæ incontinens fit & mutus, μελαγχολικόν: id eſt, vulgus putat a perturbatione animi, & mœrore, per contractionem viſcerum & animi anguſtias id eſſe: eſt enim politicus loquendi modus: & qui a gravi animi pathemate in morbum incidunt, ii ſæpe obmuteſcunt in acceſſionibus.

Aph. 40. lib. 7.

Hiſt. 1. lib. 3. Epid.

Aph. 67. lib. 4.

Aph. 55. lib. 6.

Sect. 5. lib. 2. Epid.

Quando aqua plenum eſt cerebrum.

Obmutuit.

Aliud eſt obmuteſcere ægrum, aliud voce deſici atque deſtitui: hoc enim majus eſt: & utrumque quidam confundunt, & male quidem. Erroris forte occaſio fuit, quod aliquando apud Hippocratem φωνὴ καὶ αὐδὴ (*d*) idem ſint: ut quum *in Epid.* ſcribit, φωνῆς λυομένης πάντα λυέται (*e*): nomen φωνῆς ἀντὶ τῆς αὐδῆς (*f*) ſumitur: pueri enim non ſunt

 ἄφωνοι,

(*d*) Vox & ſermo.
(*e*) Voce ſoluta omnia ſolvuntur.
(*f*) Vocis loco ſermonis.

ἄφωνοι, sed ἄναυδοι (g): quia vocem articulare nequeunt, utpote voci servientibus vinculis nondum expeditis. Et muti ἄλαλοι dicuntur, non quod sonum edant & vocem, sed quia articulare nequeunt. Ceterum vera & germana distinctio inter ἄναυδον καὶ ἄφωνον (h), petenda ex historia de Pythione, non ea quæ prima est *in tertio Epid.* ubi gravius multo esse apparet ἄφωνον esse quam ἄναυδον, quum vocis privatio, sub qua & sibilus, & fletus, & risus continetur, quid sit deterius quam orationis & sermonis quem αὐδὴν Græci vocant. Et ex Homero citat Achillis equum humana voce loquutum quem αὐδήεντα ἵππον (i) vocat, non erat autem ἄφωνος, sed ἄναυδος. Extremæ enim aut imbecillitatis, aut oppressionis cerebri, aut exstinctionis caloris naturalis ἀφωνία (k) est argumentum. Itaque & syncopas cardiacas, & apoplexias, & caros & catalepseis τῆς ἀφωνίας nomine & ambitu concludit, quod a communi tamquam symptomate, nempe vocis ademptione (id enim vox hæc sonat) κατ' ἐξοχὴν (l) intelligit, aut offensionem, aut abolitionem omnium actionum voluntatis nostræ arbitrio susceptarum, & ex aphonis quidam sentiunt, alii non. Quum una cum motu sensus aboletur, tunc proprie aphonia dicitur, & eo modo tum ἀπόπληκτοι (m), tum καρούμενοι, ἄφωνοι (n) dicuntur: quod *in Prorrh.* abunde docet Galenus his verbis: *Qui in morbis acutis ἄφωνοι fiunt, quidam horum non sentiunt ob principii affectionem, utrisque ipsos sequentibus symptomatis; alii dumtaxat voce privantur, atque horum quidam læsis etiam omnibus quæ ex voluntate pendent actionibus, alii sola voce oblæsa. Si igitur tum vocis, tum aliarum functionum oblæsio est, principii nervorum affectio est; si solius vocis, solorum voci servientium organorum.* At in acutis morbis ἀφωνία deterius quid est, quam si quis derepente voce deficiatur. In acutis enim extremæ imbecillitatis, & exstinctionis caloris signum est, in sanis aut longis morbis oppressionem significat: nam si febris succedat, sæpe talis aphoniæ occasio tollitur, ut passim Hippocrates annotavit. Ceterum ne rerum confusio sequatur ex verbis, placet eorum interpretatio qui ἀναύδους mutos vocant, utpote sermonem proferre nequeuntes; ἀφώνους, non mutos, sed voce privatos, & defectos, ut nil plane obaudiatur, nec articulatum, nec alio modo sonans.

Hist. 3. sect. 3. lib. 3. Epid.

Comm. ad particulam 23. lib. 4. acutor.

Comm. ad Aph. 51. lib. 6.

Comm. in part. 17. lib. 1. Prorrh.

2. de mor. 4. Aphor. & 6. & 5.

Gravi metu perculsus fuerat.

Metus gravis præsertim magnas habet vires ad habitum corporis immutandum, & totam naturæ œconomiam evertendam aut dissipandam: immo nos fatemur vidisse quemdam cui metus mortis a grassatoribus incussus fuerat, qui inde in febrem continuam incidit, cum alvi & omnium pæne partium corporis magna perturbatione: sed inter cetera magna in systole & diastole pulsus erat inæqualitas, immo terna quaque pulsatione aliquid

(g) Aphoni, sed anaudi.
(h) Anaudon & aphonon.
(i) Equum loquentem.
(k) Aphonia.
(l) Per excellentiam.
(m) Apoplectici.
(n) Soporosi, aphoni.

aliquid erat insolens & anomalon, qualiter in moribundis solet evenire: & nisi de illa externa occasione constitisset, certa potius mortis opinio erat, quam ulla salutis spes. Itaque externæ occasiones, quas passim Hippocrates προφάσεις vocat, & φανερὰς προφάσεις καὶ αἰτίας φανερὰ (o), valde sunt considerandæ, præsertim quum quid inopinato accedit: ut constet an intrinsecus lateat causa, an forinsecus adventarit. Nec abs re meminimus de metu incusso huic ægro nostro, quum, paullo ante quam decumberet, in manus quorumdam gladiatorum forte incidisset: nam quum illi, uxori, cui comes aderat, vim afferre conarentur, putavit vel uxoris pudicitiam certo subeundo periculo tegendam, vel desperatione abjicienda esse arma: in quo perplexo negotio non potuit non magna animi juxta ac corporis concussio perturbatioque evenire. Sed si eo die ἄφωνος (p) cecidisset, ad fortunatum istum casum causa referri poterat, at tribus aut quatuor post diebus morbus contigit: juvare tamen potuit plurimum ad tam infelicis morbi generationem. Locus est insignis apud Hippocratem, quo facile apparet aphonias ejusmodi occasione invehi posse: & idem locus ad disputationem & examen περὶ ἀφωνίας (q) conferet plurimum: Verba sunt: *Quod quis repente ἄφωνος fiat, id faciunt venarum ἀπολήψεις (r), si sano absque occasione, vel forti alia causa contigerit.* Tria *in com.* ex hac sententia venari possumus: Primum quod sententia Galeni communi ἀφωνίας nomine contineri possunt epilepsia, apoplexia & syncopæ cardiacæ. Secundum vocat fortem aliquam occasionem aphoniæque causam, vel timorem, vel maximum animi mœrorem. Tertium de causis aphoniæ in genere: *Aphonia*, ait, *fit vel læsis dumtaxat iis quæ voci formandæ serviunt instrumentis, vel iis quæ respirationi natura attribuit: vel ob recentem exsolutionem & afflictionem virtutis.* Venarum interceptio & oppressio maxime causa est præsertim in sanis.

Causarum externarum consideratio.

Part. 23. lib. 4. acutor.

Designabat &c.

Obstupefactus erat, & eo modo pressus impeditusque maligno vapore inferne elato, ut tametsi fandi impotens esset, tamen doloris locum designaret: aliquid enim erat quod sensus ligabat, & cerebrum afficiebat tamquam partem organicam, non autem ut similarem: in quo cerebro ut similari parte residet mens, & ratiocinandi libertas, vis & energia consistit 15. Quid enim vult illud Hippocratis quum ait nobis dormientibus actiones animi liberiores esse & perfectiores, quam vigilantibus, quod testantur præclari & illustres discursus τῆς διανοίας (s), quum obstupefactis sensibus, & præeunte moderato victu cultuque, animo veracia insomnia objiciuntur ac occurrunt? In cerebro vis duplex spectatur, una animalis quæ ipsa morbo, vino, obstructione aut aliqua alia ratione impeditur, aut oblæditur, aut aboletur; alia ratiocinans, quæ ipsa per cerebrum

(o) Manifestas occasiones & causas manifestas.
(p) Aphonus.
(q) De aphonia.
(r) Interceptiones.
(s) Mentis & intelligentiæ.

brum fusa quidem esse dicitur, & quæ in morbo impeditis etiamnum erecta ac expedita sæpe apparet. Quum enim Hippocrates scribit epilepticos eosdem & melancholicos fieri, prout τὸ ἀῤῥώστημα (t), id est, causa morbi, vel in τὸ σῶμα, vel διάνοιαν (u) 16, in cerebri corpus, vel in mentem, id est, Galeno interprete, in temperamentum ipsius cerebri inclinaverit, nil aliud significat quam aliter atque aliter lædi cerebrum, ut quædam actiones obstupescant, aut imminuantur, aut omnino obliterentur, aliis incolumibus. Admirabilis enim successus & morborum mutatio in alios. Unde Hippocrates annotat epilepticos maniacos factos esse, & sic epilepsia esse liberatos: Item maniam, summa mentis alienatione, & exitu e potestate ipsius mentis cessavisse, quod ἐκστῆναι (x) vocant. Præterea observati sunt quidam ægri qui delirarent, non meminissent, in summa potus necessitate se non sitire pronuntiarent, unguibus in alios involarent, quod phreniticorum est, & tamen si quid de Deo rebusque divinis audirent, præclare philosopharentur, in ceteris delirarent; quid hoc est, nisi quod alias ut animalis pars cerebrum laborat, alias vis ratiocinandi (quæ in eo est quid (y) ἡγεμονικὸν) erecta atque sana exsistit καθ' ἧττον καὶ μᾶλλον (z), ne quis nos in verbo reprehendat? De his pluribus diceremus nisi rem istam in opusculis nostris amplius tractavissemus. Æger noster ita erat affectus, nam indecore corpus componebat, sui dissimilis erat, insiliebat, jactabatur, invitis omnibus evadere volebat, quasi premeretur & urgeretur re aliqua quam natura excutere voluit, ideo violentos istos motus delirans suscipiebat, & tamen locum designabat, cavebatque ne sibi vena aperiretur, quod id sibi periculosum fore ante dixisset.

Sect. 8. lib. 6. Epid.

Sect. 5. lib. 2. Epid.

Apho. 5. lib. 6.

Flammeus adurensque calor in fronte.

Ubi calor, ibi morbus, ubi frigus, ibi morbus, quod præsertim de locali affectione audiendum. Nam quum inflammatio interna est, quæ revocato ad se calore reddit extima frigida, morbus tamen in extimis algentibus esse non dicitur. Et quod nunc adjicitur de adurentis caloris perceptione, id declarat mali originem, aut potius sedem, nam origo a partibus imis erat, ut postea docebitur. Paullo ante autem demonstravimus febrem quodammodo peculiarem esse in capite, facta ad illud translatione symptomatica: unde ob venenatæ auræ appulsum quæ sacram cerebri sedem tetigit, & perculit, alienus calor statim conceptus est. Quicquid enim in partem irruit, aliquid alienum excitans, illud refert ac resipit naturam causæ. Sæpe vero in arte nostra statutum est, humores diu suppressos & mora, & si jam a prima generatione mali erant, eo sæpe malignitatis & virulentiæ procedere, ut venenum adæquent. Ceterum in capite summi caloris sensus erat, ut propterea vaporem calidum fuisse excita-

4. libro Aph.

Comm. ad part. 17. lib. 2.

(t) Ægrotatio.
(u) Corpus vel mentem.
(x) Extra se ipsum rupi.
(y) Principale.
(z) Secundum magis & minus.

excitatum probabile fuerit; reliquum corpus calore quidem erat perfusum, sed eo mediocri. Reperio autem in plenitudine & cacochymia quum corpus vel attonitum, vel epilepticum, & simili affectu, ut vertigine tentatur, alias frigidius reddi, veluti interceptis a plenitudine viis, & libero aditu egressuque spiritibus denegato, ut ii figi stareque videantur: aliquando corpus non refrigeratur, sed alias suo moderato calore perfunditur, alias minus calescit quam ante, alias febrili calore incalescit, sed maxime in parte aliqua, præsertim vel quia infirmitas est quæ propensionem ad excipiendum attulit, vel quia inclinat humor eo quodam motu temerario & fortuito, ut quum in vapore & exhalatione effera (quæ partes potius superiores appetit) res tota consistit. Quot enim sunt qui quocumque febris genere teneantur, caput nullo modo doleant; aliis, quum primum sese vel diaria febris offert, dolor pæne incredibilis caput obsidet? Sic aliis aliæ partes citius tardius, promptius vel minus promte læduntur & impetuntur. Nunc audiamus quid de his senserint Hippocrates & Galenus: *Quum vitiosis succis corpus refertum fuerit*, ait Galenus, *bilis atræ ceterorumque acrium humorum influxiones exoriuntur, ob quas dolet æger magis, mordentur interna, & morsæ gravantur ab his humoribus quæ in partibus sunt venæ. Et id causa contraria redditur rei alterius. Nam repleta ab his fluxibus quæ afficitur particula, corrumpitur primum sanguis ipse, vasa implentur, & id vias spirituum obstruit. Ideo naturales meatus nequeunt transire* (ait Hippocrates in textu) *& proprie* ἀπόληψιες φλεβῶν (a) *dicitur* σκοτώσιες (b). *Quum sanguis steterit, & quum ob spiritus refrigerationes fiunt vertigines, aphoniæ, capitis gravitates, convulsiones, quibus succedunt paraplexiæ (id est partis resolutiones, quum indissolubiliter materia parti impacta fuerit) epilepsiæ, quum fluxus desederint in locos venas oppletas continentes: Loci sunt cor, hepar, vena cava: Sic quum ista est repletio venarum, spiritus non penetrant, sed sanguis concrescit ac coalescit. Interdum toto corpore convulsiones fiunt, eæque aliquando salubres sunt & commodæ: nempe totum corpus quatientes universas partes adeo calefaciunt, ut multitudo partim per cutim digeratur, partim ad aliquam non principem partem pellatur, & tunc paraplexia aliquando contingit.* Ex hoc loco apparet quomodo & vertigines, & apoplexiæ, & epilesiæ, & aphoniæ, & convulsiones, & capitis dolores ob venarum interceptiones, & locorum (id est partium præcipuarum in quibus aut stabulantur, aut generantur spiritus, aut ad quas & importantur & exportantur.) 17 Et illud est quod vulgo dicitur morbos istos fieri aut animali spirituum descensu prohibito, & tunc cerebrum per se & primo afficitur, aut vitali aditu interclusо, & per consensum fit affectus. Sed est alius locus in quo Hippocrates meminit quidem cujusdam liquationis, sed potius est diffusio, Græcis διάχυσις, non autem liquatio est, quamquam utitur voce ἀποτήξεως (c), quum ait epilepsiam fieri per ἀπότηξιν, sed ἀντὶ τῆς διαχύσεως (d) sumitur. Quum autem

Prorrh. & in historia de Phrenitico lib. 3. Epid.

Locus hic præclarus.

Hippocr. 2. de morbis.

Hipp. lib. de sacro morbo.

(a) Interceptiones venarum.
(b) Obtenebrationes.
(c) Colliquationis.
(d) Colliquationem, sed loco diffusionis.

tem ista diffusio fit, & epilepsiæ, & vertigines fiunt & consimiles affectus, sed non coalescit & restagnat sanguis sistiturque, nec venarum proprie fit ἀπόληψις (*e*), & maxime in locis, (id est præcipuis partibus corporis, ita enim τῶν τόπων (*f*) nomen κατ' ἐξοχὴν (*g*) sumitur) ideo non refrigerationes contingunt, immo corpus apparet floridius & turgidulum magis: quæ notanda sunt ad prudenter medendum. Nam in apoplexiis & aphoniis alias video Hippocratem mittere sanguinem statim sine præmeditatione & præparatione aliqua, alias video desiderare προπαρασκευὴν (*h*) quamdam antequam iisdem morbis dematur sanguis. Loci illi leguntur apud Hippocratem & Galenum *in Aphorismis*. Verba ejus sunt. *Quum pituita ad carnes convertitur, homo ab hac crassus esse videtur: nam carnes quum irrigatæ fuerint, & elevatæ & rarefactæ, sanguinem ex venis trahunt, sic bene colorati esse videntur.* Sic ne quis decipiatur, rubor & εὔχροια (*i*), non ob pituitam fit, sed vi diffusionis & eliquationis. Unde Catarrhosos, a quibus manat a capite subbiliosus ichor, bene coloratos videmus, & bonitas suavitasque coloris est, ut vulgus putat; Medicus autem ista bona suspecta habet, & morbi prænuntia putat. Notas autem assignat aliquas quibus colligas in malis ponendam esse istam coloris bonitatem, & potius a causa morbifica pendere; hæ vero sunt, si cum isto rubore non acute audiat, item si quum bene videatur habere paucis cibis repleri contentumque se esse dicat. Diffusio enim replet, eo modo quo vere scripsit fieri Galenus, qui dum rationem cibandi vere assignat, ait substrahendum esse cibum metu ruptionis vasorum a plethora ob diffusionem humorum. Ergo diffusio replet. Verba hæc sunt Galeni, *Vere medio exsistente, & æstati etiam proximo paucis & ex longo intervallo cibis nutriemus. Tempus enim id periclitatur, ne proxime accedamus ad plethoricam dispositionem, propter humorum qui hiberno temporis frigore concreverant fusionem.* Rursus & eam humorum diffusionem, & quæ inde sequantur incommoda recenset alio in loco: *Verno tempore id contingit quod & in exercitationibus, licet hæ sint saluberrimæ. Nam si hominem pituita plenum, vel flava bile, vel atra, vel sanguine ipso exercueris, aut apoplexiam aut epilepsiam exercitatione induces; aut metus est ne rupto in pulmone vase aliquo malum adsit insanabile. Multi quum febricitare cœpissent, ob exercitationem (supple nec loco, nec jure, nec commode susceptam) acutissime laborarunt. Quibus vero vicem purgationis eorum humorum qui in profundo erant ipsa exercitatio suppleverit, evocata humorum copia ad cutim ulcera, & scabies erumpit.* Quo ex loco patet diffusionem replere, dum id quod concreverat, funditur & liquatur: nam tunc in partes nobiles, quas τόπους (*k*) antea vocavit, humor irrepit, & ἕδραν stationem facit, hinc vertiginum & aphoniarum ilias, quibus succedunt epilepsiæ & apoplexiæ: In Græco est ἕπονται (*l*), quod bifariam potest

Initio lib. 2. de morbis.

Lib. 2. de morbis, cap. de morbis a capite orientibus.

Comm. ad Aph. 20. lib. 3.

(*e*) Interceptio.
(*f*) Locorum.
(*g*) Per excellentiam.
(*h*) Præparationem.
(*i*) Bonitas coloris.
(*k*) Locos.
(*l*) Sequuntur.

poteſt intelligi, vel ut mutatio vertiginis fiat & καρηβαρίας (*m*) in apoplexiam & epilepſiam: ea enim ſucceſſio morborum fit; vel ut dicantur ἐπιγίνεσθαι (*n*), per cauſæ morbificæ augmentum, ea enim propria vis eſt τοῦ ἐπιγίνεσθαι: velut ἕπεσθαι, id eſt ſequi & adjungi ad priores morbos dicantur. In quo unum monere oportet, nam *in Aphoriſmis* in ipſo fuſionis tempore, dum repletio fit, dum impetus, ῥοπὴ inclinatio, ὀργασμὸς (*o*), vult fieri iſta, id eſt, epilepſiam, apoplexiam, & conſimiles ſequi affectus: non requirit humorum στάσιν, id eſt, moram, ſtationem ut interceptis ſpiritibus & calore obruto περίψυξις (*p*) ſequatur partium, quod tamen requirit *in quarto acutorum*, ac ſi morbi iſti tum demum oriantur, non quum moventur humores, & corpus aut æque calidum eſt, aut ſeipſo calidius redditur, ſed quum fit ipſa στάσις (*q*). Et tamen diximus ante vertiginis eſſentiam eſſe in motu inordinato ſpirituum, vel dum vapor inoffenſum ſpirituum curſum intervertit. Contra requirit humorum ſtationem & pigritiem & moram, ut tum demum morbi ipſi oriantur quum obrutis, conculcatis, & oppreſſis ſpiritibus & humoribus viarum omnis adimitur libertas 19. Et ideo ante dicebat etiam convulſiones quæ inde conſequuntur aliquando utiles eſſe, quod quatientes corpus pigritiem & reſtagnationem ipſam, ut ſic dicam, humoribus adimant, & ſic primæ eos meatuum libertati reſtituant. Quod dicitur de apoplexia verum eſſe poteſt, ſed de epilepſia & καρηβαρία, & vertigine minus, quoniam in iſtis affectibus etiamnum calor moderatus corporis adeſt: quæ omnia quoniam obſcura ſunt, & lectorem in legendis veterum ſcriptis morari poſſent, brevi rem totam aperiemus. Diximus ante aliquando ſpiritum animalem deſcenſu prohiberi, aliquando vitalem aſcenſu ad veram morborum attonitorum ὕπαρξιν (*r*): Si in cerebro ſolo eſt obſtructio & oppreſſio, & dum humor movetur, aut in ſubſtantiam cerebri, aut in mæandros & ventriculos, aut vertigo, aut quid ſimile oritur, non eſt neceſſe refrigerari corpus, nec humorum στάσιν fieri: niſi forte dicas nomine iſto στάσιος duo intelligi, & egreſſum e propriis vaſis, & firmitatem contumaciamque, ut humor non amplius reſiliat in propria vaſa, niſi valde attenuatus, & ideo non habeat fluxum & refluxum: nam revera duo iſta maxime ad morbos iſtos magnos generandos valent. Nil enim tam valet ad morbi magnitudinem, quam quum humor in proprio vaſe non regitur, ſed in inſolentem locum regeritur, in quo turgeſcit & tumultuatur. Quid enim facit delirium in phrenitide perſeverans, niſi quia egreditur humor e proprio conceptaculo; in febribus autem continetur adhuc, & inæqualiter turbatur ſanguis? Quid in arthritide & nervoſi generis morbis firmitatem conſtantiamque morbi facit, in venoſi generis affectibus inconſtantiam, & facilem ſolutionem, niſi quod in nervis impactio & στάσις ſpectatur, in venis fluxilitas, ut præclare docet Hippocrates? Quid ſanguis in capacitatem

Galenus & Hipp. videntur contradictione laborare.

Phrenitis unde.

Lib. de locis in homine.

(*m*) Capitis gravitatis.
(*n*) Supergenerari.
(*o*) Orgaſmus.
(*p*) Perfrigeratio.
(*q*) Statio.
(*r*) Exiſtentiam.

tem vase proprio egressus tantum molestiarum affert, idem sua vena coercitus non facit; nisi quod grumosus sanguis facit στάσις? Itaque egressio ista ad pertinaciam morbi facit, ut mirum non sit si in epilepsia, quia ventriculo insolenter continetur humor aut crassus, aut sua qualitate molestans, tantæ turbæ & motus inordinati concitantur. Ergo est ubi quum humores funduntur capitis gravitates, ἀπολήψεις (s), vertigines & similia reddere possunt cum perfrigeratione & veluti congelatione, concretione & στάσει (t); est ubi quum moventur, & eadem committunt, non adest ea conculcatio, congelatio & στάσις. Ideo ut ante monui, alias in iis malis repente secat venam Hippocrates sine fomento ullo, alias in iisdem secat venam quidem, sed præparatione præmissa: quia in his refrigeratio est, in illis non est. Quod tribus de causis puto evenire. *Primum* si vir & mulier ob διάχυσιν (u), aut iram, aut insolationem, aut plenitudinem cito laxatam aut vertigine, aut consimili affectu repente corripiantur, eveniet, ut malum adoriatur mulierem potius cum partium algore, quia humorum στάσις (x) fit potius, quia mulier frigidior, quia ob angustiam viarum oppressio potius evenit, quia ob desidiam crudis abundat humoribus, quia hepar & mesenterium facile obstruuntur in his: At vir qui calidior, vasa habet ampliora, non frigidis scatet adeo excrementis, & humores habet fluidiores, & ideo magis & promptius καταῤῥήγνυνται (y) (ut verbo Hippocratis utar) si forte apoplecticus aut epilepticus aut vertiginosus fiat, aut ἄφωνος (z), non ea congelatio & refrigeratio fiet, quia non ea est στάσις, & ἔμπηξις (a), quæ in natura frigidioribus apparet. *Secundo*, si ventres inferiores mali sint auctores, & in cerebro tantum morbos excitent μετὰ συμπάθειαν (b), ob revocationem subitam caloris ad centrum, refrigeratio potius eveniet & congelatio, quam si in capite malum sit. Quod declarat idem Hippocrates: nam quum loco prædicto de iis affectibus disputat, requirit στάσιν humorum fieri in locis, id est, vena cava, corde & hepate: non meminit cerebri. Revera enim agit de affectibus iis quatenus localem in cerebro non habent generationem, sed per prohibitionem ascensus spiritui vitali ad cerebrum. *Tertio*, est ubi humores in quibusdam tenuiores sunt & calidiores, & qui tales aphonias facere possunt qualitate potius quam quantitate: est ubi frigidiores sunt. Etsi ab eodem iidem affectus specie induci possunt, non iidem numero exsistunt. Quamquam & calidus & frigidus humor frigiditatis sensum inducere possunt diversa quidem ratione. Declarant rigores & horrores sæpe a calidis & humoribus & ichoribus nati, ut passim Hippocrates demonstrat. *Quarto* aliud est quum oppressio fit, & materiæ opprimentis copia adest, aliud quum ea abest. Nam in historia de Pythione commemorabile est quod scribit Galenus, ut scias quomodo copia humorum lethargicas, torpidas, & comatosas affectiones potius inducat; delirabat Pythion; Veteres delirium

4. Acutorum.

In apoplexia curanda aliquando vena secanda, aliquando non, sed fomentum utendum.

1. de morb. mulierum.

Calidus humor refrigerationem potest inducere.

Histor. 1. lib. 3. Ep.

(s) Interceptiones.
(t) Statione.
(u) Diffusionem.
(x) Statio.
(y) Disrumpuntur.
(z) Aphonus.
(a) Incuneatio.
(b) Per consensum.

rium hoc referebant ad abſtinentiam veneris, quam Græce τὴν ἀποχὴν dicunt, quaſi vero ſuppreſſio ſeminis in cerebro dum ſua quantitate opprimeret delirandi occaſionem dediſſet. Ex eo autem colligebant multum ſeminis ſuppreſſum quod multum & varie ſpueret (at hoc riſu potius excepit Galenus, quam gravi aliqua contentione oppugnavit.) Contra exemplo eorum quibus os terebra aperitur docet, copia & oppreſſione, & humoris congeſtione induci non delirium; ſed potius caron, & comatoſum aliquid: quod notandum eſt. Omnino enim id verum non videtur, quod plerique delirent ob præſentiam humorum bilioſorum eorumque multorum: niſi forte dicas delirium induci non ratione quantitatis, ſed qualitatis. Teſtatur κῶμα ἄγρυπνον (c), in quo bilioſus humor quidem eſt, qui quia vel pituiteſcit, vel forte magna copia obruit, ideo miſtum affectum ex vigiliis & ſomno inducit. Teſtatur quoque & eruptio parotidon. Quis enim dubitat materiam parotidon eam eſſe quæ febrem continuam committebat, quæ quia magna copia eſt, & a natura ſua ob conſtitutionem cerebri frigidam quodammodo mutata, inducit caron, qui ſæpe parotidon eruptionem præcedit? Et in phrenitide delirioque tametſi qualitate humor peccat, nec tam quantitas materiæ ſpectatur quam ejuſdem qualitas, tamen eſt certa quædam quantitas materiæ, ut criſes quæ inde ſequuntur teſtatum relinquunt. Nam nec parotides oborirentur materia regeſta a cerebro, nec gibboſitas phrenitin ſequeretur. Quod Hippocrates *in Epid.* meminit: *Coquo*, ait, *in ſpina gibboſitas facta eſt ex phrenitide, huic nulla medicamenti potio conferebat, &c.* Quæ gibboſitas ob translationem materiei non fieret, niſi quædam moles eſſet, & non qualitas potius in phrenitide dominaretur. Et *in Aphoriſmis* dyſenteria ſolvit furorem & hydrops (quamquam quidam non legunt ὕδρωψ, ſed ἱδρὼς (d) ob translatam a cerebro ad partes inferiores materiam: At furorem, Græcis μανίαν, & exitum e poteſtate mentis, Græce ἔκστασιν, committit humor paucus quantitate, ſed qualitate, ut ita dicam, multus.

Unde ſopor vigilans.

5. Epid.

Aph. 5. lib. 7.

Ad eas rationes quas ſupra attulimus quum explicaremus cur humoribus aut commotis, aut tranſſumptis, aut aliter affectis quidam ἄφωνοι & ἄπνοι (e) reddantur, & ex iis alii incaleſcant, alii toto corpore refrigerentur, poteſt & adduci quinta ratio, quam non ſolum confiximus, ut id explicaret, ſed ut obſcuritatem vocis, στάσιως (f), qua uſus eſt Hippocrates in ſententia prius adducta, evolveret: Item ut omnibus notum eſſet de univerſali morborum generatione per humorum confuſionem, & ſanguinis perturbationem. Quum humores commoventur, & ſanguis qui ad prudentiam facit perturbatur alteraturque, aliquis ἄφωνος, aut vertiginoſus, aut aliquo ſimili affectu præditus eſſe poteſt: idem & calidas omnes partes habet, ſi humores ſibi vias mutuo non obſtruant, ſi ſeſe non obtrudant ſimul & obruant. Sin autem veluti e proprio conceptaculo educti affatim in inanitates 20, aut cavitates quaſdam publicas irru-

Explicatur quomodo affectus cum Aphonia conjuncti oriantur.

(c) Coma vigil.
(d) Hydrops, ſed ſudor.
(e) Aphoni & non reſpirantes.
(f) Stationis.

irruperint, ibi sese obtrudentes, conculcantes ac opprimentes, tunc humorum στάσις fit, ut illo loco loquitur Hippocrates, & illam humorum στάσιν algor, & per caloris oppressionem, viarumque interceptionem, partium refrigeratio consequitur. Sic quum commotis, aut confusis, aut aliter affectis humoribus & sanguine ἀφωνίαι (g) contingunt, aut cum calore, aut tepore, aut humiditate, aut sudore, aut algore, prout hæc aut illa offerunt sese, ita medendi consilium variabit. Totam vero rationem generandæ phrenitidis & affectuum melancholicorum tradit *in libris de morbis* his verbis: *Quum bilis commota fuerit in venas, & ad sanguinem ingressa fuerit, tunc sanguinem dimovet ex propria motione & solita compage, item serosum facit & calefacit* 21. *Calefactus autem corpus recalefacit, & febrit homo & desipit. In Græco est,* χολὴ κινηθεῖσα διεκίνησε καὶ διέρρησε τὸ αἷμα ἐκ τῆς εἰωθυίης συστάσιός τε καὶ κινήσιος: ubi dubium est num Hippocrates retulit σύστασιν, καὶ κίνησιν (h), ad verbum διεκίνησεν (i), an vero nomen κινήσεως (k) ad verbum διεκίνησεν retulerit, & ad τὸ διέρρησεν (l) dictionem συστάσεως (m): ut hic sit sensus, Bilis dimovet sanguinem ex propria motione & naturali, item διέρρησεν ἐκ τῆς συστάσεως, convertit in ichorem & serum, tamquam ex propria natura, consistentiaque emovens. Nisi quis dicat verbum, διέρρεῖν (n) esse absolutum, & nullam motionem significare. Et *sub finem libri ejusdem* ita scribit: *Desipiunt homines sanguine corrupto, & ex consueta motione emoto.* Et alio in loco: *Dolore caput repente dolet, & æger impotens fit, quum atra bilis in capite commota fluxerit, maxime in partem in qua plurimæ sunt venæ, in collum, inquam, & pectus.* Sic *in* 4. *acutorum*, ut ante dictum est, ad generationem istorum gravium morborum τὰς ἐπιῤῥοὰς (o) fieri ait hoc loco κινήσεις ἐκ τῆς εἰωθυίας συστάσεως (p) 23. Quæ omnia quum obscura sint, ita accipienda sunt: Sanguis ad sapientiam facit, ut ipse ait, (alio loco: de aëre & spiritu idem dicit,) id est, dum sanguis complectens reliquos humores naturales, suas habet inclinationes, momenta, & motus, necnon propriam suam compagem consistentiamque retinet, tunc homo mente constat, & deliramenti nihil in se habet: sed quum commotis humoribus, tum iis qui extra venas sunt, tum iis qui in venis sunt, sanguini & sua motio deest & compages, necnon acquisita seri & ichoris natura, alteratio contingit, necesse est tunc alienationem quamdam induci, utpote alterato eo quod in primis ad sapientiam facit. Sed quærat quis, an quum phrenitis fit & calidus affectus, necnon vertigo, aut epilepsia aut caros, aut apoplexia, numquid humorum & στάσις fit, quod *in quarto acutorum* vult, & declinatio fit a propria motione & systasi? Ita sane. Nam ut postea docebimus, delirium a phrenitide distinguitur, quod in delirio humor perfluat venas, in phreni-

Sub finem lib. 1.

Lib. 2. *de morbis.*

(g) Aphoniæ.
(h) Compagem & motionem.
(i) Dimovet.
(k) Motionis.
(l) Serosum facit.
(m) Compagis.
(n) Serosam naturam acquirere.
(o) Defluxiones.
(p) Motiones ex consueta compage.

phrenitide e vasis aut egressus videatur, aut saltem impactus, id quod στάσιν ἔχειν (q) proprie dici potest. Ut tamen ingenue dicam in utrisque affectibus idem & eodem modo fieri existimo. Ceterum ambiguum latet in vocibus στάσις & σύστασις (r): nam aliquando idem sonant, ut apud Galenum τὸ παχὺ τῶν στάσιν (s) pro σύστασις sumitur. Σύστασις crassitudinem, coagmentationem, substantiam, corpus & concretionem significat, Cornarius vertit compagem. Στάσις duo contraria significat apud classicos, diremptum, seditionem, discordiam, controversiam, item stationem, stabilitatem, constantiam ut τῇ κινήσει (t) opponatur, & στάσιν ἔχειν opponatur τῷ κινεῖσθαι (u). Sic, ut verbo absolvam, ut cataphoræ fiant, hemiplegiæ, apoplexiæ, vertigines, humor primum e proprio motu dimovetur, & compage; deinde quum dimotus est, rursus στάσιν, id est, σύστασιν habet. Sed hoc quid sibi vult? Duplex est στάσις καὶ σύστασις, una naturalis & vernacula, & ante morbi generationem viget; altera contra naturam & morbosa, & ea ad inductionem morbi ejusque accretionem facit: id est, humores prius suam habent quietem, quæ si interrumpitur, tum virus suum exercent, quum agitantur, suam & σύστασιν, & propriam κίνησιν (x) amittunt, alienum vero accipiunt motum, & dum sese in locum alienum affatim turmatimque conjiciunt ac proripiunt, conculcati quodammodo & oppressi suam habent quamdam στάσιν, sed alienam & contra naturam.

Phrenitidis & delirii simplicis distinctio.

Duplex στάσις.

Paroxysmo liberatus narrabat se incredibili capitis dolore divexatum. 24

Quum paroxysmus aderat, & erat ἀναυδος (y), non ἄφωνος (z), nec ἄπνοος (a) 25, ut ante demonstravimus, ea faciebat quæ delirantium sunt, utpote cerebro affecto: sed non omnino perierat judicium, at ligati erant sensus quodammodo: sed sensus communis vis aliqua supererat. Et ut antea docuimus, alias in cerebro facultas animalis læditur, alias ratiocinatrix ipsa. Sic absolutus paroxysmo meminerat fere omnium quæ antea acta fuerant, immo & dolorum. Hoc quod dicitur fidem accipit ex *Aphorismo Hippoc. Qui parte aliqua corporis laborant, ii, si mens ægrotat, magna ex parte dolorem non sentiunt.* Et is quidem præsente paroxysmo locum dolentem aliquatenus designabat, sed effari non poterat. Simile quid legere est *in Epidemiis: Polemarchi uxori in morbo articulari coxæ dolor* 26. *Causa erat quod menses non prodirent. Vox intercipiebatur per totam noctem ad meridiem. Audiebat & sapiebat, & per manum significabat quod circa coxam esset dolor.* Id quod ægro nostro contigit. Fiebat autem id quia tantum affectum erat cerebrum ex eventu, non per se & primo: alioquin non ita saperet, & meminisset eorum quæ acta sunt, & locum designaret. Potius enim spiritus ascensu prohibebantur, quam descensu.

2. Aphorism.

5. Epid.

(q) Stationem habere.
(r) Statio & consistentia.
(s) Quod crassum est stationem significat.
(t) Motui.
(u) Moveri.
(x) Motionem.
(y) Anaudos.
(z) Aphonus.
(a) Respiratione carens.

4. Epid. censu. Dubiumque esse possit num ἐξ ἐπιχύσεως (*b*), ut loquitur Hippocrates laboraret, ut materiæ virulentæ suppressio, cujus pars tenuior ὀργῇ (*c*) diaphragmati proxima, & notam quamdam ei inurens, ipsum affecerit, & communicatione affectus cerebrum quoque laborarit. Nemo enim dubitat quin affectio diaphragmatis facile cerebro communicetur, immo ob phlogosin ejus deliria contingant. Quod præter ea quæ *in libris de locis affect.* a Galeno scribuntur, patet, ejus quoque fidem facit historia de Tychone, qui quum in pectore percussus esset, affectumque diaphragma, statim deliravit & excitatus est risus θορυβώδης, tumultuosus; relicta enim pars spiculi in diaphragmate erat. Ideo enim φρένες (*d*) dicuntur, quod φρὸς τὴν φρόνησιν (*e*) conferant, non quod sapientiæ sedes sit, sed quoniam τῶν φρενῶν affectio τὴν φρένα καὶ φρόνησιν (*f*) labefactet. Quamquam ista τῶν φρενῶν appellatio non placet Hippocrati, seque non videre ait cur ita vocentur, nec quam vim ad sapiendum intelligendumque habeant. Sed nil hic de nominibus moror.

Affectio diaphragmatis quid faciat.

5. Epid.

Gal. c. 4. lib. 5. locor. aff.

Phreniticorum more exsiliebat ex intervallis.

4. Epid. Videor videre illud quod *in Epid.* scribitur de quodam adolescente Phrenitico: Huic (ait Hippocrates) *febris erat adurens, insomnis, mente motus est* τρόπον ἀκόλαστον *protervo & insolente quodam modo*; ἀνίστασθαι, μάχεσθαι, αἰσχρομυθέειν: *crebro desurgere, pugnare, turpia obloqui*: idem in Cononis famula: *Ex dolore capitis incipiente*, ait Hippocrates ἔκτοθεν ἐγένετο, *exiit extra se & abalienata est, clamor, querelæ multæ, raro quies*: quæ omnia phreniticorum seu proprie, seu improprie dictorum propria sunt: Quo loco notandum valde unum est, quomodo nimirum dolor capitis repente oboriens varias morborum ideas pariat: nam in ista famula phreniticum quid attulit, in aliis aliquid epileptici & apoplectici, ut patet *ex Aphor. Quicumque sani repente dolore capitis capiuntur, & statim muti fiunt, & stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris prehenderit* 28: quo loco typum apoplexiæ exprimit, ait Galenus. Sed hæc duo, muti fiunt, stertunt, characteristica sunt morbi attoniti. Et quum ait, *nisi febris*: declarat aut a pituita malum esse, aut a succo melancholico. At si humor est tenuis, efferus, calidus, & calorem inducens in partem quam occupat, alia doloris species & diversis comitata symptomatis exoritur. Præterea quum exsiliisset, absurda aliquando dixisset, impetum in assidentes fecisset, involasset in omnes, stragulas abjecisset, indecore corpus composuisset, dixi id fecisse phreniticorum more, ac si proprie hæc conveniant delirantibus valde, & phreniticis, & fanaticis. Galenus *Com. in Prorrheticum* videtur evertere opinionem eorum qui ex eo phreniticos judicent quod ejulent, vociferentur, & exsiliant: at id verum non est. Veræ phrenitidis proprium quidem, si nil sit quod impediat; sed in doctrina Hippocratis

5. Epid.

Apho. 51. lib. 6. & lib. 2. de morbis.

(*b*) Ex suppressione.
(*c*) Impetum facit.
(*d*) Phrenes.
(*e*) Ad prudentiam.
(*f*) Mentem & prudentiam.

Hippocratis triplex phrenitis reperiri poteſt, una vera in inflammatione & alteratione cerebri poſita; altera impropria quæ obſcura dicitur & ἀσαφὴς, quæ in alienatione temperamenti cerebri, non ſolum in alteratione conſiſtit: & ea eo modo ſe habet ad cerebrum, quo febris hectica ad corpus febrile & hecticum: de qua audiendus eſt *Aphoriſmus Prorrh. Tremulæ, blandæ, obſcuræ & contrectantes deſipientiæ valde ſunt phreniticæ*: Tertia etiam impropria eſt, ut quum quis phreniticus quidem eſt, ſed non valde inſanit, nec ea facit quæ vere phreniticus: id porro fit quoniam præter humorem bilioſum deſipientiam facientem, eſt craſſus alius & frigidus qui inducit aliquid comatodes & καταφορικόν (*g*). Quo modo audiendum eſſe vult Galenus illud *lib. 3. Epid. Nec phreniticorum inſanivit quiſquam, quod aliis uſuvenit, ſed alia quapiam cataphora ſegni graviter peribant.* Illa enim tempeſtate & febres & phrenitides mixtos per quamdam ἐξοχὴν (*h*), & dominatum habebant humores. Nam ægri initio febrium omnes ſoporoſi fiebant, & non valde ſitiebant: & quod febrientibus in ſuo genere convenit, idem & phreniticis, illi non valde ſitiebant, & non inſaniebant multum. Vacuitatem ſitis Galenus refert ad id, quoniam phrenitici ratione perturbationis mentis non ſentiunt ſe ſitire, unde alio loco βραχυπόται (*i*) dicuntur; item & ad extinctionem quamdam facultatis appetentis. Prior ratio non placet: nam quum, ut dixi, omnes delirantes, etiam dum æſtus adeſt, & indigentia potus, id non ſentiunt tamen, nil novum dixit Hippocrates, quum ait iſtos phreniticos non ſitiiſſe: non ſitiebant potius ratione mixtæ affectionis: quod Galenum non vidiſſe miror. Sed audiamus Galenum de iſta ſegni cataphora & phrenitide. *Non eſt mirum collectis crudis ſuccis in corpore ſoporoſos ſimul & dementes fieri. Soporoſos ex multitudine & frigore ſuccorum, dementes quod humores putreſcentes acrimoniam pariunt & calorem.* Non enim audiendum eſt eos periiſſe phreniticos καταφορικοὺς (*k*), quod lethargus ſucceſſiſſet phrenitidi, ſed quia phrenitidi juncta foret καταφορὰ νωθρά (*l*). Ego vero non alienum ſcribere videbor ſi iſtam affectionem τυφομανίαν (*m*) appello: ea enim eſt phreniticorum affectio quum in ſomniculoſum coma inciderunt, ita ut oculos tollere non poſſint, ſed lethargicorum more eodem loco permaneant. Revera autem τυφομανίας nomen vere exprimit φρενῖτιν μετὰ καταφορᾶς νωθρῆς (*n*): unde Cornarius apud Hippocratem τυφομανίᾳ affectum vertit, ſtupida inſania ex phrenitide, & lethargo mixta apprehenſum. Nil autem hoc loco intereſt ſi dicas, ex phrenitide & lethargo, an ex phrenitide & cataphora: quamquam eorum eſſentia differt. Et quoniam in mentionem τῆς τυφομανίας incidimus, rerum ſeries & ordo poſtulat ut affines dictiones explicemus: hæ autem ſunt τὸ τυφῶδες, ſive τυφλῶδες, & ὁ τύφος. Apud Hippocratem multiplex τύφος legitur (forte legendum τῦφος, ut diſtinguatur a nomine τύφος, quod in-

Comm. in part. 33. lib. 1.

Part. 45. ſect. 3. lib. 3. Epid.

Comm. in particul. prædictam.

Lib. de Comate.

4. Epidemiorum.

(*g*) Cataphoricum.
(*h*) Excellentiam.
(*i*) Paucibibuli.
(*k*) Cataphoricos.
(*l*) Cataphora lenta.
(*m*) Typhomaniam.
(*n*) Phrenitis cum lenta in ſomnum delatione.

ſolentiam & inanem lætitiam ſignificat.) Nomine autem τύφω comprehendit febres quaſdam ardentes in quibus multa eſt humiditas juncta, ut etiam initio febrium fracti, debilitatique & diſſoluti ægri videantur. Quas adumbravit loco prius adducto *ex tertio Epid.* febres ardentes, & initio erant κωματώδεις, non καυματώδεις (o), ut male quidam tempore Galeni legebant. Et *libro adverſus Lycum* τυφώδεας πυρετοὺς (p) e genere humidarum febrium cenſuit, quod in paroxyſmis multo humore totum corpus madet ac tepet, ut mirum non ſit ſi diſſipatum & diſſolutum langueat. Quod etiam ipſe Hippocrates demonſtrat quum explicat quinque aut ſex τύφους. Τῦφος, inquit, *nominatur; primum febres fortes tenent, calor acutus, & a gravitate debilitas, crurum & manuum impotentia, inutilia membra ſunt. Si quis erigere velit, non erigitur, ſi quis interrogat, præ dolore non poteſt reſpondere.* Denique ἡ τύφων καὶ τοῦ τυφώδους eſſentia in hoc exſiſtit, ut præſente calore multo, pravo, acri, diſſolvente, & multa materia facile diſſipabili, & corporis natura effeminata & vieta, impotentia ſit multa, diſſolutio, virium caſus aut jactura, & nervorum effeminatio, ut ſemiſiderati, & ſemimortui jaceant ægri. Unde non abs re forte ἡ τῦφον vertit Cornarius, ſtuporem attonitum, quod in febre τυφώδει reſoluti ac languidi decumbant ægri. Quamquam τῦφος nomen invenerit ab incendio, dicitur enim ἀπὸ τοῦ τύφεσθαι, id eſt incendere, ardere, comburere, non autem ἀπὸ τοῦ τυφοῦσθαι, id eſt, inaniter efferri & inſoleſcere: quod mirum eſt. Si enim ab igne & incendio nomen meruit, cur paraphraſi, & circumlocutione vertimus, & explicamus τὸ τυφῶδες, & ἡ τῦφον per ſtuporem, impotentiam, virium fractionem, immobilitatem, & ignaviam? Hæc enim pugnant cum ignis agilitate. Sed calor febrilis præſertim multo obrutus humido, ut ſuam non habeat ἔκλαμψιν (q), & in corpore delicato ſegnitiem, & ſtupiditatem facile accerſit: ut ex eo eventu, & caſu nunc apud Veteres τυφώδης ſignificet ἀόργητον, νωθρὸν, βαρὺ, δυσκίνητον (r), & Galenus ἐν γλωσσαῖς τὸν ἔνεον (s), ſive ἐνεὸν, utroque enim accentu pingitur, καθεζόμενον, id eſt, bardum, mutum, ſurdum, deſidem. Et quoniam τυφῶδες ἐνεὸν ſignificat, id eſt mutum, ſtultum, tum vocis ſimilitudine, tum ſignificationis proximitate addita littera λ, non legunt τυφῶδες, ſed τυφλῶδες: Et ſic *in Epid.* τυφλώδης legitur: τυφλὸν enim cæcum ſignificat, item & ἐνεὸν, id eſt ſurdum, & mutum, quod qui natura ſurdi ſunt, & muti exſiſtunt: item τυφλὸς, pro obſcuro, ignaro & inepto ſumitur, ut quum τοῦ μέλλοντος τυφλὸς (t) dicitur, rerum futurarum inſcius. Quod ſi legendum eſſet τυφλώδης, ceteris omnibus littera λ eſſet addenda, legendumque τυφλομανία, καὶ τύφλος, pro τυφομανία, & τύφος 31: at hoc alienum eſt. Et *in Epidemiis* quum τὸν τυφώδεα opponit ὀξυθύμῳ, μανιακῷ (u), nomine τοῦ τυφώδους intelligit iraſci neſcium, ſocordem,

Libro de internis affect.

Probabilis cauſa cur ita Cornar. verterit.

Galen. in linguis.

4. Epid.

(o) Comatoſæ non caumatodes.
(p) Febres typhodeas.
(q) Eluceſcentiam.
(r) Iniraſcibile, lentum & ſegne, grave & ægre mobile.
(s) De linguis ſive interpretatione dictionum obſcurarum.
(t) Rerum futurarum inſcius.
(u) Supra modum iracundo, maniaco.

cordem, veternosum, ignavum, & lentum: ut non tam spectanda sit vocis derivatio ἀπὸ τοῦ τύφεσθαι (x), mobilitas enim & agilitas, & expeditus motus potius designaretur, quam casus iste de quo dictum est, quod τῦφος significet febrem cum stupore quodam & ignavia junctam, dominante humore, & virtute fracta. Quamquam κατ' ἐξοχὴν (y) febris τυφώδης dicitur, quum hepatis est inflammatio, quemadmodum κρυμώδης (z) quum pulmo inflammatus est, & ἐρυσιπελατώδης καὶ λειπυρία, quum ventriculus est affectus. Quo in sensu audiendum illud Hippocratis: *Leipyriæ febres non solvuntur, nisi cholera morbo superveniente*: id est, Erysipelas, in ventriculo ob inflammatam in eo bilem & æstuantem non solvitur, nisi evacuatione bilis sursum deorsum, in modum τῶν χολερικῶν, ut loquitur *in Epid.* id est, choleræ morbi.

Aëtius cap. 89. sermo 4. Tetrab. 1.

In Coac.

Sed ut ad finem res perducatur, revera τυφλώδης, & τυφώδης legi potest, quod τυφλὸν non dissimilem τῷ τυφλώδει significationem nanciscatur. Quamquam retinenda potius vox τυφώδης, quam alia, ut litteram λ, non cogamur ceteris vocibus quæ inde derivantur, addere.

Pergamus ad explicandum quomodo æger noster haberet aliquid phreniticum. Tria sunt quæ phrenitin exprimunt, absurditas verborum, indecora corporis compositio, doloris vacuitas, & additur morum dissimilitudo: quæ tamen delirantium sunt etiam propria: sed delirium est perpetuum, & febris assidua: de quibus plenius paullo dicemus *in Comment. in sequentem particulam.*

5. Epid. Phrenitidis signa.

Ex intervallis.

Qui delirant, si delirandi finem non faciunt & febriunt, phrenitidis magna est suspicio; si ex intervallis delirent, non φρενῖτις, sed cum febre παραφροσύνη (a), sine febre μανία, aut μελαγχολία dicitur. Ita enim Galenus: *Quum phrenitis & mania mentis noxa sit, proprium est maniæ febre carere, ut phrenitidis febrem adesse.* Sed nunc explicemus differentiam phrenitidis, & τῆς παραφορᾶς καὶ παραφροσύνης (b), quæ in febres continuas cadit: quæramusque an in phrenitide delirandi sit aliqua intermissio, quoniam vox illa τὰ πολλὰ (c) *in Aphorismis* quum ait, qui parte aliqua corporis laborant, magna ex parte dolorem non sentientes, iis mens ægrotat: exempli gratia, phreniticus doleat partem aliquam, quum mens ei ægrota sit an dolorem non sentit τὰ πολλὰ, id est, per vices & intervalla aliqua? Nam si delirium est perpetuum, consentaneum est ut perpetuo dolorem non sentiat, & non sitiat, siquidem non sentit se potu indigere. Bifariam hoc debet intelligi, vel enim Hippocrates dixit, dolorem non sentiunt τὰ πολλὰ, tametsi mens ægrotet, ut moneat nos attendere diligenter ad delirantes, qui tametsi aliquando sapiant, sentiantque dolorem, & de eo aliquid commententur, tamen dicentur delirare tametsi aliquando

Comm. ad Aphoris. 45. sect. 3. lib. 3. Epidem.

(x) Ab eo quod est incendere, ardere, comburere.
(y) Per excellentiam.
(z) Algida, frigida.
(a) Delirium.
(b) Levis mentis emotionis & subdelirii.
(c) Ut plurimum & per intervalla.

Acuta & subtilis interpretatio vocis τὰ πολλά.

quando doloris se sensum habere dicant: satis est si τὰ πολλὰ, id est, magna ex parte, dolorem non sentiant. Vel ita audiendum est, ut per vocem τὰ πολλὰ crebras in delirantibus mutationes intelligat, ut delirent modo audiendo, modo videndo, aut simili aliqua alia ratione: nec est idem delirii typus, nec in eodem se subjecto, sensumque exercet mens delira. Itaque phrenitici non delirabunt τὰ πολλὰ, sed semper, quum foveatur malum in cerebro eo modo quem Galenus exprimit, & *in libris de locis patientibus*, & *in Epidemiis* ut paullo ante adumbravimus: *Ardentium febrium & phrenitidis idem auctor est: Sed quum in vasorum capedinibus una cum sanguine continetur flava bilis, utcumque accendatur, febres ardentes fiunt, præsertim* 32. *si in pulmonis venis, aut jecoris, aut ventris* (*maxime vero circum os ejus, ut* Com. in part. 33. sect. 3. lib. 3. Epid. *notat, &* part. 9. sect. 1. lib. 1. Epid.) *bilis effervescit. Si quando ad solidas partes pervenerit, & permeaverit, rigorem efficiet. Sin ad cerebrum ejusque membranas sit impacta, phrenitides inducit. Verum priusquam inhærescat perfluens venas in his sitas, non phrenitides, verum ea quæ in vigoribus adsunt febrium deliria excitat. Sic bilis, in isto statu austrino ad caput sublata, & in cerebro defixa ejusque membranis, phrenitides generavit* 33. Ergo in παραφρεσιώσις (*d*) adhuc vagatur humor perfluitque, & permeat venas, in phrenitide e conceptaculis egressus est, & contumaciter ad partes adhærescit. Et Galenus aperte explicat illud quod obscure dictum est ante ab Hippocrate quum scripsit: quum vero humor in locos fluxerit, stationemque habuerit. Superest ut nodum dissolvamus de febre in qua quis delirat. Nam si phrenitis est, necessario febris magnarum inflammationum comes est, sed est phrenitidis tantum symptoma, ut contra febrium proprie dictarum, in quibus certa pars affecta non est, delirium symptoma exsistit. De iis autem ita sentit Galenus; *Delirare solent aliqui ob vitium quod in ore ventriculi exsistit, & in febribus ardentibus, & in peripneumonia, & in pleuritide* 34. *Sed deliria ob affectum diaphragmatis non multum distant a phrenitide. Quippe per ceterarum partium affectus, atque per febres ardentes delirium mitigatur, quoties morbus, id est, aut peripneumonia, aut pleuritis, aut καῦσος* (*e*) *declinat. At phrenitidis propria nota est, ut ne in declinatione quidem febrium quiescat delirium. Quum enim propria cerebri sit affectio, paullatim accidit, sed quiescere subito atque affatim non solet.* Ceterum dubitet quis si phrenitidis febris symptomatica est, & febris, quæ symptoma est, & phrenitis, quæ morbus est, simul incipiant & desinant, qui fit ut quum febris declinat, ipsa phrenitis non quiescat. Nam non videtur ipsa febris, quæ ab inflammatione cerebri pendet declinare, aut remittere, aut cessare posse, nisi una pariterque ipsa inflammatio declinet atque concedat: quemadmodum deliria quæ febrium continuarum sunt symptomata febribus declinantibus ea quoque declinant atque remittunt. Sed meo quidem judicio hæc per comparationem audienda sunt: nam quum phrenitis localem inflammationem significet in cerebro,

Rigor unde.

De phrenitide abunde.

Cur etiam delirium in phrenitide perseveret licet febris declinet.

(*d*) Subdeliriis.

(*e*) Febris ardens.

bro, delirium perseverat etiamnum febre declinante, quod audiendum facta comparatione cum aliis deliriis aliarum febrium, siquidem in cerebro manet impressio. Quamquam vere non declinat febris quin declinet quoque phrenitis, & exadversum, sed delirium omnino non quiescit. Ceterum hoc addemus de phrenitide, quoniam controvertitur inter classicos an sit inflammatio cerebri, an meningon. Tenuis membrana varie ac multiplici plexu cerebro implicatur atque involvitur, quo fit ut vix inflammetur ea membrana, quin & inflammatio parenchymati ipsius cerebri communicetur. Sic phrenitis est definienda per inflammationem membranarum & ipsius cerebri: nisi quis dicat lædi potius cerebrum, & phrenitin hujus morbum esse, non meningon, quoniam actionum functionumque integritas a recta cerebri, non autem a meningon temperie dependet: quod si verum est, earumdem læsio ab offensa temperie cerebri emanabit. Tamen quia eadem semper est medendi ipsi phrenitidi ratio, sive primario, sive secundario afficiantur, aut membranæ aut cerebrum, ideo parum refert curiose hanc quæstionem proponere ac conari dissolvere.

Explicatio quæstionis.

7. de usu partium.

2. Locorum aff.

Non convellebatur.

In cerebro variæ mansiones sunt. Aliquando ut pars organica afficitur, aliquando ut similaris, & tunc διάνοια (*f*) affici dicitur. Alias partes anteriores læduntur, alias posteriores, membranæ alias, alias substantia, & οὐσία (*g*) ipsius partis: aliquando nervi, & ex iis alias qui ad auditum faciunt, alias qui alium ad sensum conferunt. Sic tametsi cerebrum unum quid ex se sit, tamen prout in has aut illas partes & mansiones repit humor, ita variæ morborum ideæ excitantur. Quod Galenus *in libris de loc. affectis* explicavit: Et præsertim *in Prorrhetico*, *febris ardens tum ob alias causas, tum ob cerebri inflammationem æque fit. Et tunc ex propriis phrenitidis signis continua est desipientia. Ex ea vero humiditate quæ in cerebro redundat spiritus flatuosus procreatur, unde aurium tinnitus fiunt* 36. *Pari modo excæcatio caligoque, quum crassus humor vel spiritus oculos invadit. Naribus vero ingruens humorum copia sensum gravitatis in ipsis facit.* Et hæc fiunt conclusa in capite materia, quemadmodum & eadem symptomata suscitantur per febres essentiales quarum sedes est aut in pulmonibus, (ut ante ex Galeno demonstratum est) aut in alvo. Atque ex priore loco docetur eumdem humorem in eadem parte varias excitare symptomaton species, prout variæ particulæ occupantur: ut mirum non sit si æger noster convulsus non sit, vel quod nondum eam qualitatem humor acquisiverat quæ ad excitandas convulsiones requiritur, vel quia in locis nondum constiterat in quibus esse debuisset ad convulsionum generationem: non enim quivis humor quovis loco contentus id facit. Habebat quidem quasdam συωλκὰς, sed non σπασμὸς, id est quasdam contractiunculas patiebatur, sed non convulsiones. Alibi autem docuimus quid differat συωλκὴ ἀπὸ τοῦ σπασμοῦ. Et mirum fuit cur

3. locorum aff.

Cerebri ut variæ partes & actiones læduntur.

Comm. ad par. 18. sect. 1. Prorrh.

(*f*) Mens, intelligentia.

(*g*) Essentia.

non epilepticus, aut apoplecticus factus fuerit: nam locus est *in Coacis* in quo Hippocrates, in dolore capitis ἀφωνίαν (*h*) suspectam habet, quod habeat aliquid aut epilepticum, aut apoplecticum. Sed hic noster æger non erat vere ἄφωνος, sed ἄναυδος (*i*).

ἀφωνία cum dolore capitis suspecta.

Et veluti sopore vigilanti occupatus delirioque jacebat.

Horum demonstratio fere ex superioribus pendet quum disputavimus περὶ τυφομανίας (*k*): nam ut ante docuimus, delirium erat, & phreniticum quid cum καταφορᾷ (*l*), quam lentam & stupidam dixit. Atque revera quum cerebrum natura sua sit frigidum, accedentibus vaporibus aliunde, aut in eodem ob contentam bilem accensis, facile κῶμα ἄγρυπνον (*m*) excitatur. Immo & in multis febribus continuis, in quibus somnus nocet, somnolenti sunt ægri cum vigiliis quibusdam, præsertim si cerebrum plethoricis symptomatis auctum sit, ac multa acrium vaporum copia cerebrum feriverit. Nam dum Galenus explicat qua ratione in febribus somnus timores & convulsiones inducat, non aliam rationem reddit quam quia pravi humores, quum incocti permaneant, dominante calore febrili exhalationibus pravis cerebrum oppleant, quas si vincere nequit obruitur, unde occasio somni profundioris, & ipsarum quoque parotidon, immo & convulsionum & timorum: contra bonæ coctiones utiles somnos inducunt. Ceterum nescio qui fiat, ut morborum cerebri & notitia, & curatio difficillima sit: notitia quidem, quoniam multi convulsi sunt, pavoribus consternati, phrenitide, apoplexia, epilepsia, sublati, lethargicis affectibus oppressi, sideratique, in quibus nullum fere vestigium mali aperto cranio inventum est, nec sanguis, nec aqua, nec ichor, quamquam Medici, qui historiam morbi vidissent, & terrifica symptomata observassent, certo affirmarent, sibique persuaderent se aut inter membranas, aut in cavitatibus, aut alia in parte, aut abscessum, aut sanguinis aut aquæ copiam deprehensuros: & dum eventus eorum spes falleret, stuporque & admiratio eorum mentem percelleret, conabantur aut aliquid confingere quo mortis inopinatæ prætextum obtenderent, aut occasionem causamque arte quadam prætexerent, ut prætexendis confingendisque occasionibus istis honesta excusatione, culpa & vituperatione sese assererent ac liberarent. Et nos sæpe in ista alea versati sumus, primariosque Medicos versari vidimus, quasi cum spiritu ipso animabili, & anima spirante mortis occasio evolaret: ut tanto cautiorem prudentioremque Medicum esse oporteat, & in investigandis rerum causis diligentiorem, quanto res sunt abditiores occultioresque, & sæpius de spe sua deciderit: Adeo obscura est morborum capitalium ratio, & evolutio difficilis. Curatio quoque non minore difficultate est involuta, quoniam nec topica vires suas integras in cerebrum exerunt, nec assumpta innocue, propter contrarias quæ sese offerunt

Coma vigilans unde.

Comm. ad Aph. 67. lib. 4.

Morbi cerebri difficiles cognitu.

Difficiles curatu sunt morbi cerebri.

(*h*) Aphoniam.
(*i*) Aphonos sed anaudos.
(*k*) De typhomania.
(*l*) Delatione in somnum.
(*m*) Coma vigil.

ferunt indicationes, a capite causam mali amoliri possunt, præsertim si ea penitius cerebro hæret, & si ipsum τῇ πρωτοπαθείᾳ (*n*) laboret: si enim συμπαθείᾳ (*o*), non tantis difficultatibus res implicatur. Et data opera, si otium est, quamquam ἐκτὸς τῆς ὁδοῦ (*p*), morbos ad cerebrum pertinentes breviter expedimus, & præsertim affectus soporosos. Apud Hippocratem passim reperitur λήθαργος, κῶμα, κῶμα ἄγρυπνον, κάρος, καταφορά, κατοχὴ, κατάληψις, παρακοπὴ, παραφροσύνη, παράκρυσις, μανία, ἔκστασις (*q*), & quæ ab his derivantur, ut κατανεχθέντες, καταλαμβανόμενοι, καρούμενοι, κατεχόμενοι (*r*), & consimilia: horum ideas & differentias recensere non alienum; ut scias an ex humorum varietate desumenda sit varietas rerum, & an prout nomina ipsa differunt, ita rerum distinctiones formæ & ideæ differre videantur.

Omnis morbus aut intemperies est, aut solutio continui: intemperies aut simplex, aut cum humore; humor aut biliosus, aut melancholicus, aut pituitosus, aut sanguis ipse: Intemperies simplex, aut cum frigiditate, aut cum calore, aut a siccitate: mixta vero si partim sit intemperies simplex, partim humor aliquis. Accedit & varietas partium in cerebro affectarum: nam aliud est caput affici, aliud cerebrum: quum enim cerebrum affici dicitur, vel ejus partes anteriores, vel posteriores, & quæ cum spinali medulla communicant, vel ventriculi, iique aut anteriores, aut posteriores aut medii afficiuntur: rursum vel cum febre, vel sine febre affectus est. Sic pro ista humorum, partium, & ventriculorum varietate, pro præsentia absentiaque febris res evariant: quamquam sæpe nomina confunduntur, ut sit potius de rebus, quam de verbis laborandum. Κῶμα & κάρος (*s*) fere pro eodem sumi videntur: sed tamen alia est idea καρωτικῶν καὶ κωματώδεων (*t*). Κάρον vertunt soporem, & definiunt per resolutionem imaginatricis facultatis, sensum motumque omnem adimentem excepta respiratione: causa est crassus & viscidus humor qui ventrem præsertim anteriorem occupat: sic est symptoma facultatis imaginatricis: clausi omnino sunt oculi, & privatio motus sensusque, supereſt respiratio. In apoplexia substantia cerebri potius afficitur, & ejus pars anterior posteriorque, perit respiratio. In caro ventriculus potius anterior occupatur, nec omnino perit sensus, & eo sopore discusso bona valetudo consequitur. At apoplexiam, aut paralysis aut hemiplegia excipit: ab epilepsia differt convulsione, & quod in epilepsia, & anterior & posterior juxta Galenum *ultima particul. lib. 6. Epid.* pars occupetur: & oculi sunt aperti aliquando; in catalepsi & catoche partes posteriores occupantur potius, attollunturque palpebræ. A lethargo differt, quod febris caron præcedat, (quamquam omnino carus sine febre esse potest) lethargum febris consequatur.

(*n*) Affectu primario.
(*o*) Sympathia,
(*p*) Extra viam.
(*q*) Lethargus, coma, coma vigil, carus, cataphora, catochus, catalepsis, paracope sive levis desipientia, paraphrosyne, paracrusis sive levis mentis emotio, mania, ecstasis.
(*r*) Detenti, apprehensi, soporosi, comprehensi.
(*s*) Coma & carus.
(*t*) Soporosorum & comatosorum.

quatur. Et carus ſæpe aliorum morborum ſymptoma eſt, ut initia vigoreſque febrium comitatur, præſertim quum vaporum craſſitudo cerebrum offendit obruitque, (ut *in Prorrhetico* docet Hippocratis interpres) ut in febribus pituitoſis, & iis quarum ſedes eſt circum ventriculum a collecta illuvie. Et febris quæ adeſt excitans κάρον, tamquam ſymptoma, major eſt & apparentior quam quæ in lethargo eſt: quo modo forte audiendum illud Hippocratis, qui morbos vocat ληθάργους (*u*), quorum ratio fere eadem eſt ac peripneumoniæ. Fit autem quum focus febris continuæ eſt in pulmonibus, (nam ante ex Galeno docuimus febrium focum in pulmone quoque conſiſtere) & ii obſtructi ſunt valde, & humore craſſo, putrique pleni: qui enim ab ea materia ſumi excitantur, dum obruunt anteriores cerebri partes ληθαργικόν τι inferunt, & καρῶδες, & κωματῶδες (*x*): & ab eo accidente quoniam ægri oblivioſi, ſocordes, veternoſique jacent, affectus λήθαργος (*y*) dicitur: quamquam proprie magis κάρος dici debuerat, ſiquidem omnis ſoporoſa diſpoſitio dimiſſis palpebris, libera exſiſtente κατά τι (*z*) reſpiratione, præſertim quum ſymptomatice ſuccedit, κάρος dici poteſt. Sed lethargus generali nomine dicitur, quoniam λήθαργος, τὸ λήθαργον ignavum, deſidem & oblivioſum ſignificat, ut *in arte parva* Galeni legere eſt. At lethargus proprie dictus affectio cerebri eſt, & definitur affectio cerebri a repentina oblivione nomen habens, vel delirium intermiſſionis expers cum febre, ſopore, & celeri oblivione junctum. Celeritas autem oblivionis ſignificat inæqualitatem motus materiæ in cerebro: delirium ratione febris eſt, ſopor ratione materiæ quæ generatione frigida eſt, corruptione vero calida.

2. Prorrh.

3. de morbis.

Carotica affectio ob affectos pulmones.

Κῶμα videtur confundi cum caro, ſed propter ſuas differentias debet diſtingui. Si enim carus inexpugnabile dormiendi deſiderium cum immobilitate ſignificat, ἀπὸ τοῦ κώματος (*a*) differt quod pro ſpecie habet κῶμα ἄγρυπνον (*b*): Dicitur autem veternus, & marcor: definitur deficiens & imbecillus motus facultatis imaginantis, a frigido & humido magnam ſomni cupiditatem inducens. Duplex eſt coma, ſomnolentum, & vigilans, illud lethargicis proprium, hoc phreniticis: in ſomnolento demittuntur palpebræ, ſed excitati ægri ſapiunt & reſpondent, mox deſipiunt, quod variæ imagines τῷ φανταστικῷ (*c*) repræſententur. Sic coma ſomniculoſum longe etiam differt ἀπὸ τοῦ κάρου (*d*). Galenus *in Prorrhetico* ex quorumdam, & ſua opinione dicit omnem καταφορὰν κῶμα (*e*) ſignificare apud Hippocratem, aſſeveratque hoc verum eſſe: & ſic καταφορὰ ſignificat propenſionem ad ſomnum delationemque; quamquam ſunt & qui καταφορὰν duplicem faciunt, unam ſomnolentam, aliam non ſomnolentam: proprie tamen τῆς καταφορᾶς nomine appetitus ſummus dormiendi, & ſumma

Coma quid.

Comm. ad part. 1. lib. 1. Prorrh.

(*u*) Lethargos.
(*x*) Quidpiam lethargicum.
(*y*) Lethargus.
(*z*) Secundum aliquid.
(*a*) A comate.
(*b*) Coma vigil.
(*c*) Principio imaginationis.
(*d*) A caro.
(*e*) Cataphoram coma.

ſumma inclinatio deſignatur. Et hæc de comate & caro dicta ſint. Nunc de catocho & catalepſi, qui affectus ſunt ſoporoſi, & idem ſignificant. Catoche & catalepſis a cataphora, caro, & comate differunt in hoc quod in catalepſi, & catocho ſit ſumma in ſomnum propenſio oculis apertis; in comate, caro, & cataphora committuntur oculi & palpebræ 40: & hoc plurimum intereſſe dicunt ad cauſæ diagnoſin: etenim κατοχὴν καὶ κατάληψιν (*f*) ab humore frigidiore & ſicciore originem habere dicunt, cujus ſedes eſt in poſticis cerebri partibus & ventriculis: in comate & caro anteriores occupantur, eſtque humor frigidus, pituitoſus, craſſus. Galenus Catochon ab exhauſto ſpirituum inducta refrigeratione quadam & ſiccitate in cerebrum oriri ſcribit, exemplo adducto de eo qui quum impenſius operam litteris navaſſet, ac elucubraviſſet, factus eſt κατεχόμενος (*g*). Κάτοχος (*h*) enim dicitur ἀπὸ τοῦ κατέχεσθαι (*i*), & τὰ κάτοχα dicuntur ea quæ morbum κατοχῶν inferunt, vel ſignificant morbos fixos ſtabileſque. Sunt qui κῶμα ἄγρυπνον καὶ κάτοχον (*k*), idem eſſe putant, aſſeruntque quidam proceres Medici κάτοχον, κατάληψιν καὶ κῶμα ἄγρυπνον reperiſſe ſe in eadem ſignificatione apud Hippocratem: quamquam revera differunt. Nam κάτοχον ſimplex intemperies frigida & ſicca committit κῶμα ἄγρυπνον pituitoſus & bilioſus humor committit: ideo inter phrenitin proprie dictam & lethargum ambigit. Quod ſi & catoche & coma vigilans bilem & pituitam cauſas ſui agnoſcunt, idem plane ſignificant, debent tamen diſtingui: Fernelius idem eſſe contendit. Nunc rem abſolvamus. In caro, cataphora, & comate multa eſt humiditas cum refrigeratione nervos imbuens atque diſſolvens, unde immoti & ſtupidi commiſſis palpebris manent: In catocho & catalepſi ſiccitas eſt potius quædam cum quadam perfrigeratione, & veluti evacuatio diſſipatioque ſpirituum. Et quoniam de catalepſi & catocho nil adhuc inter auctores, nec de cauſa, nec de ſede, nec quem locum habeat inter alios affectus ſoporiferos conſtare video, in his vocibus explicandis paullo accuratior ero. Primum dubitant a qua cauſa, nam alii a frigidate & ſiccitate eſſe dicunt, ut Galenus: unde differens de pulſu τῶν κατεχομένων (*l*), ait in illis privationis motus cauſam frigiditati & ſiccitati tribuendam eſſe. Alii a ſucco melancholico eſſe ajunt, & vere affectum eſſe melancholicum. Alii a ſanguine eſſe eoque multo, ut & coma vigilans quod Galenus ſcribit aliquando cauſam agnoſcere ſanguinem multum & bilem: nam quatenus multus ſua copia premens ſoporem inducit, quatenus remiſta eſt bilis, vigiliarum occaſio adeſt: & quatenus & vigilant & dormiunt κάτοχοι (*m*), & cataleptici, medium quid eſſe putant inter phrenitin & lethargum. Et revera confundunt catalepſin cum typhomania, quam quid mixtum diximus ante ex Galeno, ex phrenitide & lethargo. Atque in primis audiamus

Comm. in part. 56. lib. 2. Prorrh.

Catoche & coma vigilans quid.

Comm. in part. 1. lib. 1. Prorrh.

(*f*) Catochen & catalepſin.
(*g*) Catalepticus, detentus, apprehenſus.
(*h*) Catochus.
(*i*) A detinendo.
(*k*) Coma vigil, & catochos.
(*l*) Catalepticorum.
(*m*) Catochi.

mus Aëtium, deinde ceteros adducemus: nam & Aëtius, & Fernelius, & Galenus & Rondeletius suas habent historias de catalepsi, quibus colligas modo ab his, modo ab illis causis pendere: ut tandem nil de catocho & catalepsi definitum exsistat. *Media est affectio inter phreniitidem & lethargum, species delirii, Medicis catoche & catalepsis dicitur, ex humore atræ bilis magis contingens. Periculosior est quam lethargus, verum in febribus lethargo similibus consistit. Aliquando dormiunt, aliquando palpebras apertas habent, aut nictant, aut intentos oculos habent: immo immobiles habent, ut neque si quis oculis manum obtundat, claudant; voce & sensu privantur, nec audientes, nec respondentes. Et quum vellicantur admovent aliquando manum ad nares & os, & tamen non sentiunt. Pulsus parvus & debilis: Spiritus densus, aliquando rarus: per intervalla magnus: Alvus & urinæ ob stupiditatem supprimuntur: nec omnino phreniticis similes sunt nec lethargicis.* 42. *Quandoque ob sanguinis multitudinem caput occupantis & implentis malum fit: ita sanguine abundanti adolescenti contigit. Factus enim vere catalepticus quarto die evacuato multo sanguine liberatus est.* Ex hoc loco patet tum a sanguine catalepsin oriri, tum a quapiam alia causa: ideo dixit in febribus lethargo similibus evenire: ac si dicat febrem in lethargo essentialem esse, in catalepsi symptomatica non est febris, nec essentialis cum catalepsi ut est cum lethargo, sed catalepsis ipsa symptomatice in febrem incidit.

Aëtius cap. 4. sermo 2. Tetrab. 2.

Historia Aëtii de adolescente declarat a sanguinis copia esse catochon: supra demonstravimus ἀφωνίας (*n*) a repletione esse. Catochus autem sine febre ἀφωνία est. Historia Galeni superius adducta *ex Prorrh.* de condiscipulo qui in vigilaverit chartis, declarat catalepsin esse per quamdam refrigerationem & squalorem τοῦ πρώτου αἰσθητικοῦ (*o*). In vero somno refrigeratio quidem est, sed humectatio mediocris non reddit animantem inexcitabilem: at in catalepsi siccitas & marcor quidam reddit inexcitabilem. Historiæ sunt aliæ apud Rondeletium quibus colligas a succo esse melancholico catalepsin, aut veluti a melancholia morbo. Narrat de puella quæ quum eum cui nupserat parum amaret, eo affectu correpta est præ mœrore 43: quum absens erat maritus aut de eo nil audiebat, restituebatur; audito ejus nomine, corripiebatur: & quum ferret hydriam recordans mariti in via sedebat, oculos apertos habebat, larvam, aut arte statuam effixam dixisses: non movebatur, non quicquam interrogata compulsaque respondebat. Vere erat morbus iste quem Hippocrates φροντίδα vocat, Latine, cura & anxietas sive ægritudo animi dicitur: ut quemadmodum ἄσα (*p*) est corporis, sic φροντὶς est animi: & ἀλύκη (*q*) utriusque est: φροντὶς autem affectus vere est melancholicus. De eo nos dicturos amplius pollicemur.

Rondel. cap. 20. lib. Methodi medendi.

Historia mirabilis.

2. de morbis.

At contra ea quæ dicta sunt occurritur bifariam: prius quod nec frigiditas & siccitas catalepsin inducat, ut nec melancholicus succus: posterius nec

(*n*) Aphonias.
(*o*) Primi sensorii.
(*p*) Fastidium, implaciditas sui.
(*q*) Inquietudo, anxietas.

nec item ſanguis. De frigiditate & ſiccitate ea eſt ratio : catalepſis cito hominem occupat, item & cito aliquando ſolvitur : at frigiditas & ſiccitas non cito inducitur, ergo nec affectus eis congener cito inducetur. Nam quod a Galeno dictum eſt de epilepſia, idem & de catalepſi dici poteſt : verba hæc ſunt, *Verum non ab ariditate & vacuatione epilepſiam generari, ſed a ſucco craſſo vias ſpiritui obſtruente, hoc eſt argumentum quod & cito fiat & ſolvatur.* Quomodo ergo inanitis per vigilias ſpiritibus, refrigerato & evacuato cerebro marceſcenteque catoche ſubito inducetur ? Revera illo loco Galenus agit in eos qui epilepſiam naſci putabant ab ariditate, ſquallore, & veluti hectica intemperie cerebri ipſius. Galenus vero inſtat, quoniam hoc repugnaret facili epilepſiæ generationi invaſionique, & facili ſolutioni : ergo eſt potius ab obſtructione in ventre aliquo, non ab intemperie cerebri. Tamen idem de catocho videtur dici poſſe, præſertim quod ſpectat ad exhauſtum ſpirituum & refrigerationem ſiccitatemque cerebri. Nam de humore melancholico aliud eſt : Quis enim dubitat quin humor melancholicis poſſit catochon inducere, eo modo quo melancholiam morbum ? Et quum epileptici fiunt melancholici per diffuſionem materiæ in corpus ipſius cerebri, non in ventres, an ut melancholici fiant multum temporis requiritur ? Nequaquam. Ratio vero eorum qui Aëtium arguunt quod ſtatuat catochon a melancholico ſucco eſſe, eſt, quod non omnes melancholici fiunt cataleptici, frivola eſt, irrita & inanis : nam quemadmodum non omnes qui impenſius vigilant, nec qui multo ſanguine abundant cataleptici fiunt, ſic nec omnes melancholico ſucco abundantes in catochon proni labuntur. Nunc expediamus quomodo catochos de repente oriatur, tametſi cauſa eſſe videatur refrigeratio, marcor & ſiccitas cerebri, ut hiſtoriæ vigilantium immodice detexerunt.

Cap. 7. lib. 3. loco. aff.

Qui epileptici fiant melancholici.

Ego vero ſic ſentio : catoche quadrifariam poteſt occupare cerebrum, & actiones quæ a cerebro ſunt labefactare. Primum per præſentiam humoris ; ſecundo per intemperiem ; tertio per reſolutionem & primigenii humoris, & ſpirituum primigeniorum cerebri abſumptionem, ut quid hecticum in cerebro eſſe videatur : id eſt, ſecundus modus fit per alterationem, tertius per alienationem, ut exemplis patebit : quarto per fortem aliquam imaginationem rei triſtis, ut ſpirituum animalium vel fiat conculcatio oppreſſioque vel diſſipatio : quomodo tunc melancholia dicitur, & cum affectibus melancholicis congruit : eo modo quo prius citavimus ex hiſtoria puellæ maritum odio habentis, & ex Hippocrate quum diſputat περὶ φρονιτίδος (r) : quæ omnia niſi ad unguem tenueris, de catalepſi nil umquam certum habueris. Maxime vero ad veram eſſentiam catalepſeos non tam præſentia humoris requiritur, quam eæ intemperies, & anxietates ſollicitudineſque animi de quibus diximus, concurrente maxime corporis & cerebri temperamento, ut corpus ſit ſiccius, ſtrigoſiuſque. Præſentia humoris eſt vel ut ſit ſanguis, vel ut ſit ſuccus melancholicus. Sanguis bifariam, vel ſua quantitate premens, vel qualitate, id eſt, ut mora in cerebro per vigilias, aut mœrores melancholici humoris naturam

4. Modis catoche fieri poteſt.

 acquirat,

(r) De cura & anxietate.

acquirat, fluorem enim facile ſuum & nitorem ſanguis amittit. Sua quantitate dum ſanguis prehendit premitque cerebrum, præſertim ſi libera eſt reſpiratio, utpote partibus obſeſſis poſterioribus, & ſi juvenis eſt, qui quum non facile obruatur & ſtupidus jaceat, a copia ſanguinea preſſus, veluti vigilans manet: tunc catalepſis ſanguinea dicetur, & ad κῶμα ἄγρυπνον (s) proximitate accedit.

Sin qualitate potius ſanguis peccat, tametſi prius eſſet laudabilis, melancholica catalepſis dicetur: fit autem quum plenitudo eſt aliqua in cerebro ad vires, quam quum natura non regit, dum moram trahit, ibi ſanguis facile immutatur, præſertim ſi quis calor alienus adveniat, ut tota affectio κεφαλικὴ (t) eſſe dicatur. Et quemadmodum corpora ſanguinea, ſi effluvium non habent, melancholica redduntur: quod in toto corpore fit, id in capite fieri poteſt: ut particularis 44 fit ſuppreſſio, & ob congenerem ſuppreſſionem morbi congeneris generatio, quo in ſenſu Hippocrates dicebat: *Faciei color bonus, & mœſtitia multa, malum:* quo loco Galenus demonſtrat quomodo ἐξέρυθροι (u) melancholici fiant, quum facile ſanguis aduratur, & ſucci melancholici naturam acquirat: quæ *in eo Com.* ſcribuntur huc maxime pertinent: Maxime vero ſanguis in capite immutatur, ſi quis aut natura ſit melancholicus, aut ex eventu, & non ἄνευ φανερᾶς προφάσεος (x). Nam quum melancholici, utrovis modo ſint, perpetuo aliquid animo verſent atque volvant, facile ea cura, agitatioque ſanguinis mutationem conciliat: atque eo modo tales in catalepſin proni ſunt, præſertim vero ſi qua cauſa extrinſecus adventarit, quæ ſemen morbi ipſius ſepultum excitaverit: & tales catalepſes repente poſſunt incidere, quemadmodum & epilepſia, & apoplexia. At non ſic quæ ab intemperie frigida & ſicca, aut quæ a reſolutione, aut a mœrore, quas explicare conſilium eſt. Si quis avidius & diutius incumbit chartis, præſertim ſi noctes inſomnes ducit, diſſipatione ſpirituum & ſiccitate præſertim humorum fluentium & ſpirituum, rigidus poteſt manere & catalepticus, quaſi in cælum raptus 45. Sic non eſt quod ii argutuli requirant longum valde tempus ad inducendam iſtam intemperiem frigidam & ſiccam, & præſertim quod pertinet ad alterationem, & fluentes tum ſpiritus & humores. Quid enim tam facile diſſipatur, inſtauratur quam ſpiritus? Teſtantur ii qui ſtatim expalleſcunt & diſſolvuntur, guttula vero vini reſurgunt & ad ſe redeunt. Et dum quis ita exhaurit labore cerebrum, jam rudimenta futuræ catalepſeos habebat, prout perſeverabat effluvium ſpirituum; ſed malum non apparuit, quamdiu jam partes ſolidæ invadi cœperunt. Sunt enim quidam morbi qui non prius apparent quam jam tacite clamque aliquot tempora percurrerint, & quum nos prehendunt, jam pæne in vigore ſunt. Quod de dipſaco elegantiſſime & ſubtiliſſime Galenus docet, ait enim diabeten qui affectus eſt renum non protinus dignoſci: ſed quoniam renum naturale eſt deſiderium, & ab eo ſenſus noſtri non

Part. 14. lib. 2. Prorrh. Gal. cap. 7. lib. 3. loc. aff.

Quæ catalepſis repente non incidit.

Cap. 3. lib. 6. locorum male affectorum.

(s) Coma vigil.
(t) Capitalis, cephalica.
(u) Prærubri.
(x) Sine manifeſta occaſione.

non afficiuntur, etiam quum ad ſtatum venit, ne percipitur quidem. Quum caninæ appetentiæ (quæ analogia reſpondet diabetæ) non accidit, quia enim ventriculus animali deſiderio tenetur, protinus ejus affectiones deteguntur & apparent. Itaque quod de dipſaco diximus, idem de catalepſi, ea præſertim quæ intemperiem frigidam ſiccamque cerebri ſequitur, dicemus: quum enim profert, jam principium morbi videtur elapſum, & vigor adeſt, in perpetuo enim tenore malum perſeverat. Eſt & alia catalepſis a quadam reſolutione per alienationem cerebri, & ea repente incidit, ſed non ſolvitur facile, immo letalis eſt. Quod repente incidat, id audiendum eſt quoad ſenſum, non quoad generationem: nam occaſio cauſaque fovebatur ſenſim, ſed affatim malum ſeſe repræſentat: unde quum nos alloquimur ægros, videmus eos ſtatim mutos, & oculis apertis catalepticos fieri, diſpoſitione hectica jam contracta, & vitio impreſſo partibus ſeſe ſtatim proferente. Ante docuimus duplicem eſſe phrenitin, unam manifeſtam in alteratione cerebri, alteram occultam in alienatione: & hæc deterior eſt. Idem de catalepſi dici poteſt. Proprie autem catalepſis, quatenus ſpeciem morbi efficit, propter alienationem contingit, ut non ſolum ſpiritus & humores fluentes vim paſſi ſint, ſed & in partibus ſolidis ipſius cerebri nota inuratur. Talis catalepſis in morbos longos, & febres incidit, quum diſſipatio facta eſt animalium ſpirituum, calor naturalis imbecillior factus, & hectica diſpoſitio inducta in cerebrum. Dicam quod nobis videre contigit. Servus equitis Torquati totam hiemem quartana duplice cum febre lenta laborarat: exhauſtus & marcidus pæne erat: repente catalepticus factus eſt ſqualidis & ſiccis redditis ſpiritibus: ſic generatio longa fuerat, ſed invaſionis modus ſubitus fuit, ſed non eſt ſolutus morbus niſi cum morte. Sic quum requirunt argutuli ad generationem catalepſeos neſcio quid ut cito fiat & ſolvatur: revera quæ per reſolutionem fit, non ſolvitur cito, quia ab exhauſto eſt, ſed longam habuit generationem. Et eo modo docuimus ante Galenum quodam in loco ad phrenitidis generationem longum quoddam tempus requirere, in alio docet etiam ſubito fieri. Sed nodus hic ſolvendus eſt priore modo explicato. Filius Domini Povart, Conſulis Regii, catalepticus interiit, quum duos menſes tertiana laboraſſet, & pæne extabuiſſet. Et revera, ut plane fatear, ut repente adoriatur catalepſis, non tam facit ſicca intemperies, & ſqualor (nam potius ad tarditatem invaſionis faceret) quam motus quidam ſymptomaticus qui quodammodo ſuſcitat, impellit, & animat malum hoc quod in viſceribus & medullis latebat: unde iſte puer catalepticus capite dolebat ante, & in ipſo morbo catocho tantus ardor percipiebatur, ut manum ureret. Sic diſpoſitio ad catalepſin in capite ſota alitaque ſeſe protulit per translationem ſymptomaticam cujuſdam venenati vaporis, aut natura ſeſe in cerebrum exonerante, & morbi ſarcinam deponere volente. Et tales catalepſes ſunt ab exhauſto. De iis audiendus *Aphor.* Hippocratis: 46 *quæ cum exſolutione fiunt & catochæ & aphoniæ, perniciosæ*: ſequuntur enim ſummam paupertatem caloris naturalis, & naturæ imbecillitatem, ſuntque mortis paranymphi. Quarta ſpecies catalepſeos ſequitur fortem imaginationem rei ali-

Vera catalepſeos eſſentia.

Qui fiat Catalepſis ſub finem morborum.

Part. 4. lib. 3. Prorrh.

cujus præsertim tristis, & animi concussionem ægritudinemque, ut viduis accidit aut mœrore confectis, aut paventibus & metu consternatis: semisideratæ manent, oculis apertis, & corpore immobili: ideo pace Rondeletii dicam, id quod puellæ acciderat congressum mariti repudianti fuit quidem catalepticum: sed non tam humorale fuit, quam ut sic dicam mentale & spirituale. Putat id fieri a sanguine qui in succum melancholicum conversus fuerat: ego vero potius animi πάθημα (y) fuisse judico per vim fortem imaginationis quæ efficit ut à nobis quodam modo abripiamur, & extra nos simus, quod non animadvertere eos qui Aëtium reprehendunt miror. Quamquam fieri quidem potest ut humorum & natura, & propensitas corporis ad id concurrat. Et in eo sensu audiri potest quod Hippocrates *in Aphoris.* dixit ut ante enarravimus: *Si quis de repente obtumescat, & linguæ incontinens fiat, id melancholicum est.* Rondeletius contra eos egit qui a sanguine esse negant.

Huic disputationi finem colophonemque addituri pauca adjiciemus ad ea quæ dicta sunt. In caro læduntur actiones quæ sunt in cerebro, in apoplexia eæ quæ sunt a cerebro. De coma hoc quoque sciendum ex sententia Aëtii, quod nascatur sæpissime ex calidis & humidis vaporibus qui a cerebro efferuntur. Cur autem Linacer coma verterit marcorem, non video, nisi quod marcere significet torpere, item languore atque inertia teneri. Celsus quum de lethargo loquitur, ait, in hoc marcor est, & inexpugnabilis dormiendi necessitas. Nomen κώματος ἀπὸ τοῦ κωμάζειν derivant, quod est crapulæ & comessationibus indulgere: forte quod κωμάζοντες (z) facile in talem morbum incurrant. Unde nescio quid in mentem venerit Suidæ, ut non κῶμα, sed κάρον definiverit ex vino ebrietatem, & gravem cum mentis impotentia soporem, Græce καταφορὰν (a). Nisi quod κάρος dicatur ἀπὸ τῆς κάρης, id est a capite, quod facile δι' ἀὰ τὴν οἰνοποσίαν (b) læditur atque offenditur. De catalepsi quoque hoc sciendum: non omnes Cataleptici eodem se modo habent: una enim est absoluta, in qua torpidum & marcidum omnino corpus manet; altera non absoluta in qua partes etiam aliquæ sua munia obeunt.

Cap. 6. Tetrab. 2. serm. 2.

Diversa catalepseon Idea.

Dextras partes dolere narrabat.

3. de morbis cap. de pleuritide ex dorso.

Locus est satis insignis apud Hippocratem, qui difficultate non caret: Disputans enim de Empyicis ait, *optandum potius esse ut sectio fiat in sinistris partibus quam in dextris: nam dextras urere aut secare letalius est: quanto enim robustiores sunt partes dextræ, tanto fortiores in ipsis morbi fiunt.* Quæ an vera sint, quoniam hoc longius patet, ipse videris.

Olim

(y) Passionem.
(z) Crapulæ & comessationibus indulgentes.
(a) Cataphoram, in somnum delationem.
(b) Propter vinolentiam & meri ingurgitationem.

Olim ſanguinem ore rejectaverat.

Ex ore ſanguis multis modis rejicitur, vel quia e gingivis, vel quia ab aſpera arteria, vel a capite fluit, vel quia e corpore pulmonis, vel e ventriculo excernitur. *In libris de loc. aff.* notas dat quibus ſcias vel hinc, vel illinc fluere. Quod nobis metum attulit, fuit illa vetus rejectio ſanguinis e pulmone quum jamdiu laboraviſſet. Et ideo quum phthoe, vel ulcus ſæpe conſequatur hæmoptoicos, latentis abſceſſus in pulmone erat ſuſpicio. Ita enim Hippocrates omnem excretionem ſanguis e pulmone ſuſpectam habet, ob ea quæ conſequi ſolent: quamquam Hippocrates dioriſimo utitur, *Qui ſanguinem evomunt, ſi ſine febre ſalutare, ſi cum febre malum*: Nomen σωτηρίη τὸ δυνάμενον θεραπευθῆναι (*c*) ſignificat. Galenus *in Com.* non vult verbum ἐμέουσι (*d*) ſignificare excretionem e pulmone, ſed vomitionem proprie ſanguinis audiri, tum quod ſanguinem vomere minus malum ſit quam e pulmone educere, tum quod omnis e pulmone eductio, ait, mala ſit: nam ſi febris non adſit, etiam periculum eſt ne non cito curetur; ſi malum duraverit, brevi febris aderit. Tamen *in Coacis* non utitur verbo ἐμέειν (*e*), ſed πτύειν (*f*). *Sanguinem ſpuentibus*, ait, *confert, ut ſint ſine febre, leviter doleant, ſputum tenue ſit ad dies bis ſeptem; febrire, tuſſire contumaciter, & recentem ſemper ſanguinem excernere, malum*: quamquam proprie de pulmonibus loquens utitur etiam *in Coacis* verbo ἐμέουσι. Rejectio e pulmone ſi ſit tantum per anaſtomoſin aut diapedeſin, non ita mala eſt, ſi per διάβρωσιν (*g*), omnino ſuſpecta eſſe debet. Et nos biſariam dicemus e pulmone ſanguinem rejici poſſe, uno modo loco hæmorrhagiæ, altero ad exonerationem partis alicujus in qua grave aliquod periculum crearetur. Inveniuntur quibus occluduntur viæ ad nares. Si ſanguis non abſumitur in incrementum loco hæmorrhagiæ e pulmone educitur ſanguis innocue, item & in quibuſdam ſanguineis, aut in mutilis hæmorrhoidon loco. Et in eo ſenſu Celſus rejectionem ſanguinis ex aſperis arteriis, immo & per penem, non omnino damnat, præſertim ſi febris non adſit, aut per commodum alium locum fluere deſiit. Locus Celſi præclarus eſt valde. Altero modo ſanguis expectoratur in hepaticis & lienoſis, lienoſis per cœliacam, ut contigit filio 48 Præſidis Pariſienſis. Is ſanguinem affatim expectorabat: omnia pæne pulmonum vaſa rupta putabantur, & periculum tabis adeſſe putabant: tandem dum forte contingitur hypochondrium ſiniſtrum, percipitur pulſus in ea parte, & palpitatio: tunc hic latere fontem mali putant: & tractum ductumque ſanguinis manu percipiunt. Conſultum eſt lieni: multum & valide repurgatus, ceſſavit palpitatio & pulſus, item ſanguinis rejectio. Ceterum credibile ſanguinem & ſpiritum ibi compreſſum & conculcatum fuiſſe, & propter cruditates cacochymiamque veluti obſeſſum, unde ſucceſſiſſet neceſſario aneuryſma. Accedit quod nondum ex ephebis exceſſerat, & quum laute viveret, multus erat ſanguis qui

Aph. 37. lib. 7.

Cap. de Tuſſi lib. 4. ſed hoc deſumſit ex lib. 2. Prorrh.

(*c*) Quod potens eſt curari.
(*d*) Evomunt.
(*e*) Evomere.
(*f*) Expuere.
(*g*) Eroſionem.

qui quum per nares non evacuaretur, aliam rapuit viam. Ita legimus a suppressione mensium pulsum ad partes uteri paruisse: ut in uxore Gor-
5. Epid. & 1. giæ. Et in uxore Philini pulsus in hypochondriis aderant ob cruditates, ait Galenus: In hoc & erat suppressio sanguinis, & cruditas: quod de filio illo consulis dictum est, idem nostro ægro evenire potuit, ut illa sanguinis rejectio non tam vitium pulmonum sequeretur, quam copiam & orgasmum sanguinis in præcordiis, & propter affectiones melancholicas 49.

Venam secuimus: a secta vena repetit malum.

In ἀφώνοις (*h*) dubitant valde Medici an sectioni venæ locus sit. Hip-
Part. 3. sect. 1. lib. 3. Epid. pocrates non omisit sæpe: immo eam advocat in eis affectibus. Et Galenus non abs re Hippocratem phlebotomiam amasse ac frequenter celebrasse auctor est. Sed ut summus & prudentissimus fuit, non nisi tempore, jure, & loco id fecit. Si quæ ante dicta sunt animo comprehensa fuerint, jam aliqua ex parte tibi hac in re satis erit factum. Docuimus enim inter ἀφώνους (*i*) quosdam omnino refrigerari, quosdam calefieri, alios omnino immobiles esse, alios aliquatenus mobiles: rursum quosdam fieri per venarum interceptiones, alias per oppressionem magnam, alias per summam debilitatem & quamdam caloris naturalis oppressionem, & velut extinctionem, in quibusdam dominari crudos valde succos, in aliis non. Itaque ut non est eadem idea morborum qui τῆς ἀφωνίας (*k*) nomine continentur, ita non iisdem idem remedium, & præsertim venæ sectio congruit. Præterea eodem in loco docuimus Hippocratem in iis morbis προπαρασκευὴν (*l*) desiderare, alias non. Immo & in morbis istis frigidis con-
Comm. in part. 23. lib. 4. acut. vulsiones corpus quatientes commode eveniunt, ut ante adduximus. Hippocrates *lib. 4. acutorum* scribit: *Quum quis repente obmutescit, id venarum interceptiones faciunt, si sano absque forti occasione id contigerit: Venam igitur internam brachii dextri secabis.* Nam *in sequenti Aphorismo* docet notas abundantis sanguinis, & tunc audacius venam reserabis. Sed paullo post, quod valde notandum est, dum meminit epilepsiæ, apoplexiæ, paraplexiæ, per commotionem humorum factæ, deinde διὰ τὴν στάσιν, id est stationem, ob egressum humorum a propriis vasis, scribit 50: *talibus prius adhibitis fomentis venam statim aperies, quum nondum fixa sint omnia, quæ contristant, tum spiritus, tum fluxiones. Facilius enim remediis patent.* Sic in duobus istis locis non longe a se dissitis ἐν ἀφωνίαις (*m*) primo quoque tempore venam secat, nulla præparatione præmissa, in aliis utitur præparatione. Revera summus vir nullas rerum distinctiones omittit. Et
2. de morbis. *in lib. de morbis* dum loquitur de morbo attonito ait: *Hunc attonitum si sic habuerit lavare oportet multa calida, & quam maxime calefacere & aquam mulsam tepidam in os instillare. Hoc autem maxime faciundum, quum humorum*

(*h*) Aphonis.
(*i*) Aphonos.
(*k*) Aphoniæ.
(*l*) Præparationem.
(*m*) In aphoniis.

morum congelatio ac concretio est. Quamquam Galenus videtur contentus sola frictione, non fomento, quoniam non ita semper concrevit sanguis ut effluere non possit. Sic post frictionem phlebotomiæ locus esse potest. Et *in Epid. Quicumque de repente voce destituuntur, si sine febre fuerint, iis statim venam secato*: quæ omnia conveniunt cum iis quæ dicta sunt *ex lib. 4. acutorum.* Et mirum est cur voce destitutis venam aperit, si sine febre sint, quum potius febris ipsa ad phlebotomiam hortari debeat: in quo tacite reprehendit Medicos qui quum febrem percipiunt, statim dicunt se saltem ratione febris secare venam: at errant valde; quia Hippocrates vim remediumque ponit in febre, præsertim si sit analoga morbo: mirorque aliud omnino sentire Hippocratem, aliud nostros homines agere. Sed de ea re forte dicturi sumus. In eodem *lib. 2. Epid.* phlebotomiam in epilepsia celebrat, ejus verba sunt, τάμνειν τὰς εἴσω τῦ νεσήματος τῦ μεγάλυ ἐν τάσει γινομένυ: *Secabis venas interiores, si magnus morbus in intensione est.* Illud est obscurum, ἐν τάσει (*n*): Epilepsia videtur inter morbos numerari quos ἐθάδας (*o*) Hippocrates vocat, quod redeant periodo. Sed ut rem brevi finiam revocaturus Lectorem *ad Com. Foesii in lib. 2. Epidem.* Epilepsia morbus acutus est, & chronicus. Acutus bifariam, tum ratione paroxysmi præsentis in quo convelluntur ægri; & si numquam adorsus est: nam ut Celsus annotat, quum numquam solitus est quemquam prehendere, sæpe hominem consumit: quod ex Hippocrate desumsit, qui ait senes maxime epilepsia perire, si numquam correpti fuerint: adeo vehemens hic morbus est, maxime si quis ejus insolens fuerit. Chronicus est quia sæpe redux est, & homini συναποθνήσκει (*p*), ut loquitur Hippocrates. Quum ergo dixit Hippocrates secandam venam in epilepsia dum in intensione est, credo Hippocratem non tam de morbi ipsius curatione agere ut eum phlebotomia tollere velimus, quam ut occurramus periculo quod nunc adurget: ac si dicat, dum vexat accessio ipsa & premit rediens morbus, venam secare bonum ad amotionem præsentis periculi: quod Aretæus præstat in curatione epilepsiæ. Nemo enim dubitat Galenum & Hippocratem in epilepsia secare venam ad antevertendum paroxysmum: sed modo ex Galeno colligas secari debere malleolum, modo brachium: & ita sibi parum constat. Sed eam difficultatem diremimus *in primo libro Consiliorum capite de epileptica muliere*: hoc valde animadvertendum est. Atque ita ἐν τάσει γινόμενον (*q*) interpretamur, ceteri suo utantur judicio. Et ut ad rem redeamus, in hoc nostro ægro venam aperuimus juxta doctrinam Hippocratis, quod translatio esset symptomatica. Aetius in catocho & catalepsi, de quibus dictum est paullo ante, præsertim quum affectus sunt a sanguine, statim venam secat: sed quum ab alio humore sunt, videtur eamdem sectionem aversare 51. Quod autem paroxysmus redierit statim vena secta, non existimo sectionem venæ id per se effecisse, sed quum morbus valde premeret, omnia confuse & tumultuarie acta sunt: & tunc

Sect. 5.

In libris de morbis mulierum.

Cap. 4. Tetrab. 2. serm. 2.

 secta

(*n*) In intensione.
(*o*) Consuetos.
(*p*) Commoritur.
(*q*) In intensione genitum.

secta vena est, quum paroxysmus redire deberet. At nondum de circuitionis tempore nobis certum erat.

Cœpit stata periodo reverti, idque noctu.

Longum arduumque esset de periodis morborum disputare 52. Nec enim id hoc loco tractandum est: ne omnia uno loco simul explicentur. Solum duo nobis sunt explicanda an quod periodo malum rediret, aut dispositionem partis, aut humoris proprietatem sequeretur. Quum malum in cerebro sedem habet causamque fixam, fere non intermittit, ut quidam putant: in eoque distinguunt cerebri affectionem per protopathiam, ab ea quæ fit per sympathiam, quod illa stabilis sit, hæc instabilis & fugax: sic distinguunt deliria phreniticorum, ut ante dictum est, ab iis quæ in febres continuas symptomatice contingunt, quod hæc fugacia sint, hæreantque minime, illa vero stent permaneantque: quamquam nec hoc verum est, nisi forte in acutis 53. Nam quum febris urget, aut dolor capitis, si causa hæret cerebro fixaque est, ea habet fixa symptomata, facta comparatione cum iis quæ a causa pendent extra cerebrum posita. Sed in chronicis, quoniam cuique humori sua est periodus & ῥοπὴ (r), non est necesse perpetuo malum sævire, licet in cerebro diathesis sit, aut humor: sic dolores dentium exacerbantur hac aut illa hora, tametsi causa in cerebro loco proximo denti affecto lateat: & ophthalmia certo quodam tempore exasperatur, licet causa in procinctu fuerit. Unde quæstio est subardua, an intermissio in ægro demonstrarit aut in cerebro dispositionem esse, causamque latere, an aliunde manere. Nam est quibus actu mens ægrotat, ii non perpetuo delirant, sed τὰ πολλά (s). Quod si ut plurimum fiat, non necessario in cerebro causa posita esse videtur: nisi forte aliud esse dicas intermissionem, aliud remissionem. In morbis quorum aut causa, aut διάθεσις (t) in cerebro locatur, est potius ἄνεσις, remissio; in morbis quorum causa longius posita est, intermissio esse videtur. Et quocumque in loco humor positus fuerit, certas tamen habet inclinationes, quum antea docuerimus nil in natura sine ordine & circuitu fieri: unde alii morbi nocturni, alii diurni, alii matutini, alii vespertini exsistunt. Et quod huic nostro ægro maxime media nocte malum exacerbaretur, & jam in suspicionem male affecti pulmonis venisset, illud suppurati nobis opinionem fecit: Si id verum quod scribit Hippocrates: *Profecto*, ait, *in omnibus suppurationibus, & his quæ circa oculum sunt, dolores sunt ad noctem.*

3. Epid. Histor. de Trinone Damonis filio.

Restitutus narrabat.

Vere hoc totum quod huic ægro contigit catalepticum & catochon esse videtur: nam οἱ κατεχόμενοι (u), ut Galenus docet, quum soluti sunt paroxysmo,

Comm. ad part. 55. sect. 2. lib. prior. Prorrh.

(r) Inclinatio.
(s) Ex intervallis.
(t) Dispositio.
(u) Detenti, apprehensi.

paroxyſmo, meminerunt eorum quæ acta ſunt, quodammodo audiunt, & actionum quorumdam recordantur.

Febre carebat.

Polliciti ſumus ante dicturos nos cur Hippocrates ſæpe dicat, abſque febre, ἀπύρως, ἀπυρέτῳ ἔοντι 54: quoniam indicationes ſumuntur ex eo quod febris adſit, vel non adſit. Et ut prius annotavimus *ex ſecundo Epid.* ſecat venam in aphonia ſi ſine febre ſit: quaſi velit in aphonia febrem quodammodo dehortari phlebotomiam. Id autem propterea fit quod ſi febris adſit, ea cruditatem ſucci poſſit diſſolvere atque quodammodo coquere: ita epilepſiam quartana ſolvit, & tetanum febris, & febris item commode aliquando convulſioni ſupervenit. Et Hippocrates ſcribit: Subitaneis apoplexiis, ſi febris mediocris adſit (quod Græce λελυμένως ἐπιπύρετι τείνειν (x) vocat) perniciosum, ut Numenii filio. Acuit enim potius humorem, & deteriorem facit, naturamque debilitat, non autem diſſipat, & frigus corrigit. Accedit quod quum parva eſt febris & multus humor crudus, plus fumi excitatur & minus diſcutitur. Et alibi paſſim calor febrilis dolores hypochondriorum ab obſtructione, aut frigida materia natos ſolvit: quod eſt audiendum quum febris eſt potius ſymptomatica, quam eſſentialis, & quum in caloris potius non putrentis exceſſu, quam in putrente, ut ſic dicam, calore conſiſtit. Nam quum in putri materia accenditur, quoniam putredo inimica eſt naturæ, major noxa naturæ infertur. Et miror, ut ante dictum eſt, Medicos adeo ignaros ut in apoplexia, epilepſia, vertigine, paraplegia, quum vident percipiuntque febrem, juſte venam ſecari oportere putent: & in ſuis deliberationibus a febre ipſa ſecandæ venæ indicationem ſumunt: immo quia adeſt febris, a phlebotomia eſt temperandum. Ac mehercle videndum, cur in quibuſdam affectibus abſentiam febris commendet, ut quum loquitur de ſanguinem ex ore rejicientibus, in aliis vero ejuſdem præſentiam febris laudet. Niſi forte quis dicat, Hippocrates quum dixit: Si quis ſit aphonos ſine febre, venam ſecato, vocem & dioriſmum iſtum, *Abſque febre*, non tam addi ut ejus præſentia phlebotomiam dehortetur, quam ut nobis tacite aliquid demonſtret, nimirum ſi febris ipſius aphoniæ cauſa eſt, non ſecabis venam, non quod fortaſſe non locus eo in caſu phlebotomiæ ſit 55, ſed quod indicatio curandi non ab aphonia, ſed a febre capienda ſit. Febris enim forte phlebotomiam, forte aliud remedium indicat. Sed aphonia ipſa per ſe, quatenus talis, ſine febre, ut febris ipſa nil indicet, phlebotomiam poſtulat. Exempli cauſa ſputum ſanguinis poſtulat ſectionem venæ, niſi ſit pleuritis, nam pleuritis diſſuadet: quaſi vero in pleuritide non ſit ſecanda vena: immo tunc ſecandi capitur occaſio, quum ſputum cruentatur. Cur ergo ait pleuritin indicare ne ſecetur vena in ſputo ſanguineo? hoc non vult Hippocrates: quamquam littera id videtur indicare. Sed conſiderat ſputum cruentum, vel ut morbum, vel ut ſymptoma: ut morbum quum

Error Medicorum.

Aph. 37. lib. 7.

Part. 44. ſect. 3. lib. 6. Ep. vide Com. ad Aph. 16. lib. 1. Aph.

(x) Exſolutè paralyticè febricitare.

est proprio vitio pulmonis, & tunc αἱμοπτοικοὶ καὶ ἀναφορικοὶ (y) dicuntur 56; ut symptoma quum fit ob pleuritin. Quum enim fit ob pleuritin, non ex se postulat phlebotomiam, est enim ipsa pleuritis quæ forte postulat, aut non: Nam quum medendi pleuritidi alia ratio sit quam per phlebotomiam, fieri potest ut sputum sanguinis nullo modo phlebotomiam indicet, quatenus symptoma est; quatenus morbus, omne sputum cruentum phlebotomiam insinuat.

Spiratio frequens, non magna, rara, licet deliraret.

Aëtius quum disputat de catocho varias spirandi difficultates explicavit: ait enim, spiritus densus, aliquando rarus, ex intervallis magnus: quod in hoc ægro contigit. Ac primum quod magna difficultas esse debeat in affectibus partium in ventre contentarum, non solum in thoracis partibus (quod male quidam autumant) primum ex Galeno patet: *Perspicuum est quod ventriculus, peritonæon, splen, hepar, alvus, superiora tenuia intestina, & musculi præcordiorum in magnis thoracis motibus dolore vexantur, minus in parvis. Ob id parvus & densus, non solum in pleuriticis, sed in ventriculi doloribus & totius ventris, spiritus erit. Minus vero prout eis sensus minor est.* 57 *Consimiliter respirabunt qui hepar, aut splenem, aut aliquod ex eis membrum affectum habebunt: Omnia enim talia, partim appensa, partim agnata respiratoriis instrumentis, ad horum motum commoventur. Omnino autem densus & parvus spiritus signum est doloris omnium animalis particularum quæ juxta respirationem commoventur.*

Cap. 12. lib. 1. de diff. resp.

Quæ hoc loco dicuntur a Galeno valde sunt notanda; fere enim omnes quum difficilem respirationem vident, accusant pulmones. Et ex iis quæ dicta sunt duo valde notanda erunt: prius est quod propter difficilem respirationem, causa ipsa thoracem non egrediente, sæpe dolor oboritur in partibus ventris aut in ventriculo ipso: 58 & tunc male Medici partibus dolentibus manum applicant, quum dolor oriatur ex eventu; quia nimirum pendentes aut agnatæ partes ventris inferioris instrumentis respiratoriis trahuntur in consortium partium superiorum. Sic in validis tussibus, præsertim quum inanes sunt, dolorem audivimus tantum in ventriculo natum, ut necessario opitulandum ventriculo ipsi fuerit.

Posterius quod notandum est, quemadmodum difficultas respirationis facit ut vi sympathiæ dolores in partibus ventris inferioris oriantur, sic difficultas aliqua spirandi oritur ob læsionem doloremque partium in ventre contentarum: & tunc est adminiculandum partibus ventris inferioris, relicto thorace, & partibus ejus: quod maxime in ægro nostro contigit, nam summa difficultas erat respirationis, & causam affectis pulmonibus aut thoraci assignabamus, sed male: erat enim latens in hypochondriis.

Quæstio alia, cur quum deliraret, aliqua ex parte magnum & rarum, sed frequentem sæpe spiraret: Magna & rara enim spiratio delirantium est.

(y) Hæmoptoici & sanguinem expuentes.

eſt. Etenim, ut præclare demonſtrat Galenus: *Immoderatam facere ſpiritus attractionem, quod eſt magnum ſpirare, & rurſum immoderatam quietem (quod eſt rarum ſpirare) ejus eſt qui neque quando deſinere ab actione oporteat, nec quando incipere ob ignorantiam neſciat.* Et quoniam de iis abunde Galenus, libro adducto, & ne forte omnia hic confundamus, hoc dioriſmo rem definiemus: Non quoties quis delirat, magnum & rarum ſpirat, ſed quoties magnum & rarum ſpirat, mente motus eſt; niſi occurras de mœſtis & ſollicitis qui dum anguntur, magnum & rarum ſpirant: ſed non tam proprie eſt magna & rara reſpiratio, quam ſuſpirioſa, & velut dupla intro revocatio, ut loquitur Hippocrates. De diſtinctione cauſarum reſpirationis in mæſtis & in deliris, quamquam analoga eſſe videtur, Galenus *cap. 6. lib. 2. de diff. reſp.* Sic magna & rara ſpiratio eſt propria delirii, non tamen inſeparabilis. Præterea omnibus deliriis poteſt comes adjungi rara magnaque ſpiratio, non omnibus deliris: quia contingit hunc aut illum delirantem, & habere aliquam affectionem quæ neceſſario alteret illam reſpirationem, quæ ex ſe quidem phreniticorum propria eſt, ſed ex eventu immutata; ut ſi quis delirat & phreniticus eſt, unaque coſta aut inflammatur, aut hepar præſertim ad gibbas, aut lienis pars ſuperior, aut oſculum ventriculi, aut tenue inteſtinum, aut muſculi thoracis, non hic expectanda eſt etiam præſente delirio magna raraque ſpiratio, ſed denſa, & parva. Et ut ait Galenus, *Si a ſolo delirio reſpirationis integritas confunditur, magnus & rarus ſpiritus erit perpetuo: ſi a ſolo dolore parvus & denſus, ſi delirium & dolor concurrat, & dolor ſuperet, obſcura ex delirio alteratio erit: Nam ſi dolor fortis eſt, perfecte evincit reſpirationis difficultatem, quæ ex delirio inducitur, ut non amplius magna & rara ſit.* Maxime vero dolor immutat, ſi ab inflammatione non ea quæ phlogoſis dicitur, ſed phlegmone, ut placet Galeno eodem in loco. Ceterum præter cetera, valde eſt commemorabile quod Galenus docet cur nimirum Dealcis uxor delira per totum morbum, & magnum rarumque per tempus ſpiraverit, quod delirii proprium fuit, & rurſus breviſpira (Græce βραχύπνοος) quum tamen deliraret. Sed notandum quod dixit, hinc magnus & rarus ſpiritus per tempus, in quo dubitatur an per omne, an per aliquod tantum tempus: ſed audiendum eſt per omne tempus: nam ſub finem hiſtoriæ ait, perpetuo erat magnus, & rarus ſpiritus, ſed utrumque cohæret. Quum dixit per tempus, voluit indicare exiguum quoddam intervallum in quo breviſpira eſſet, ſed illud intervallum non fuit tanti, ut propterea in toto morbo non diceretur magnum & rarum ſpiritum habuiſſe: nam quod raro incidit, non pervertit continuitatem. Et ad hunc locum demonſtrandum Galenus citat alium in quo Hippocrates vult docere totum annum vacaviſſe flatibus, quamvis adjecerit, Eteſiæ parvi ſparſim ſpiraverunt: hoc enim continuitatem τῆς ἀνεμίας (z) abſentis non interturbat. Et ob eas a nobis allatas cauſas æger non magnum & rarum ſpirabat, tum quod delirus plane non eſſet,

Cap. 7. lib. 2. de diff. reſp.

(z) Venti.

tum quod dolor aderat de quo quereretur, qui etiam si deliraſſet, magnitudinem & raritatem reſpirationis intervertiſſet.

Ilia ducendo.

Varia & multiplex fuit reſpiratio: Et ductio ipſa elatioque laborioſa hypochondriorum magnum aliquid ſubeſſe indicabat quod naturam ad agendum aliquid incitaret: quemadmodum enim antea docuimus, ſi quid eſt præter naturam contentum in ventre inferiore, maxime circa ventriculi os, illud ratione continuitatis difficultatem reſpirationis afferre poteſt. Ut etiam pondus & oppreſſio ventriculi homines ἐγγαστριμύθους reddere poteſt, id eſt, quaſi ex ventre loquentes, quia libertas ſermonis ob oppreſſionem erepta eſt 59: quod Polemarchi uxori contigit: *Circa cor*, ait, *aliquid colligi videbatur, reſpirabat more ſubmerſorum, ex pectore ſubſtrepebat, veluti qui clauſo ore loquuntur*, ἐγγαστριμύθους *vocant*. Et qui ſpirant Ilia ducendo, aut propriam in pulmonibus latere affectionem indicant, aut in ventre inferiore. Ut mulieres dum hyſtericæ fiunt, antequam omnino ἄπνοι (*a*) fiant, ſpiritum ex Ilibus ducere videntur, diaphragmatis, quod liberæ reſpirationis inſtrumentum eſt, oppreſſione.

5. Epid.

Aliquid hypochondriacum erat congenitum.

Hoc non abſque ratione additum eſt, ut latentis mali & Medicorum captum ſuperantis probabilis aliqua ratio reddatur. Nemo fere erat qui inſpectis oculis, colore, geſtu, actionibus, capillo, & reliquis id genus, item more morbi, non dixiſſet id eſſe melancholicum.

Actiones quodammodo phreniticæ erant, propterea diximus ante, *more phreniticorum inſiliebat*: aut ut verius dicam, aliquid erat μανικόν (*b*). Taciturnus valde erat: & ut, inquit Galenus, perpetuo loqui phreniticum eſt, ſic tacere melancholicum. Sic ad melancholiam affectum erat corpus, ut ante diximus, quum ejus temperamentum explicaremus, duoque hypochondriacorum melancholicorum genera proponeremus: accedebat & illa cauſa procatarctica, metus, & mœror de quibus ante quoque explanatum eſt. Quod autem hic dicitur de congenito habitu hypochondriaco, illud ſicco pede non prætereundum, nec aure ſupina audiendum. Hippocrates *in Hiſtoria de filia Euryanactidis* poſtquam eas deſtillationes explicavit quibus erat obnoxia, & quæ mortem accelerare potuerunt ſub finem ait, ἦν δέ τι συγγενικὸν φθινῶδες, tabidum erat congenitum 60, Galenus *in Com.* ait: *Meminiſſe autem oportet cur Hippocrates dicat ingenitum eſſe tabidum propter Sophiſtas qui nullum affectum innatum eſſe aſſerunt. Ceterum illa innata tabes & diſpoſitio tam repente illam filiam non ſuſtuliſſet, ſed quia cum eo affectu nativo erat quoque extinctio facultatis naturalis, id repentinæ mortis cauſa exſtitit.* Circa ea quæ de filia iſta tabida a prima origine, tria obſervanda ſunt, primum eſt quod natura gentilitii ſunt morbi & innati: ſecundum quod ii per ſe non tollunt perimuntque niſi aliquid aliud

Com. ad hiſtor. 15. ſect. 3. lib. 3. Epid.

Hiſtor. 6. ſect. 2. lib. 3. Epid.

(*a*) Sine ſpiritu, non reſpirantes. (*b*) Maniacum.

aliud concurrerit: tertium & maxime præcipuum eſt, quod *ſub finem Com.* Galenus addit: nimirum cur parum ſollicite & artificioſe Hippocrates dies criticos annumeraverit in tractanda iſta Hiſtoria, quod in ceteris tam negligenter non fecit: *Nil eſt*, ait, *cur tam curioſe de diebus criticis quæramus, quum illi in iſta hiſtoria nullum habeant ordinem, quia mortem a capite deſtillatio attulit, & nativum tabidum.* Quaſi vero non fuit natura ordinata in morbis, tametſi occaſio & a naturali conſtitutione fuerit, & a capite. Numquid morbi capitis periodon ſuam habent? Immo ante docuimus nil in natura fieri, ſine periodo & ordine. Id quod hoc loco a Galeno dicitur, habet me-hercules aliquid ſtupendum & notandum, quum ait: Nullum ordinem dierum in ea hiſtoria ſervat Hippocrates, quoniam mortem & deſtillatio a capite attulit, & nativum tabidum. Quod ut illuſtremus, hoc unum dicemus: Morbi σύντροφοι, & συγγενικοὶ (*c*) ſequuntur vitium totius ſubſtantiæ, & ἐν ὅλῃ οὐσίᾳ (*d*) conſiſtunt: ſic producuntur, aut repente interimunt prout latens in eis malignitas ſe prodit ac profert. Unde videmus eos qui ſtirpe tabida ſati ſunt, aut latens a natura vitium contraxere, minime opinantibus nobis eripi, quod morbi eorum non habeant aliquid ordinatum & periodicum, ut qui in humoribus conſiſtunt. Humores enim habent fluxum & refluxum, momenta & inclinationes, quo fit ut ſeſe nobis facile prodant. At id quod connatum eſt, & in interiore partium natura immerſum ac implicitum, quum noſtros ſenſus lateat, ſæpe incerti ſumus de iis quæ circa ea geruntur, & quæ ab eis pendent.

Aliquid pulmonicum putabant, aut a pure vaporem, aut tuberculum.

Qui pulmonicum quempiam dicit, nil certi deſignat, & erratur hic maxime: tamen politico loquendi modo pulmonicum aliquem dicimus quum vel ſatum parentibus pulmonicis videmus, vel certa ſeſe nobis offerunt ſigna quibus labem aliquam in pulmone latere colligamus. Quum tuſſiculoſus eſt, quum ſtridulam habet vocem; dum impeditam; dum præter rationem emaciari videmus, dum genæ rubicundum floridumque aliquid habent, & in ceteris pendulæ videntur. Quam loquendi formam ſecutus Hippocrates aliquem πλευμαῖν, id eſt, pulmonicum eſſe dicit, quem nos tabidum vocamus: & ideo Cornarius vertit, ἢν τις πλευμαῖν, Quum quis ex pulmonis affectu tabeſcit; poſtea enim hoc explicando aperit omnia ſigna quæ adeſſe ſolent in phthiſico. Ceterum ideo ſuſpicabantur aliquid eſſe pulmonicum, quod olim ſanguinem rejectaviſſet ore: at nos docuimus ante hoc fuiſſe potius hypochondriacum quam pulmonicum. *Lib. de morbis.*

Dolor iſte, & calor repentinus a tetro vapore efferri putabatur, ob collectam circum pulmones materiam: nam quum inſolentia iſta viderentur ſymptomata, omnes cauſas confingebamus, & undique eruebamus. Et in tam ancipiti negotio ignorabatur a qua parte id maneret, & cui auxiliandum foret. Quo loco poſſumus recenſere illud quod de epilepſia dixit Hippo-

(*c*) Connutriti & congeniti. (*d*) In tota ſubſtantia.

Lib. 2. Prorrh. Hippocrates, nam & ad alios morbos converti potest. Gravius habent ab epilepsia quibus hic morbus adest nullam significationem præbens ex qua corporis parte initium sumat: nam quibus ex capite initium capit, aut latere, aut manu, aut pede, facilius curatur. Et rursus differunt hæc genera, nam quæ a capite sunt, gravissima sunt, deinde quæ a latere: quæ a manibus & pedibus, facillime curantur. Quomodo dicimus eos cito mori qui fortiter, sæpe, & sine causa manifesta exsolvuntur: quasi vero si exsolvantur a tuberculo in corde (est enim causa quædam manifesta præsertim quum suis se signis exhibuit) illud minus malum sit: sed hæc per comparationem audienda sunt: nam id fit ob curationem. Si enim certo scias a capite malum esse, aut a brachio, aut alia parte, illud est quodammodo numerandum inter τὰ φανερὰ (*e*), præsertim si compares cum latente sede, & latente causa. At Medicus in eo maxime debet laborare ut τῇ διανοίᾳ, συλλογισμῷ, aut ἀναλογισμῷ, aut τοῖς τεκμηρίοις (*f*) venetur & exploret sedes affectas. Non aliena erat suspicio e tuberculo vaporem efferri horum auctorem: nam quum diuturnus aliquis lateris dolor est qui ordinariis remediis non cedit, is in suppuratum abit, ait Hippocrates. Et *lib. de morbis* adhæsum pituitæ ad costas, inflammationem inducere ait, & dolorem pleuritidi similem: ac si ea pituita valde puri analoga inflammetur, quis dubitat quin non efferri possit teter vapor cerebrum feriens? Ita enim scribit: *Si pus in ventre moretur, totum corpus ab eo calescit, maxime partes vicinæ. Calescente corpore humiditas eliquatur, &c.* Quomodo autem caput facile incalescat ob affectos pulmones, Galenus explicat in acutis.

In Coacis. lib. 1.

Comm. in part. 17. lib. 4. Acuto.

Aut articulorum pulmonis convulsionem.

Quia desipiebat, & ita torquebatur, quasi pungens & stimulans aliquid circum pectus eum sollicitaret, ideo veniebamus in opinionem illius morbi quem Hippocrates σπασμὸν τῶν ἄρθρων τοῦ πλεύμονος (*g*) vocat. Hujus vide descriptionem *in lib. de morbis.*

Lib 2. de morbis.

Ustio, sectio, maturatio flagitabatur.

Fere de crudo tuberculo laborabamus omnes: ac tum quærebamus num maturandum esset, quod a maturatione forte plus periculi. At Hippocrates loquens de pleuritide in qua crudum est tuberculum ait: *Melius est suppuratum fieri etiam si doloroſum fuerit. Minus enim letale est.* Et *eodem lib.* quum loquitur de iis qui jam suppurati erant, sed translatum est pus a loco in locum, ita dicit, *oportet autem rursum pus maturari: nam ex eo quod pus ad ampliorem locum devenit, perfrigeratum est, & sic recruduit.*

Alii ephialtem & hypochondriacum suspicabantur.

Quum morbi tam insolenter invadunt, se nisi suis pathognomonicis signis

(*e*) Manifesta.

(*f*) Ratiocinatione; conjectura; aut analogismo aut signis syllogisticis.

(*g*) Convulsionem articulorum pulmonum.

nis aperiant, difficile eſt de iis ſtatuere: nam multa ſunt ſigna ὁμοιῆη καὶ ὁμογενῆ (*h*), quæ multis conveniunt morbis: Incubo laborantes, & hypochondriaca paſſione multa habent ſigna ſimilia. Ceterum quum olim tantum ſanguinis rejeciſſet, & tamen calido & ſicco eſſet temperamento, illud humores ſinceriores reddere potuit, id eſt, ſero ſuo nativo (quod humores manſuefacit) deſtitutos. Et Galenus docet ſiccos non ferre evacuationem ſanguinis, id eſt, quibus alvus ſicca, & qui ſqualidi ſunt 61 hæmorrhagia etiam critica eis mala eſt: multo magis ſi critica non fuerit 62. Ceterum non abs re de hypochondriaca affectione dubitabamus, nam omnes fere hypochondriaci per ſympathiam quamdam occultam thoracem dolent. Et Medici exiſtimant in pulmonibus latere malum, aut coſtis, quum id fiat tantum ratione diſpoſitionis hypochondriacæ, in qua flatus excitantur peſſimi, qui oberrantes dolorem pectori inferunt, & difficultatem ſpirandi afferunt. Unde etiam ante diximus, δύσπνοιαν (*i*) contingere poſſe propter affectum & meſenterii, & ventris inferioris. Incredibile enim quanta patiantur hypochondriaci melancholici. De quibus exſtant hiſtoriæ apud Hippocratem de Nicanore, Damocle, Phœnice, qui quum eſſent melancholici varios dolores in ſpina, collo, capite, tendinibus pertulerunt. Itaque Medici debent maxime ad corporis naturam attendere, ut non temere affectus unus pro altero ſupponatur: nam novi pleriſque hypochondriacis ſectam eſſe venam ob dolorem lateris, quum is tantum eſſet ratione cujuſdam flatus ab hypochondrio ſurgentis. Quamquam Hippocrates ventoſitatem flatuoſam phlebotomia ſolvit, ſed de ea audit quæ cum phlogoſi eſt, ut in hydrope ſicco ob inflammationem lactium, ut phlogoſis ſufficiat ad flatum generandum, non ad diſſipandum.

Comm. in part. 2. lib. 1. Prorrh.

Part. 6. lib. 2. Prorrh.

Aph. 4.

Poſt purgationem convaluit.

Illud uſurpavimus, melancholicos infra purgatos ἀδρότερος (*k*). Tentavimus vomitoria, Hippocratem ſecuti, qui obiter præclarum præceptum proponit: *In purgationibus inſtituendis, ventres ſubpurgabis in morbis, quum matura fuerint, infra, ubi confidiſſe videris: Signum habes, ſi nec anxii, aut capite gravati fuerint, aut quum poſt exacerbationes ceſſarint: ſurſum vero in exacerbationibus 63: Tunc enim ſua ſponte elevantur, quum anxii, & capite gravati fuerint, ac ſe jactarint.* Hic Canones explicantur adhibendæ purgationis ſurſum aut deorſum quum caſus iſti præcipites exiſtunt.

5. Epid.

Eruperant puſtulæ ambuſtis ſimiles, an quia ſplenicus?

Nemo intelliget illud cur adjectum fuerit, *An quia ſplenicus?* niſi res Commentario illuſtretur. Tuberculorum & effloreſcentiarum quædam malignum quid habent, & cælo tribuendum, quædam a corpore ſunt 64. Quæ a corpore, alias cacochymiam ſequuntur, alias aliquod peculiare habent, & certam partis alicujus diſpoſitionem ſequuntur: ut qui ſunt melancho-

(*h*) Similia & homogenea.
(*i*) Reſpirationis difficultatem.
(*k*) Cumulatim, abundanter.

lancholici, aut hepatici, aut aliter affecti, aliquando aut tuberculis, aut maculis inficiuntur, quæ sunt notæ peculiares affectionis partis, aut temperamenti corporis. Sic in pulmonicis suffusio genarum, in hepaticis frontis & faciei florescentiæ quædam, in convulsione articulorum pulmonis circulares notæ in tibiis apparent, in quodam fluore albo mulierum, & in morbo pituitoso appellato eminentiæ quædam cutis apparent subtumidæ quas Hippocrates πομφὺς (*l*) appellat: Ita & lienosi habent maculas quasdam nigricantes, aut affecto lieni, aut toti corpori congeneres. Quod Hippocrates annotavit de fratre Aristæi uxoris, huic tubercula parva terminthi vocata apparuerunt ἀσινέως (*m*), & subdit, ὑπόσπληνος ἦν (*n*). Ac si reddat rationem, cur talis eruptio contigerit, ut dispositio in splene talis eruptionis causa fuerit. Ideo quærimus de ægro, an quia splenicus erat? Ideo Medici quum aliquid foras vident insolenter erumpere, non statim malum quid ominari debent.

2. de morbis, & 2. de morbis mulierum.

Tandem multis evacuatis valido medicamento restitutus perfecte fuit. Ut ex curationis eventu qui multis ultro citro tentatis rerum fidem fecit, tandem collegerimus a suppressione peculiaris cujusdam excrementi in prima regione corporis tantum morbum, tantis comitatum symptomatis obtigisse. Sed ad ideam tanti morbi & causæ procatarcticæ, & ἡ ἰδιοσυγκρασία (*o*) concurrerunt.

Porro plura multo in historiam morbi traducenda erant, nisi nos consuetudo Hippocratis quem unum ut ducem optimum imitari consilium est, ab ea re revocasset. Non enim ille, ut Thucydides, omnia narravit, quod historici proprium est, non Medici præsertim compendium consectantis. *Thucydides*, ait Galenus, *omnia scripsit, etiam idiotis nota; Hippocrates vero pauca ex iis quæ ad affectionem pertinent, circa quæ ægrotus est periclitatus: multa vero alia scripsit idiotis neglecta, artificiosam tamen & exactam cognitionem exhibentia, & quæ etiam optimos Medicos latere possunt.* Et multa alia eo loco scripsit de distinctione modi scribendi Thucydidis & Hippocratis.

Cap. 7. lib. 2. de diff. resp.

Si nos longiores fuimus in scribendo, quam ratio postulavit, & ab Hippocratis via, quam tamen nos velle sequi ut optimam professi sumus, deflectere videamur: id nos duabus de causis fecisse intelligat quisque, velimus: partim ut multa suppetant ad alias, quas deinceps scripturi sumus, historias; ex his enim quæ in unius hominis paullo forte amplius abundantiusque historia conscripsimus, multa eruemus eliciemusque quæ tamquam professione aliqua probata certaque ad aliorum fidem demonstrationemque pertinebunt: partim quoniam vidimus aliud esse interpretis fungi officio, aliud scriptoris. Dum enim momenta rerum omnium inquirimus, cur fiant, quorsum pertineant, si id verbo, conciseque docere volemus, intra brevitatis angustos parietes legentium animos cogemus: quod vitio reprehensioneque carituram non est.

ANNO-

(*l*) Bullas.
(*m*) Innoxiè.
(*n*) Sublienosus erat.
(*o*) Idiosyncrasia.

ANNOTATIONES.

1 *Quod omnis morbus febris dicatur isque communissimus, ex eo patet quod frequentissimus, & sæpe acutissimus, aut acutis prope omnibus connexus sit. Vere enim synochus; Æstate continua, ardens, tertiana, ut plurimum sævit; Autumno quartana vel erratica; Hieme quotidiana: Cælo sicco acuta, pluvio diuturna. Podagra mulieribus, pueris, eunuchis parcit, febris nulli ætati & sexui; Morborum plurimi tantum animalem, aut vitalem, aut naturalem actionem lædunt, febris omnes actiones labefactat. Quam ob causam forte Romani febrem ne noceret coluisse dicuntur, ut sævissimam & malignissimam luem.*

2 *Vel quia nullum fere malum, nullus morbus adoritur quemquam, quin febris non statim consequatur.*

3 *Hoc notandum est. Et nuper in D. Comite apparuit qui vitio jecoris interiit. Febris enim non satis videbatur ad eum necandum.*

4 *Febris capitalis, & particularis quid sit. Galenus* com. ad Aphor. 42. lib. 7. *istas appellationes rejicit, febris lienosa, hepatica aut capitalis.*

5 *Hippocrates* initio lib. 7. Epid. *narrat de quibusdam febribus epidemiis quæ erant valde mites & ἠπίαι, id est lenes, ut non viderentur febrire ægrotantes, nisi in temporibus, sic febris capitalis erat.*

6 *Rigor inanis in paroxysmis dolorem capitis accersit, & sæpe rigores in dolorem terminari videmus: & (quod mirum) in sorore Dominæ Goguier, idem rigor dolorem lateris jam præsentem sine sudore, sine ulla excretione sedavit.*

7 *Unde Arculanus* cap. 15. *de incubo loquens ait, id fieri propter pororum oppilationes, per quos poros spirituum lationes & motus fiunt: Et ut fiunt per istam oppilationem, ita ægre solvuntur sæpe: & Hippocrates* lib. de Judicationibus *ait, initio febrium hepar intumescere & expandi. Hinc Galenus* in Prorrh. *explicans eum locum, refrigeratio cum duritie, Græce* μετὰ σκληρυσμοῦ, *signum malum si in solis accessionibus febrium id fiat, id est durities ea contingat cum quadam perfrigeratione, malum moderatius indicat: si diutius permanet, majus; si vero perpetuo, mors vicina est. Sic apparet duritiem apparere in paroxysmis eamque non esse valde malam.*

8 *Inter ceteros locos unus est commemorabilis* ad part. 45. sect. 2. acut. *ubi docet Galenus deliria initio morborum esse contra naturam & judicatoria, vique tantum morbi fieri.*

9 *Incredibilia sunt symptomata quæ eveniunt in principiis accessionum. Hinc Hieronymus Gabucinius narrat quemdam juvenem vidisse se febre quotidiana laborantem, qui simul ac accessio prehenderet, syncopizaret, deinde epileptico modo convellebatur. Eodem pertinet Histor. Dominæ Vieillard, & ejus quæ ad mortarium aureum habitabat: & id multis contingit similiter.*

10 *Aliquando, nam Galenus* 3. locorum affect. *docet eos quibus latissimæ sunt venæ aptos esse ut humorem melancholicum congerant.*

11 *Venus & Bacchus dicuntur* λυσιμελεῖς (p), *& nervifragi, quam ob cau-*

 sam

(p) Membra solventes.

ſam pueri & eunuchi podagra non laborant, cujus duas potiſſimum cauſas ſtatuit Galenus Com. ad Aphor. 28. lib. 6. *partium nervoſarum imbecillitatem & humorum proventum.*

12 *Coitus calefacit: an quod ſemen frigidum? Revera ſemen non eſt frigidum niſi improprie ut & ſanguis qui frigidus dicitur Hippocrati* lib. de carnibus & ſub finem libri de corde: *porro quum dicit per coitum excerni e corpore frigiditatem, ex hoc loco intelligere poſſis textum Hippocratis* 6. Epid. Ad increſcentes morbos mixtio: *id eſt Coitus.*

13 *Sanguis quum dicitur frigidus, id per comparationem cum ſanguine arterioſo intelligendum eſt, aut quia aqueam conſiſtentiam habet & non ſuum calorem retinet diu, ut ceteri humores.*

14 *Tamen* Com. in part. 27. lib. 4. Acutorum *vertigines & apoplexias ob ſtationem, ſuppl. humorum, fieri putat. Quum vertigo medium quid eſſe dicitur, de vertiginis vera generatione, in qua tum vis naturæ, tum infirmitas apparet. Sed eſt alia vertigo quæ fit per commiſtionem alieni ſpiritus a partibus imis elati, & iſta non eodem modo dicitur media, quo prior illa. Ceterum Galenus* libris de locis affect. *vertiginem ab inæquali intemperie cerebri naſci ſcribit. Si quando de vertigine diſputandum erit, legendus eſt locus iſte* ad part. 42. lib. 4. Acutorum *ubi ex profeſſo agit de vertigine: & inter cetera docet an ſit utendum balneo & quando: qui locus eſt notandus, quoniam de ea re ſæpe controverſia eſt. Id uxoris D. de la Groſſetiere hiſtoria docuit.*

15 Lib. de inſomniis ſtatim initio: *ſed melius* ſect. 8. 6. Epid. *ait Hippocrates: Mentis* σύνοια, *id eſt intelligentia ipſa, per ſe agit & negotiatur citra inſtrumenta, ſperat, dolet, triſtatur: Exemplo docet cujuſdam ſervæ quæ omnium meminerat quæ in morbo evenerant.*

16 *Huc pertinet illud Ariſtotelis* in Phyſiognom. ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα συμπάσχουσιν ἀλλήλοις: καὶ ἡ τῆς ψυχῆς ἕξις ἀλλοιουμένη ἀλλοιοῖ καὶ τοῦ σώματος μορφὴν (q).

17 *Hinc patet epilepſiam, apoplexiam, vertiginem fieri aliquando per* ἀπόληψιν φλεβῶν (r), *aliquando per* τῶν χυμῶν διάχυσιν (s). *Duplex* ἀπότηξις, *&* σύντηξις (t), *una proprie dicta quæ fit per quamdam* ἀναστοιχείωσιν καὶ ἀνάλυσιν (u), *& ea proprie calori tribuitur* συντηκτικῷ (x), *ut eſt calor partes ſolidas* κακοηθῶς (y) *depaſcens: altera eſt* ἀπότηξις (z), *quæ aut ſequitur plenitudinem, aut relaxationem, aut diffuſionem præſertim a calore extraneo moderato.*

18 Στάσις (1) *humorum quæ, & an fit quum apoplexia, epilepſia, vertigo oritur. Eſt ubi humores moventur & opprimunt, eſt ubi ſtant, & obſtruunt: & id diverſa ratione fit ut hic explicatur.*

19 *Convelli corpus aliquando bonum eſt, ait Galenus hoc in loco. Sed plenius*

(q) Anima & corpus ſibi conſentiunt ad invicem & ipſius animæ ſubſtantia turbata turbat corporis formam.
(r) Interceptionem venarum.
(s) Succorum diffuſionem.
(t) Colliquatio & tabefactio.
(u) Reelementationem & analyſin.
(x) Colliquativo.
(y) Malignè.
(z) Colliquatio.
(1) Statio.

nius hoc Galenus demonstrat ad par. 26. sect. 3. lib. 1. Prorrh. *quomodo paraplexiam convulsio minuerit. Convulsiones in frigidis affectibus utiles sunt.*

20 *Apud Hippocratem notanter legitur* τῶ αἵματος φλεβῶν στάσις, *id est, sanguinis venarum suppressiones, quas ait leipothymiam inducere* sect. 7. lib. 6. Epidem.

21 *Inter ceteros locos est præclarus*, lib. de diebus Decretoriis *apud Hippocratem, ubi rursum explicat istam* ἐπιῤῥοίην, *&* στάσιν (*a*) lib. Acutorum, *& propterea rationem reddit tantarum vomitionum, anxietatum, & cardialgiarum quæ in principiis morborum fiunt: Acutus morbus fit quum bilis in hepar* ἐπιῤῥυῇ καὶ ἐς κεφαλὴν καταστῇ (*b*): *Hepar enim intumescit, &* ἀναπτύσσεται πρὸς φρένας, *expanditur ad septum, & multa alia ibi commemorabilia.*

22 In libro a me conscripto de urinarum hypostasi *vocem istam* σύστασιν (*c*) *explicavimus.*

23 Διυρεῖν *vertimus in serum verti, vel sanguinem serosiorem, & saniosum fieri, quod in corporibus humidioribus fit facile, præsertim si perflatum non habeant, si adsit febris, & humores putreant. Hinc Aristoteles* 4. de Hist. animal. cap. 19. *ait, si sanguis immodice tumescit, morbus infestat. Sic in speciem saniei diluitur (quod* διυρεῖν *dicetur) & adeo serescit, id est, serosus fit, ut jam nonnulli sudore cruento exsudarint. Et Parisiensium corporum sanguis omnium facillime ob humiditatem* διυρεῖ. *Hippocrates* lib. de dentitione διυρεῖν *serum multum reddere dixit. Unde in morbis videmus eum sanguinem, qui initio laudabilis erat suamque* σύστασιν *habebat,* διυρεῖν *serosum reddi, & multorum eam ob causam malorum auctorem. Multa urinatione aut sudore defæcatur, & suum denuo statum retinet. Et forte illud est quod Hippocrates scripsit in causo ichores biliosos in venulas arefactas attrahi. Magna enim vis est ichorum, & seri ad orgasmum humorum, id quod dysenteriæ docent: & facilis per sudores criticos illud serum emolientes solutio. Et videmus in morbis, nisi tempore secta fuerit vena, & calor corrumpens adsit, cachecticum habitum induci, & serosum sanguinem reddi multis de causis; quod dum fit, morbi solutu sunt difficiles, & frustra tum sæpius sanguis mittitur.*

24 *Galenus* Com. ad Aphor. 51. lib. 6. *narrat causam doloris capitis repente oborti homini sano a spiritu flatulento maxime esse.*

25 *In sequentibus docuimus, an quis* κάτοχος, *&* ἄνους *esse queat, & tamen deliret.*

26 *Et multis concusso cerebro vox intercepta fuit: recreati ac relevati a morbo meminerant eorum pæne omnium quæ acta erant.*

27 *Immo vidimus quosdam quibus, quum diu sine capitis dolore laboravissent, repente ortus est capitis dolor insignis, & paullo post mortui sunt.*

28 *Medici diligenter debent animadvertere, an aliquid debeant moliri quum hominem attonitum febris prehendit: nam talis febris potius apoplexiam tolleret quam eamdem foveret. Et tamen quum febrem obortam vident, tunc legitimam phlebotomiæ celebrandæ occasionem porrectam putant.*

 29 *Secun-*

(*a*) Defluxionem & stationem.
(*b*) Defluxum fecerit & in caput constiterit.
(*c*) Compagem.

29 *Secunda hæc ſpecies phrenitidis tacita, obſcura, deterrima eſt, ut &* loco allegato Prorrhetici *apparuit, &* in hiſtoria de uxore Dealcis ſect. 3. lib. 3. Epid.

30 Sect. 3. lib. 3. Epid. *Dealcis uxor erat phrenitica, & tamen febris ad manum lenis videbatur, & extimæ partes frigebant: id fiebat ob mixtionem humoris melancholici: Hippocrates enim ſubdit, aut multa loquebatur, aut tacebat perpetuo. Taciturnitas melancholicum humorem deſignabat. Et Galenus* cap. 1. lib. de ſucci bonitate, *ait in peſtilente conſtitutione invaſiſſe ſimul altum ſoporem & vigilias ob diviſam victus rationem quam in calamitoſo cœli ſtatu tranſegerant. Iſta enim pituita quæ cerebrum copia obruit, præſertim ſi ſalſa aut acida fuerit, quum inflammatur, ardorem incredibilem excitat. Id quod in articulorum doloribus ab ea pituita natis obſervamus.*

31 Τυφῶδες, & τῦφον, *gallice dices,* un feu couvert, *quod ad homines ſtupidos referunt in quibus ſubeſt quædam agilitas.*

32 *Hæc ſunt* in Com. ad part. 73. ſect. 2. lib. 1. Epid. *Pulmo focus febrium eſt ardentium.*

33 *Non ita hæret quin perturbetur, & agitetur quodammodo, ſed impreſſit ſuam vim ipſi cerebro. Ita enim* ad par. 26. lib. 1. *in phreniticis vult varia ſpectra adeſſe,* διὰ τὸ θωλωθῆναι χυμὸν (*d*), *id eſt turbari. Vide ante quum diximus & humorem in partem fluxiſſe, etiamnum moveri, ſi tumor phrenitidem faciens egreſſus eſt, quomodo movetur &* θωλόωνται (*e*).

34 *Quum deliria ſunt phrenitica, junctum eſt* τὸ θρασὺ (*f*): *quum ſunt ſymptomata febrium continuarum,* τὸ θρασὺ *non adeſt.*

35 *Tamen in hiſtoria de phrenitico, & aliis multis in locis ſtatim phrenitis orta eſt.*

36 *Nec rationes ſufficiunt hoc in Commentario adductæ ad intelligendum de quo quæritur, ſed ſcire quoque oportet eumdem etiam humorem varia poſſe morborum genera efficere. Nam vel per venas fertur, aut iis figitur, vel per nervos; rurſum vel eorum capita, vel medium, vel corpus internum, vel medullam, vel membranam occupat: item per innumeros poros, aut mæandros fertur, quas inanitates vocamus: ut mirum non ſit, ſi prout vel hoc modo vel illo fertur humor, vel has vel illas partes, aut vias occupat, ita quoque morbi evarient.*

37 *Caveant Medici prædicare ſe deprehenſuros aliquid in capite eorum qui morbo cerebri interierint.*

38 *Affectus cerebri aut ſunt* παραφορικοὶ, *aut* καταφορικοὶ, *aut* κεφαλαλγικοὶ, *aut* καταῤῥοϊκοί (*g*).

39 *Hæc opinio eſt Gorræi: & ea non eſt probabilis, potius enim induceretur epilepſia; ſed verum eſt partem capitis anteriorem occupari, non ventriculos, præſertim ſolos.*

40 *Sedes & cauſa* τῆς κατοχῆς, *hæc autem a ſicciore humore naſci dicitur.*

41 *Ron-*

(*d*) Propter turbationem ſucci.
(*e*) Turbatur.
(*f*) Audacia cum furore.
(*g*) Delirii participes, aut propenſionis in ſomnum, aut doloris, aut fluxionis.

41 *Rondeletius vult non esse* κῶμα ἄγρυπνον, *sed* κατάληψιν (*h*), *quæ inter lethargum, & phrenitin ambigat, quod ea a copia magis sanguinis fit: hic est autem magis frigidus quam qui phrenitin facit, magis calidus quam qui facit lethargum.*

42 *Catalepsis a copia sanguinis, quamquam in præcedente pagina a siccitate oriri dicta est: notanda hæc decisio; est autem ubi catalepsis in febres longas incidit, (ut nos vidimus) & a siccitate & refrigeratione oriri dicitur; est ubi in initium febrium incidit corpore juvenili, & tunc a sanguine esse potest.*

43 *Et revera quum vulgus catalepticos, aut* καθόχους (*i*) *videt, melancholicos vocat, & id affectionis genus a mærore oriri putat.*

44 *Ita enim Galenus* in Prorrhetico *ait, quo modo totum corpus per intemperaturas afficitur, ita & caput.*

45 *Videmus enim in paucorum dierum febre corpus ita sæpe resiccari, ut marasmodes pæne reddatur: id quod maxime biliosis accidere solet.*

46 *Nam in quibusdam morbis est* τάσις τις (*k*), *in aliis* λύσις (*l*). *In quibus est* λύσις, *deterior est natura, deterius ingenium, in apoplecticis veris in quibus est* ῥόγχος (*m*), *vera* λύσις *cernitur.*

47 *Rejectio sanguinis per os formidabilis putatur. Hoc in capite signa diagnostica attulimus quibus facile discernas ubi illa excretio metuenda sit, & ubi non. Ceterum vide locum præclarum apud Plinium* cap. 38. lib. 11. *de Macrino Visco, & Volusio, qui hæmoptoici forent.*

48 *Et tandem ille extabuit, & post istas rejectiones sanguinis minus prospera valetudine est fretus, fluebat affatim sanguis, &* τρόπον αἱμορραγικὸν (*n*) *ut* in 4. Aphor. *loquitur.*

49 *Inter locos, quos umquam legi, celeberrimus est* lib. 2. Prorrheticon, *quum loquitur* περὶ ἀναῤῥήξεων αἵματος, *id est, de excretione sanguinis per os, atque ait Hippocrates inter hæmoptoicos evadunt quicumque dolores habent melancholicos & in dorso, & in pectore, quasi hi minus laborent & periclitentur quam alii. Accedit, & id quod notavimus de Latonio Crespiensi Valesio in vico des Nonnains d'Hierre, qui excrevit ingentem copiam sanguinis nigri,* ἀπύρετος ἐὼν (*o*), *& habitu valde melancholico est. E regione lienis in ventriculum eructabatur, & miraculo evasit.*

Porro quod ad melancholicos pertinet, ii sæpe sunt flatuosi: flatus autem maxime facit ad ruptionem venarum, & proinde ad sanguinis rejectationem. Id quod Galenus Com. ad particul. 13. sect. 3. lib. 6. Ep. *annotat dum rationem reddit, cur* πτερυγώδεις (*p*) *hæmoptoici fiant, flatum enim id adjuvare auctor est.*

50 *In omnibus enim istis doloribus* τὰ ῥεύματα (*q*) *spectantur. Porro duplex est* ἱρμώμενον καὶ συνιστάμενον (*r*).

51 Lib. 7.

(*h*) Coma vigil, sed catalepsis.
(*i*) Catochos.
(*k*) Tensio.
(*l*) Solutio.
(*m*) Stertor.
(*n*) In modum hæmorrhagiæ.
(*o*) Existens sine febre.
(*p*) Alati.
(*q*) Rheumata, fluxiones.
(*r*) Quod impetum facit, & quod est consistens & cohærens.

51 Lib. 7. Epid. *Historia est de Halicarnassensi, cui quum auris, & caput doluisset, sectione venæ læsus est, quoniam (ait Hippocrates) suppuratio facta non est; forte idem contigit ægro nostro.*

52 *Locus est præclarus apud Galenum* Com. ad Aphorismum 63. lib. 4. *ubi vult diathesin ipsam, non autem humorem novi paroxysmi causam.* In quibus, *inquit*, febres solvuntur ac rursus redeunt, remanet quædam dispositio præter naturam in corpore a qua secundum circuitum febres, & alii casus generantur. *Unde D. Sylvius annotavit febrium quartanarum fomitem dispositionem cancrosam in liene esse: & hoc vocat Hippocrates quum dicit, Autumno splenes. Sed inter ceteros est unus valde commemorabilis ubi loquens de vitiligine docet morbos & dispositiones manere, facta etiamnum evacuatione: unde mirum non est si ex hominibus tertianariis quidam intra 4. aut 7. circuitus sanentur, alii vero non nisi intra annum. Et iste locus ad multa utilis est, & ut Medicus sese calumnia liberet. Vide* Com. ad part. 17. lib. 2. Prorrh.

53 *Annotandum est quod scripsit Plinius* cap. 51. lib. 7. *C. Mecænati perpetua fuit febris. Antipater Sidonius Poëta, omnibus annis, uno tantum die natali corripiebatur febri: & eo die consumptus est satis longa senecta.*

54 *Galenus* in Com. in part. 4. lib. 1. Prognost. *ait calorem febrilem tenues humores consumere, & crassiores attenuare. Attenuare autem, est, excitare a crassis humoribus ὀῤῥὸν ἢ ἰχῶρα (s): unde tam repente dolores excitantur in febribus.*

55 *Idem enim hoc est quum dixit ad sputum cruentum dissuadere phlebotomiam; sed hoc vult, si sputum cruentum est occasione pleuritidos ne sumas indicationem secandi ex sputo, quoniam forte ipsa pleuritis non petit phlebotomiam.*

56 Ἀναφορικοὶ ὅτι ἄνω φέρει τὸ αἷμα (t), *quamquam* τὸ ἀναφορικὸν (u) *iis attribuitur qui suspirant, & supergemunt, quasi spiritu interciso interruptoque.*

57 *Hæc omnia exemplis apparent, & plenissime* cap. 7. lib. 2. de diff. resp. *si forte de iis sit dicendum. Conformiter iis quæ hoc loco dicuntur Galenus* ad par. 28. *lib. 1. Prognosticon, ait difficilem esse respirationem, si* πάθος ὀδυνηρὸν (x), *aut ventriculum, aut hepar, aut lienem tenet.*

58 *Et* in primo Tomo Consiliorum *annotavimus a contento in renibus calculo difficilem inferri respirationem, pag. 66. & sequent.*

59 *Dicebantur* ἐγγαστρίμυθοι (y), *illi qui vel Pythionem, vel dæmonem quemdam in ventre habere dicebantur, qui clauso hominum ore responsa darent.*

60 *Hippocrates* lib. 2. Prorrhet. *loquens de tabe, hydrope, & reliquis morbis, ait* τὸν συγγενῆ νοσημάτων δυσαπάλλακτον εἶναι, *quæ locutio Græca notanda: sensus est, Quibus morbi sunt congeniti, ii haud facile ab iis exsolvuntur.*

61 *Hippocrates* lib. de internis affectionibus *loquens de hydrope a liene docet dolores in mammis & scapulis oboriri: an propterea ad phlebotomiam recurrendum?*

62 *Qui*

(s) Serum & saniem.
(t) Sursum ferentes, quoniam sursum sanguinem ferunt.
(u) Sursum ferre.
(x) Passio dolorosa.
(y) Ventriloqui.

62 *Qui hypochondriaci sunt & flatibus abundant, & cruditatibus, utrumque imaginationem pleuritidis afferre potest, quia & in cruditate ipsa & flatuum copia facile thoracis dolor excitatur. Quod Aëtius amplissime tractavit*, cap. 68. sermon. 4. Tetrab. 2. & cap. de inflammatione stomachi, cap. 27. sermo. 1. Tetrab. 3. & *Fernelius* cap. 11. lib. 5. Pathol. *& revera melancholicus hic fuit morbus. Et omnino similis est* hist. 7. Epid. *de quodam qui in Olyntho jacebat.*

63 *Tamen hic dubitabis, an quum manet anxietas, & gravitas capitis num potius per alvum revellendum sit quam per vomitionem vacuandum, contra id quod sentit Hippocrates. Num omnis vomitus caput replet?*

64 *In febribus sæpe exanthemata quædam circum labia apparent, & tunc vulgus credit febrem exivisse: sed id falso. Pulmonicis (id quod hoc loco annotavi) efflorescunt nonnulla in cute circum pectus aut scapulas, & talia sunt signa contentæ materiei in pulmone; quum apparent pustulæ in aliquo, videndum num id sequatur vitium quoddam particulare partium internarum.*

HISTORIA SECUNDA.

ILlustris Domina corpore satis laxo, fluido, pituitoso, capite porriginoso, dysenteriis valde obnoxia, ad mensem Novembrem repente sensit ab utero fluere aliquid acre, mordax, & constrictionis angustiæque sensum inferens: nil umquam tale senserat. Id tum evenit quum a viro subacta compressaque fuit recens e Curia reduce. Is cetera sanus erat, natura salax, & uxorius: sed sex ante annis, quod alio divertisset, virore venereo infectus litum, ceteraque eam in rem usurpari solita, sustinuerat. Nec tamen vetere tabo maloque territus a pellicibus abstinet. Certa de ejus divertendi alio consuetudine opinio, & repentina insolentis mali eruptio contagionis fidem facit: sed ob dignitatem hominis auctoritatemque, is non accersitur in opinionem suspicionemque deserti thalami. Aliis id venereum videtur; sive veteris mali reliquias causari oporteat, sive recens, flagransque libido in alieno loco exercita id attulerit. Nonnulli fluoris muliebris contagionem aliunde in pudicitiam uxoris adscitam contractamque accusant. Honestius temperamento innocentis matronæ pudicæque tribuitur, ne diligentiore rei indagatione latens malum detectum contumeliosarum rixarum fomes ac semen exsisteret. Tandem quum curiosius inquiri certum esset, quid remedii sit, quæritur, an tuto id sisti possit, an totius corporis, aut unius uteri vitio id fiat? Tandem legitima ratio medendi administrata est. Sed mulier parum Medicis obsecuta, parum quoque levaminis sensit.

COMMENTARIUS.

DUbium valde est quid sit illud de quo tractandum, quum in historiæ descriptione nullius morbi, aut symptomatis certum nomen assignaverimus. Narramus enim de excretione quadam per uterum, quæ quoniam insolens erat, necnon insolenter ægram invasit (si modo ægra dicenda sit, quum integra sanitate frueretur) dubium valde est an ῥοῦς sit

γυναικεῖος (z), qui frequenter in mulieres incidit, an virulenta gonorrhœa, an gonorrhœa ſimpliciter, an vitio totius corporis, an peculiari ipſius uteri vitio id contigerit. Maxime vero id difficile fuit, quoniam hinc & illinc multum adeſſet difficultatis: illinc quidem, quoniam parvi non refert in æſtimandis rebus iſtis præjudicata uti ſententia, unde ſi in luis venereæ ſuſpicionem alterutrum vocaveris, veritatis odio aut tibi confles inimicitias, aut ſi non rite penſitatis rebus quicquam abſolute pronunties, querelis, criminationibus, ac jurgiis domum impleas: aut ſi ſecurus nimium, morbum minuas opinioneque minorem dicas, dum adblandiri malo volumus, ægrorumque levando opinionem tacitæ exiſtimationi ſpecioſum aliquid prætexere, periculum vitæ creemus, aut vitam infelicem, & calamitoſam reddamus: tandem coacti uſurpare illud quod jam judicio, & veritatis ſtudio anticipandum & antevertendum erat. Sæpe enim privatis de rebus rogamur ſententiam, ut quum neſcio quo pacto, aut viro, aut mulieri aliquid alienius effluxerit, quærant num purus alium inficiat; num quum olim lue infecti fuerint, uxorem caſtam, quæ de re ſimili cunctanter conqueritur, contaminare potuerint; an non potius (ut omnes ſunt quadam in ſeſe indulgentia propenſi, & facile ſuſpicioſi, præſertim, ſi vel minimus zelotypiæ aculeus eos pupugerit) mulier ſui oblita muneris aliorum conſuetudine id contraxerit. In quo quemadmodum hominum catorum prudentiumque ſuſpenduntur, nutant, ambiguntque judicia, ne ſi illum deferant, vitæ ejus metuendum ſit, ſin opitulentur, minas illius metuant, ſic levium hominum ingeniola facile definiunt, determinant, præſcribunt, immo & voce, & opinione prudentibus præeundum putant. At res iſtas expendere, & ad Momi lucernam obſervare operæ pretium eſt, maximeque ad Medici & auctoritatem & judicium examen hoc & cenſura pertinet, ut ne quid præcipitanter pronuntiet, nil ſtatuat de quo jam exploratum diligenterque quæſitum non ſit. Sic conſervanda retinendaque auctoritate, famæ & exiſtimationi eorum conſulendo qui noſtrum ea in re advocant conſilium, & aut præjudicata opinione, aut rebus extenuandis ſaluti non inſidiando, Medicus gloriam æternam eſt conſecuturus, & invidiæ aut malevolentiæ tempeſtatem, levitatiſque aleam eſt evitaturus.

Scopus noſter eſt duplex, unus ut examen ſtatuatur quo diſtinguas, ſi fieri poſſit, gonorrhœam virulentam, & fluorem muliebrem, ſive is vitii uterini conſequens ſit, ſive toti corpori acceptus ferendus ſit, ſive capiti, quod in morbo iſto primarius auctor exſiſtit. Poſterior eſt ut de fluore muliebri dicamus ex inſtituto. Quamquam autem jam duobus in locis *in noſtris Commentariis* de eo dictum eſt, dicendumque eſt forte plenius in ea πραγματείᾳ (a), quam inchoatam habemus de mulierum morbis, tamen iis relictis, & quæ nos jam expreſſimus, & quæ quis ex Rondeletio qui omnium ampliſſime materiem iſtam pertractavit, venari poſſit, vela

(z) Fluxus muliebris. (a) Praxi.

vela ventis dare, & longius paullo ſolvere volumus, quoniam res hæc & plurimum voluptatis, & utilitatis eſt allatura.

Corpore laxo, molli, pituitoſo, capite porriginoſo 2, dyſenteriis obnoxia, repente ſenſit ab utero fluere aliquid, acre, mordax, anguſtiæ ſenſum inferens, &c. TEXTUS.

Dum vox illa, *repente*, adjicitur, vim aliquid affert, ut dubitemus de eo fluore qui evenit: nam quum repente evenerit poſt compreſſum, credibile eſt ex viri contagione potius malum ortum eſſe, ſive reſes aliquod ſemen veteris luis venereæ, ſive furtivo concubitu hoc tabum expreſſiſſet, ſive ea mulier cum qua conſuevit fluore muliebri laboraſſet; eſt enim de genere morborum qui contagio ad alios ſerpunt. Fluor porro muliebris præſertim tam fœdus, tam malus & efferus non tam repente adoritur. Sed vulgo quæ mulieres ῥοῦν (*b*) iſtum patiuntur, primum aliquas ſentiunt in ſinu pudoris humiditates, quæ dum tempore augeſcunt, lævore quodam in utero contracto, tandem verum ῥοῦν γυναικεῖον (*c*) inferunt. Nec obeſt objicere illud quod ante docuimus ex Hippocratis *lib. De Diæta primo*, nimirum morbos ſenſim gigni & colligi, ſed repente & affatim inſurgere & irrumpere. Fluor iſte ſymptoma eſt conſequens morbum aliquem aut corporis totius, aut partis; at quum ea integræ eſſet ſanitatis, & nil umquam tale ſenſiſſet, id ſine manifeſta cauſa non evenit. Viri autem aut infectio, aut tabes, quam veluti internuntius & medius transfudit, & tranſmiſit in ſuam conjugem, e cenſu eſt τῶν φροκαταρκτικῶν (*d*). Ceterum quod diximus fluorem ſymptoma eſſe, illud ex decretis Galeni eruendum eſt. Ille tractans cauſas ſymptomaton in iis quæ excernuntur, in quibus qualitas, quantitas, & excernendi modus conſideratur, deinde ſubdit, *omnia ſymptomata ex ſimilarium partium intemperie, & inſtrumentariarum morbis, præterea ex materiæ tum quantitate, tum qualitate procedunt.* Ut coryzæ, catarrhi qui in excretione eſſentiam habent, ſequuntur aut intemperiem, aut obſtructionem aliquam: item ſuppreſſio menſium, aut immodica evacuatio ſequitur aut totius corporis, aut uteri vitium, ſive intemperies ſit, ſive in conformatione exſiſtat. Subdit, *ſed & mala expurgabuntur propter uteri* ῥευματα (*e*): id ſymptoma vocatur ῥοῦς γυναικεῖος (*f*), expurgato ſcilicet per eam partem toto corpore. Item contigit alia mala evacuatio propter affectum ipſius uteri proprium. Et ex eo loco fluorem muliebrem duplicem ſtatues, particularem, & univerſalem. Sed non ſatis explicat Galenus an fluor iſte qui uteri dicitur ſit ex parte materiæ, vel ex parte ipſius uteri, quia ait mala expurgari ob uteri ῥεύματα, quaſi diſpoſitio ῥευματικὴ (*g*), id eſt, qua promtitudo, proclivitaſque eſt ad fluendum, inſit ipſi utero. Ego vero credo ſymptoma id uteri dici, & ab Avicenna curſum matricis dici, & uteri ῥευματισμὸν (*h*), non

Cap. 4. lib. 3. de ſympto. cauſis.

(*b*) Fluxum.
(*c*) Fluxum muliebrem.
(*d*) Procatarcticarum.
(*e*) Rheumata.
(*f*) Fluxus muliebris.
(*g*) Rheumatica.
(*h*) Rheumatiſmum.

non quod in ipso utero vitium adsit, sed quia materia qualitate, aut quantitate peccat, quæ si non fluat per uterum, aliam viam rapiat, nempe aut alvum, aut venarum meatus: sic eo modo fluor muliebris ad uterum se habet, quo & diarrhœa ad alvum: intestina sæpe integra sunt, sed materia restagnans, aut habens perpetuam generationem, aut suppressa tantum, alvum permeat, per se incolumem & integram. Quamquam fieri potest, ut & uterus & intestina tandem lubricitatem habeant, & διάθεσιν ῥευματικὴν (*i*), ut loquitur Galenus *lib. de loc. aff.* qua diathesi idonea & proclivia redduntur ad recipienda excrementa aliarum partium. Uterus enim & ratione situs & conformationis perpetuo madescit, & facile aliarum partium redundantes superfluitates excipit: quæ alias malæ sunt in sua generatione, alias non illaudabiles, sed in transitu, & mora malignum quid acquirunt. Quod patet ex Galeno, & locus valde commemorabilis est, explicat cur multis tussientibus testiculus intumuerit, aitque id fieri quia a capite in thoracem flueret materia, a thorace in testes, & in his aliquid pejus commisit quam in pulmonibus ipsis; textus is est, *pars humoris qui a capite in thoracem descenderat, quia pulmo & testes consentiunt, ad eos defluxit.* Sed quod in testiculos fluxit erat malignius eo quod primo in pulmones descendit, ut pote quod in pulmone computruisset. Sic in pulmone materia jam aliquid mali nacta est, sed ad testes illabens jam pessima erat. Ex illo loco duo venari possumus ad eam, quam de fluore muliebri suscipimus tractationem, maxime pertinentia: prius est quod cum genitalibus membris thoraci magnum est commercium: unde catarrhosas mulieres, & pituita in pulmone abundantes opportunas fluori muliebri videmus, transfuso a thorace in uterum humore: posterius, quod humor dulcis, aut insipidus tractu ductuque aliquid deterius seipso acquirit. Et hoc loco quæri potest, an ῥὺς γυναικεῖος sit κάθαρσις, an κίνησις (*k*). Si a capite humor stillat, is sæpe malus, & graveolens non est; si ergo per uterum fluit, cur dicetur κάθαρσις, nisi forte aliquid mali acquisiverit? Revera est ubi id quod evacuatur per uterum insipidum est & inodorum, ut quum mulier tantum aquea est, aut nimio potu utitur. Immo Hippocrates si credibile est quod asserit, scribit de excretione ab utero, *si uteri pituita pleni fuerint* (Græce ἢν αἱ μῆτραι φλεγμήναται πλεῶσι) (ut novo quodam modo φλεγμαίνειν, pro pituitosum esse sumatur) *flatus oboritur, & menses albi pituitosi sunt*, Græce τὰ ἐπιμήνια λευκὰ ἐπιγίνονται, *aliquando sanguis pelliculis plenus & præ humiditate cum viro coire non vult, pallida & tenuis fit.* Rogabis an si quod fluit mordeat & ulceret; si non mordeat, pronuntiabis a cerebro fluxum esse, si mordeat, a ventre: Quod omnino verum esse nequit. Nam si a cerebro est, trifariam potest esse acre & salsum: primum si sua generatione pituita est, aut salsa, aut acida. Credibile enim est eam pituitam, quæ a capite manans tot tantasque vias peragrat, antequam ad unum uterum perveniat donatam aliqua qualitate qua sibi viam secet atque faciat: alioqui si pituita fatua

Comm. ad part. 12. sect. 1. lib. 1. Epid.

Lib. de natura muliebri.

(*i*) Diathesin rheumaticam.

(*k*) Purgatio, an evacuatio.

fatua esset, & ἄπιος, facile subsisteret, & sua mole loco remoraretur: Secundo modo dum pertransit, & alias moram aliquam trahit, seipsa deterior fit, acquisita nimirum qualitate & stimulo, unde antea docuimus idem phlegma a capite labens dum moratum in pulmone, & ad testes profluxit, deterius multo esse, quam esset quum in cerebro foret, aut a cerebro proxime emanaret. Tertio idem Hippocrates dum statuit discrimen inter humorem dolores in oculis facientem qui vel ab interno capite manat, vel a superficie sub pericranio, ait, *si ab interno capite est, humor acer & mordax est, si ab externo, non est.* Itaque si in uterum ab interno capite humor irrepit, ex illa Hippocratis opinione dolorem acrimonia sua est illaturus. *Hipp. lib. de locis in homin.*

Absolvamus nunc illud an sit κένωσις, an κάθαρσις (*l*) 4. Lochia, menses, & fluores albi, seu fluores muliebres, generaliter τῶν καταμηνίων καὶ γυναικείων (*m*) nomine continentur, item & illa quæ ab Hippocrate, ut postea dicemus, τὰ λευκὰ (*n*) dicuntur, quæ meo judicio aliud significant quam quum addit, καταμήνια λευκά (*o*). Omne autem καταμήνιον (*p*) videtur non modo esse κένωσις, sed κάθαρσις: nam tametsi initio quantitate tantum peccabat, facile accersit qualitatem ratione τῆς ἐπιοχέσεως (*q*), & tunc non dicitur solum evacuatio, & ἔκκρισις, sed κάθαρσις (*r*). Primum enim omnis suppressio aliquid alienius rei suppressæ acquirit, ut de suppressa in pulmone pituita dictum est ante, præsertim si qua mala dispositio aut intemperies sit circum partes, aut in partibus in quibus suppressio fit 5. Nec enim ubivis, & secundum idem, & eodem modo suppressio paria affert accidentia. Unde pleræque mulieres mensium suppressionem semestrem sine noxa patiuntur, aliæ non patiuntur bimestrem sine graviore damno: præsertim si vel facile corruptibilis sit sanguis, ut quibusdam evenit, aut si jam a primo ortu aliquid malæ indolis habuerit, aut si raptus fiet ad nobiles partes. Est enim valde notandum illud Galeni, sanguinem supprimi in muliere aliquando non propter paucitatem, aut vitium aliquod conformationis in utero, aut aliquid simile, sed quia sanguis præ suo robore ad alias partes defertur 7, in quibus hercle damnum aliquod excitare potest. Quæstio hæc valde exercuit Veteres, an menstrua purgatione excerni solitus sanguis qualitate peccet. Hac de re digladiantur omnes. Plinius malignitatem omni menstruo attribuit, & mea quidem opinione temere ac immerito: alioqui fetus re fœdissima frueretur. Galenus jam grandiorem fetum impura etiam parte sanguinis menstrui uti fatetur: sic in menstruo benignum & alibile aliquid subindicat, aliquid malignum. Plenius *in Epid.* docet κατ' ἐξοχὴν (*s*) purgationis nomine donandam esse evacuationem a partu, tum quia moram longam traxit, tum quia a massa sanguinis menstrui a fetu id quod benignius erat depastum & defectum est. *Menstrua*, ait, *suppressio offendit, non perinde ut ea*

Cap. 4. lib. 3. de symptom. causis.

Cap. 7. lib. 2. de symptom. causis.

Hist. 2. sect. 3. lib. 3. Epid.

(*l*) Evacuatio, an catharsis.
(*m*) Mensium & muliebrium.
(*n*) Muliebria alba.
(*o*) Menses albi.
(*p*) Menstruum.
(*q*) Suppressionis.
(*r*) Excretio, sed catharsis.
(*s*) Per excellentiam.

ea quæ a partu est, quod hæc non solum copiam, sed etiam insignem pariat humorum pravitatem. Est etiam menstrua purgatio, non solum evacuatio, sed & purgatio. Sed non est æqualis copia vitiosorum humorum ei quæ gestationis tempore congeritur, quam a partu evacuari oportet. Et hic ex Galeno patet & solitam menstruorum evacuationem & lochiorum τῆς καθάρσεως (*t*) nomine coerceri: quamquam per se, & ratione sui sanguis qui singulis mensibus, præsertim silente Luna, ut omnium doctissime explicat Aristoteles, effunditur, potius quantitate peccat: In morbosa muliere qualitate facile peccat, ut & in viro morboso: in morbosa muliere, sive toto corpore sit talis, sive præsertim utero, cui magna vis inest ad totum corpus 8 immutandum; nam & ex Galeno uterus fere toti corpori consimilis est. Is porro si a suo temperamento discesserit, si biliosos humores, aut in acetabulis, aut in cornibus, aut inter tunicas, aut suo sinu collegerit, tunc sanguinem menstruum, ejusque maxime partem quæ primum ad eum pervenerit, inque eo rursus resederit, donec menstrui excernendi tempus advenerit, eodem vitio inficit atque depravat, unde forte ea maleficia, quæ Plinius menstruo attribuit, consequuntur, & menses erumpunt albicantiores, & minime florentes. Hoc Galenus expressit, ob uteri proprios morbos, tum qui in processibus supernis, & cornibus, tum qui in collo, tum qui in toto ejus tergore consistunt, menstrua aliquando plura, aliquando pauciora eveniunt, aliquando non prodeunt, vel mala prodeunt.

Cap. 4. lib. 2. de generatione.

5. Aph.

Cap. 4. lib. 3. de symptom. caus.

Ergo ex præcedentibus patet, & menstruam evacuationem & lochiorum, purgationem esse. Nec ad id omittendum illud Galeni λόχια κάθαρσίς ἐστι (*u*): est enim purgatio vitiosorum quæ gestationis tempore acervata sunt: absumptum enim utilius est a fetu, remansit vitiosius quod ante singulis mensibus evacuabatur. Ergo notabis evacuari aliquid vitiosum singulo quoque mense.

Comm. ad part. 47. sect. 2. lib. 1. Prorrh.

De fluore albo nunc restat agendum. Si superiores evacuationes, præsertim menstrua & naturalis, purgationes sunt, multo magis & ῥῦς γυναικεῖος (*x*): nam sive saniosus sit, sive albus, sive alius generis, aut vitium in utero designat, aut in toto corpore: nec solum suppressionem aliquam humoris & coacervationem sequitur, sed & perennem generationem: alioqui facile exhauriretur: sed & dispositio ῥευματικὴ (*y*) in utero, & partium a quibus manat malitia, istam perennitatem affert. Si sola cerebri dispositio catarrhosa in causa esset, non tam operosa esset curatio. Quicquid itaque ab iis partibus effluit præter menses ordinarios statosque, illud symptomaticum est, & malum: nam aut uteri vitium, aut totius corporis tamquam causam consequitur. Etenim quibus mulieribus viscera refrigerata sunt, vel obstructa, vel dura, vel cruditates cachexiam induxerunt, corruptus humor in varias partes effusus, in uterum sæpe procumbit, & illac decurrens corpus totum expurgat, quod aliis per renes, aliis per alvum fieri solet: immo in utero tandem idem fit quod & in alvo. Nam

(*t*) Catharseos.
(*u*) Lochia sunt purgatio.
(*x*) Fluxus muliebris.
(*y*) Rheumatica.

Nam ut diuturnitate profluvii alvus ipsa laxatur magis lævisque fit, ita cursus perennitate uterus lævior fit: & ut λειντερίαν (z), vocare possis μητραλεῖαν (a). Bifariam enim lævitas, Græce λειότης, uteris adesse potest; uno modo quum perennitate fluendi corpus uteri lubricum magis fit, quo in sensu accipimus paullo ante: posteriore modo ut corpus ipsum aut natura sua, aut ulceribus innatis λεῖον fiat: Hæ difficilius retinent fetum. De lævitate uteri Hippocrates. Porro aliud est corpus uteri esse læve, Græce λεῖον, & leve, id est κοῖφον; leves enim uteri sunt, quum aut evacuati, aut reficcati sunt, Græce αἱ μῆτραι ἀνανδεῖαι (b) dicuntur: & ut lævitas causa est corruptionis fetus, ita ista levitas subitæ suffocationis hystericæ causa existit Hippocrati. 1. de morbis.

Fluor iste uterinus, fluor albus dicitur politico loquendi modo, quamquam sæpissime alienioris est coloris: sed lenitate verbi tristitiam & fœditatem morbi mitigare volunt. Quum apud Hippocratem λευκὰ (c) leguntur, dubitari potest an intelligatur iste fluor muliebris de quo agitur: nam & absolute τὰ λευκὰ leguntur, & τὰ καταμήνια λευκὰ (d), ut ante citavimus ex *Com. de natura muliebri.* Et diximus nomine τῶν καταμηνίων λευκῶν, vere fluorem uterinum intelligi, præsertim pituitosum, sed nomine τῶν λευκῶν videtur aliud audiendum. Hippocrates primum ita scribit: *Si mulieri a partu cum febre alba retineantur, pessimum.* Galenus miratur cur Hippocrates non dixerit absolute retentionem & sanguinis, & biliosi excrementi malam esse, sed solorum alborum meminit: sed uno dicto cetera audiuntur 9: ac videtur nomine λοχίων (e) purgationis τὰ λευκὰ audire. Et peculiariter non significat uterinum fluorem, sed meo judicio excretionem cujusdam mucoris, aut lacteæ substantiæ quæ post partum exigi foras commodo enixarum solet. Quod autem peculiariter significent λευκὰ purgationem a partu patet *ex Epid. Mulier*, ait, *in Larissa prægnans erat, decimo mense sanguis multus fluxit*, 14. *excidit puer mortuus, tertia die noctu eadem hora qua prodiit puer secunda excreta est, & τὰ λευκὰ, id est, purgamenta alba.* Aristoteles vero τὰ λευκὰ proprie in puellis considerat, quibus loco mensium aquositates & superfluitates excernuntur. Verba ejus sunt: *Feminis eodem tempore exsurgunt ubera (quod fratrare dicitur) & menstrua erumpunt: τὰ δὲ λευκὰ (f), admodum puellis eveniunt, & magis si cibo utuntur humidiori: hæc incremento corpus prohibent, & illud valde extenuant. Idem τὰ λευκὰ vult venire iisdem puellis loco menstruorum quum sanguis incoctus & crudus est. Postquam enim de eruptione mensium egit, subdit, quum excrementum mutatum est in sanguinem, tunc menstrua erumpunt, si coctum non est, paullatim subinde aliquid secernitur, ideo τὰ λευκὰ καλούμενα (g) parvis adhuc & puellis eveniunt.* Fernelius puellis præsertim cachecticis, & defœdatis ῥῦν γυναικεῖον (h) obvenire

1. de morbis mulierum.

Par. 47. lib. 1. Prorrh. sect. 2.

5. Epid.

1. Cap. lib. 7. de hist. animal.

(z) Intestinorum lævitatem.
(a) Uteri lævitatem.
(b) Si uteri efflorescant.
(c) Alba.
(d) Menstrua alba.
(e) Lochiorum.
(f) Alba verò.
(g) Quæ alba muliebria dicuntur.
(h) Fluxum muliebrem.

nire narrat septennibus, & idem est ac ista τὰ Aristotelis λευκά. Nos septennem vidimus puellam valde sanam quæ crederetur laborare τοῖς λευκοῖς (*i*), quod cum serva fluorem uterinum patiente concubuisset.

Ergo omnes istæ excretiones, καταμήνια, & λόχια, & ῥοῦς γυναικεῖος, & λευκὰ (*k*), verè καθάρσεις (*l*) sunt: Galenus autem κάθαρσιν verè definit ejus quod qualitate molestum est evacuationem: & tunc generaliter sumitur, sive a medicamento fiat, sive a natura, sive etiam symptomatice fiat ut Thucydides annotavit. Idem hac de re ita sentit, vacuatio est propriæ materiæ, ubi quantitate exsuperat; purgatio est alienæ quæ affligit per qualitatem. Et notanda est hæc vox, *Propria materia*, quia essentiam vacuationis statuit, & illa, *Aliena materia*, quæ purgationis naturam explicat. Siquidem non solum quantitas, & qualitas veram essentiam & differentiam horum constituunt: ferè fit enim ut cum qualitate peccet quantitas, & tunc non κίνωσις, sed κάθαρσις (*m*) dicitur: ut quum de purganda pituita agit Galenus, dixit, *si superabundet pituita, molesta sit, phlegmagogo uteris*: verbum πλεονάζον (*n*) copiam docet, τὸ δὲ ἐνοχλοῦν (*o*) qualitatem significet. Et idem quum loquitur de commodo fluxus hæmorrhoidalis ait eum conferre non solum ratione evacuationis, sed & qualitatis humoris ratione: Sed quis dubitat quin & plenitudo, & cacochymia esse possit: ut cacochymia spectet qualitatem, plenitudo copiam. Nam materia propria multa & superabundans, quæ proprie evacuari dicitur, dum mora corruptionem acquirit, aliena tunc materia dicitur, & quali & quanto peccat. Sic conciliandus Fuchsius cum aliis. Galenus aliud statuit discrimen inter κίνωσιν καὶ κάθαρσιν, *Quum excernuntur quæ corrupta sunt, purgatio corporis dicitur, quum excernuntur quæ vi morbi fiunt, vacuatio.* Quasi vero symptomatice, id est vi morbi, prava non possint evacuari, ut in pestilenti constitutione vi morbi dejectiones variæ excretæ sunt, & purgatio erat. Sed hoc vult auctor vi morbi propriam materiam, & vitium facientem minime aliquando excerni, at hoc κίνωσις est, non κάθαρσις: Sed si corrupta sit, quovis modo id fiat, sive arte, sive natura, sive symptomatice, per quemcumque locum, & a quocumque loco, generaliter τῇ καθάρσει continetur. Et ita Thucydidem accepisse docuimus. Ut quum prava excernuntur languide & tarde, & vi morbi ob jecur male affectum perpetuo tale quod generans, numquid κάθαρσις dicitur? Politicus modus vocat κενῶσθαι (*p*).

Comm. ad Aph. 3. lib. 1.

Ad part. 28. sect. 3. lib. 1. Prorrh.

Aph. 21. lib. 4.

10 *Corpore laxo, molli, capite porriginoso, dysenteriis obnoxia.*

Hæc adduntur ut prætexatur aliqua occasio istius fluoris, & ut ratio habeatur corporis ipsius ad medendum. *Considerandæ sunt enim mulierum naturæ*, ait Hippocrates, *quoniam aliæ sunt albidiores & fludiores, aliæ siccio-res & nigriores.* Illæ fluori muliebri sunt obnoxiæ.

11. Caput

(*i*) Albis mensibus.

(*k*) Menses, & lochia, & fluxus muliebris, & menses albi.

(*l*) Purgationes.

(*m*) Evacuatio sed purgatio.

(*n*) Abundare.

(*o*) Et verbum turbare.

(*p*) Evacuari.

11. Caput πιτυριῶδες est quum

---- *Immensa pexum porrigine ningit,*

& provenit a vitioso corporis humore salsave pituita, vel a vitiosis serosis humoribus. *Serenus.*

Aliis id venereum videtur, sive veteris mali reliquias causari oporteat, sive recens flagransque libido, &c.

Suspicionem & conjecturas multas attulit tam inauditus & repentinus hujus mali ortus. Videtur enim nonnullis fieri posse, ut longa equitatione incalefactus quis, iniens mulierem, ob virosum semen, & serosum, incalefactum & κακόηθες (q) quid habens διὰ τὴν δυσκρασίαν (r), ardorem mulieri injiciat talem, qualis gonorrhœa laborantibus evenit. Item cur non fiat, ut si quis natura præsertim salax, & coire solitus, diu venere prohibeatur, quin ejus semen corrumpatur, tanto facilius, quanto & difficilius quis a venere abstinet, & semen turgentius habet? Semen enim, ut res benignissima, suppressum, dum nanciscitur aliquid cacoethiæ, inficere potest ac contaminare. Sed credibilius malum aliunde accersitum esse.

Alii contagionem fluoris muliebris adscitam putant.

Quæritur inter Medicos an si quis coeat cum muliere alba patiente, deinde suam adeat, eam inficere possit aliena fœditate. Si, ut verisimile est, fluor muliebris, præsertim qui aliquid malignum habet, ut non solum sit superflua quædam humiditas quam natura evacuat, sed virulenta excretio qua natura corpus eluit & expurgat, contagiosus est, & concubitu, & congressu, & consuetudine præsertim familiariore potest ad alias serpere: immo & vir potest infici. Sed quia mulier mulieri proximior est, & affinior, ut oculus lippus afficit non nares sed oculum, & phthisicus solum pulmones alterius inficit, ita a viro cum impura congresso, impuritas in aliam traduci potest. Sed hæc subtilius examen exquirerent.

Honestius temperamento mulieris tribuitur.

Quicquid sit, aquea, mollis, & effeminata corporis hujus dispositio, magnam propensitatem attulit ad subito labem hanc suscipiendam. Et inusta utero labes esse visa est, quod tantus doloris sensus aliquando, & angustiæ præsertim in dextris foret: fieri enim potest ut intactis sinistris dextræ laborent: uterus enim geminus est.

In reliqua Commentarius.

Sive aliquid foret venereum, sive quid foris adscitum esset, sive domesticum foret, iidem fere scopi sunt curationis: neque enim quum id effluxum habeat, inficietur lue mulier: itaque cavendum ne statim supprimatur. Restant itaque hæc dicenda: primum de speciebus fluoris uterini ex Hippocrate breviter dicetur; secundo an ejus sit aliquis usus, & quatenus: an tuto sisti queat: Item notæ quædam & distinctiones quibus aut a capite esse colligas, aut a toto corpore, aut ab utero: quamquam sa-

(q) Malignum. (r) Propter dyscrasiam.

tis hac in parte factum jam putamus: denique curationis capita perstringentur. Sed antequam omnia sigillatim explicemus, videndum an per easdem venas illuvies ista fluat, & sanguis menstruus, nam ab interna capacitate videtur quoque manare iste ῥῦς (s). Quum bene ordinata sunt omnia, menses sua periodo fluunt, deinde fluor muliebris cessat; menstruo cessante redit aliquando sine ordine, aliquando cum ordine quodam fluor muliebris: aliis & album & rubrum confundi videtur, & excernunt subalba & subrubra; aliis menses dicuntur decolores ut cacochymis, & tamen proprie ῥῦς non dicitur, sed decolores isti menses ῥῦν γυναικεῖον (t) fere præcedunt. Decolores autem fiunt aut vitio totius corporis, ut quum in massa sanguinis cruditas est magna, aut cacochymia, aliquando vitio quodam uteri. Unde ante notavimus fieri posse ut in acetabulis, aut cornibus, aut vasis uteri peculiari vitio accumuletur sanies quædam & quoddam πυῶδες (u), quod menses inficit, licet sanguis qui affluit ad uterum menstruam purgationem facturus floridus sit & laudabilis (12): etenim sensim ad partes uteri affluit, & hic moratur donec menstrua periodus adventarit, & ista quam fecit mora inficitur menstruum & exalbescit. Immo Duretus annotavit evenire posse, & sine febre, & cum febre, sine ulcere ullo uteri, ut circum venas uteri, præsertim fundum ejus, purulentum quid & albicans acervetur (quod forte fit aut quia sanguis diutius moram in venis faciens albescit, aut quia est pituitosior, aut veluti quadam imbecillitate uteri) quod dum evacuatur ῥῦν facit, sed id pauca quantitate excernitur: nec credere oportet tunc ulcus in utero esse. Credo uxorem Sellatoris id pati. Et forte ista sunt λευκὰ (x), quæ a partu consequuntur, diuturnitate temporis sanguine alborem acquirente: Galenus enim passim ait, si sanguis tantam in venis moram & arteriis traheret, quantam semen in vasis spermaticis, seminis more alberet: ut non amplius mirum sit si in corpore ipsius uteri exalbescat humor, & præsertim sanguis.

Præsertim hoc fit quum morbosus est uterus.

Cap. 10. lib. 4. de usu partium.

Atque ultimam loco quæstionem explicemus. Uterus pars est valde nobilis & momentanea, maxime quod ad propagationem generis humani conferat. Et ut tali dignitate pars prædita est, ita admirabiles habet ῥοπὰς (y), motus, καὶ ἐπιθυμίας (z), ut ea ratione Platoni ζῶον (a) dicatur. Quod amplius diximus *in nostro libro de morbis mulier.* Ratione istius muneris multa vasa ad eum pertinent, venæ, arteriæ, nervi, & vasa spermatica. Ratione situs, & quia illac sese natura repurgat quodam excremento, & quia capacitas est, facile illuviem aliarum partium excipit, præsertim a partibus situm superiorem tenentibus. Quod si corpus cacochymum sit, uterus, ut pars abdita & pervia, facile excrementis scatet. Immo tametsi ex proprio instituto illac sanguinem excernit eumque purum natura, tamen ob vasorum multitudinem, situm, consensum partium cum partibus,

(s) Fluxus.
(t) Fluxum muliebrem.
(u) Purulentum.
(x) Alba.
(y) Inclinationes.
(z) Et impetus animales.
(a) Animal.

partibus, &, ut clarius dicam, ob fluxilitatem, pars ipsa secundario, & veluti secunda intentione alias sordes excipit, a quibus facile obruitur, & inquinatur. Denique acquirit dispositionem ῥευματικὴν (*b*) excipiendo, & opportunitate recipiendi. Per uterum fluit naturali instituto sanguis isque menstruo circuitu: si mulier e natura habet, justa quantitate effluit, & talis est qualis e recens victima jugulata fluit: sin habet contra naturam, pallidior est excretio, aut pituitosior, vel quod talis in venis sit, vel ob alienæ materiæ admixtionem: & tunc καταμήνιον dicitur νοσώδης (*c*): fit autem id vel vitio unius uteri, vel totius corporis, ut sanguis laudabilis sit qui ad uterum fluat, sed contagione inficiatur. Item per uterum fluunt λόχια (*d*), quæ pertinent ad menses proprie dictos; item excernitur humor albus secretus & separatus a sanguine, & dicitur ῥευματισμὸς μητρέων (*e*), sive ῥοῦς (*f*), sive ῥεῦμα (*g*), barbaris, matricis cum sus: Ultimo virulenta fit quoque excretio quæ gonorrhœa βρομώδης (*h*) dicitur, ut distinguatur a muliebri gonorrhœa, in qua mulieri crudum quoddam & aqueum semen excernitur, tum ob imbecillitatem vasorum spermaticorum, tum ratione ipsius materiæ quæ parum compacta coactaque consistit: Βρομῶδεα γονόῤῥοιαν (*i*) infligit impurus concubitus. Hæc tametsi communia multa habent, tamen ut curationis scopi evarient, omnium notas atque distinctiones nosse oportet. Ac primum, ut ingenue dicam, tametsi prava & morbosa menstrua a fluore uterino non visi simus separare, tamen longe differunt. Quod autem differant, vel ex ipso Hippocrate notum est: nam *lib.* 1. *de morbis mulierum* innumeras species morbosorum καταμηνίων (*k*) explicavit, nomine τῶν καταμηνίων proprie usurpato, ut morbosum menstruum sano opponatur. Sed *lib.* 2. non utitur nomine καταμηνίων, sed τοῦ ῥόου (*l*), & ejus varias species enarrat. Sic quemadmodum tractationes horum differunt, sic & nomina, & ideæ morborum affectionumque, ut jam hoc loco aliud sit ῥοῦς καὶ καταμήνιον νοσῶδες (*m*). *Lib.* 1. *de morbis.*

Menses per venas internas uteri fluunt ab hypogastria dependentes, item per externas quasdam ad cervicem pertinentes. Et magna quæstio est quomodo mulieribus gravidis, & virginibus illibatis & integris menses fluant: nam si mulieribus ab interno uteri corpore mensis fluit, in graviditate ipsa oportet aperiri uterum, ut obvius fiat sanguini menstruo trames: quod est absurdum. Itaque Columbus & gravidæ, & non gravidæ vult menses fluere per hypogastriam cujus pars in cervicem uteri desinit, & illac fluit sanguis non per internam capacitatem uteri: quod valde ambiguum est. Porro a trunco venæ cavæ inferioris in lumbis oriuntur venæ, adiposa, renalis, spermatica: hæc utrimque una viris in testium tunicam

(*b*) Rheumaticam.
(*c*) Menses dicuntur morbosi.
(*d*) Lochia, puerperia.
(*e*) Rheumatismus uterinus.
(*f*) Fluxus.
(*g*) Rheuma.
(*h*) Impura.
(*i*) Impuram gonorrhœam.
(*k*) Mensium, menstruorum.
(*l*) Fluxus.
(*m*) Fluxus & menses morbosi.

epididymidem dictam, & substantiam absumitur & obliteratur, surculis aliquot tenuibus in suam peritonæi apophysin sparsis; in mulieribus dimidio sui in testes inseritur, altero dimidio uteri latera & fundum nutriendum, & per hunc ramulum menses expurgantur, tuncque ab interno uteri corpore manant: quamquam de hoc digladiantur auctores. Nam Galenus a testibus in cornua iter esse vult in interiorem uteri sinum per quod semen intrudatur. Alii Herophilum secuti e testium involucro iter esse voluerunt in nervosam uteri cervicem, non autem in interius uteri corpus juxta osculum interius. Alii tum in cervicem, tum in capacitatem uteri e testibus vias duci volunt, quarum ortus ab iis venæ & arteriæ majoris ramis trahitur, qui utrimque ad coxas & crura contendunt. Et quum uterus clauditur, non affectat sanguis per capacitatem viam, sed resiliens refluensque per cervicis vias elabitur: ergo per spermaticam ipsam menses fluunt: item & per ramum hypogastriæ. Nam ut spermatica a trunco venæ cavæ inferioris exit, ita a ramis duobus illis hypogastria ducta in partes omnes hypogastrii protenditur ac projicitur, in vesicam virilem minore ramo sese insinuat, in vesicæ collum & penem majori, item in muliebrem vesicam & uterum majore, in cervicem vero vesicæ & uteri minore inseritur: cujus minoris obsequio & ductu interdum gravidis, sano fetu, sæpe virginibus menses repurgantur. Sic ars secandorum corporum docet abunde excretionem sive sanguinis, sive cujuspiam rei alienæ, quæcumque & ab utero, & per uterum fluit, bifariam fieri posse, & per internum corpus, & per externum uteri corpus. Per internum ut per spermaticam, & per majorem ramum hypogastriæ, cujus minor ramus inseritur in collum uteri: per interiores vero sinus eo modo: per externum corpus beneficio ejus ramuli qui in collum uteri implantatur, quam solam viam menstruis sive virginum, sive mulierum, sive prægnantium attribuit Columbus, ut dictum est, neglecta omni speculatione eorum quæ in interiores sinus uteri injiciuntur. Immo negat consensum mammarum cum utero fieri ob epigastriæ ramos obvios mammariis & rectos abdominis musculos, sed id fieri per hypogastriæ surculos istos qui cervicibus uterorum applicantur & implantantur. Probabilior vero ratio eorum est qui a testibus vias in collum, tum in capacitatem uteri investigant.

Ergo quum uterus tanto usu & dignitate præstet, ut eum tamquam communis propagationis naturæque agrum seminariumque Deus constituerit, si qua eluvies sese illac ultro proripiat, id non naturæ præscripto, sed velut quodam interdicto fieri putandum est. Immo, quod notandum valde est, natura quoad potest eum sartum tectum retinet, & ab omni vi impetuque asserit. Declarat id quod primus & solus Hippocrates animadvertit, nimirum, *si solum in sinistra parte uteri ulcus fiat, & mulier in utero concipiat, sive etiam habet ulcus, sive sanata est, masculum enixuram spes est. Si in dextra parte ulcus fiat, & concipiat, femineum fetum enixura est.* Adeo satagit natura in uterorum incolumitate retinenda unius sobolis ergo.

2. Prorrh.

(13) Nunc

(13) Nunc institutum absolvamus, an ῥοῦς γυναικεῖος (n) & menses, & gonorrhœa sive fœda, sive naturalis per easdem vias fiat. Menses omnes, sive sani, sive morbosi sint, per idem iter fieri probabile est. At major dubitatio de ceteris, maxime de fluore muliebri: nam gonorrhœam utramque a spermaticis vasis fieri certum est. Et quum impurus cum muliere pura consuescit, semen occasionemque gonorrhœæ βρομώδης (o) injiciens, ob affinitatem & societatem seminis cum semine, potius inficit vasa spermatica quam venas alias: quamquam & postea per continuitatem ceteræ venæ contaminantur. Fernelius ῥοῦν γυναικεῖον a virulenta gonorrhœa distinguit, non ex materiei qualitate, nam sæpe fluoris materia externas qualitates omnino similes habet humori virulentam gonorrhœam committenti (de internis non loquor) sed ex excretionis fluendique modo. Nam, ait, hinc maxime βρομώδης excretio a vulgari fluore distinguitur, quod ille a spermaticis vasis prodeat, hic ab utero, & quod ille prorumpentibus mensibus non desinat, uterinus vero fluor cesset in menstrua eruptione, & aliquanto post tempore: deinde luis venereæ signa se produnt quædam pathognomonica. Duas priores differentiæ rationes non valde probo: quid enim est dicere virulentam gonorrhœam a spermaticis esse, fluorem uteri ab utero? si enim uteri nomine solam capacitatem audit, errat; si a toto corpore manat humor proreptans uterum, oportet eum præterfluere quædam vasa, & sic ab utero esse non potest, quin a vasis uteri; quod si verum est, etiam potest a spermaticis esse fluor, a quibus spermaticis etiam menses defluunt. Quod ad aliam rationem spectat, nimirum quod fluentibus mensibus desinat fluor muliebris, non desinat autem virulenta excretio, est quodammodo velle insinuare per easdem venas & ῥοῦν muliebrem fieri, & menstruam purgationem, sed diverso naturæ instituto (14), ut adest periodus menstrua, tum natura sistat cursum fluoris muliebris, inchoet autem solennem evacuationem, qua cessante ille humor qui inducias dederat, repetit. At videmus quasdam mulieres quæ cessantibus mensibus ῥοῦν (p) patiuntur tantum per dies aliquot: in quibus credibile per idem vas id fieri, ut menstrua eruptio aperuerit viam atque fluidiores venas fecerit: Aliæ sunt quibus perpetuo fluit humor albicans, & dum eunt menses, sinus pudoris non desinit esse imbutus eo humore pravo; in quo differet καταμήνιον ὑπόχλωρον & νοσώδες ἀπὸ τοῦ ῥοῦ (q); nisi forte dicas illud menstrua periodo ferri, tametsi malum, & hunc non periodo ferri ulla; ut menstru m malum ab ipsis vasis proprie esse dicatur, fluor muliebris a quibusdam inanitatibus & cæcis viis, aut venulis quibusdam quæ non tam vasorum rationem habent, quam inanium mæandrorum & ductuum: sed hoc conjectura nititur. Quamquam quis dicat gonorrhœam utramque a vasis potius esse spermaticis, alias fluxiones ab aliis venis, sed naturales & legitimas, esse potius ab internis vasis, illegitimas ab externis vasis in collum uterorum desinentibus.

Cap. 16. lib. 6. Patholo.

(n) Fluxus muliebris.
(o) Impuræ, fœtidæ.
(p) Fluxum.
(q) Mēses subvirides & morbosi à fluxu.

bus. Quid tamen impediet quominus quemadmodum in venis mesaraicis importatur chylus, & exportatur semicrudus sanguis, ut diversa materia uno loco contineatur, sed ob varias partium facultates varie dividatur, distribuatur, & diffluat? Revera quum in venis crudus est sanguis, & decolor est id quod effluit, ut etiam subalbicans sit, si modo certam habeat periodon, licet diutius duret, tum quia serosius est quod effluit, tum quod aquosius, tum quia mulier forte est humidior, ut jam ad leucophlegmatian accedat, tamen ῥοῦς non dicetur, sed καταμήνιον (r). Admirabile enim est quod in natura observatur. Nam videmus sæpe mulieres laborantes, quibus color alioqui defœdatus est tum ratione morbi, tum præsentis cacochymiæ, quibus si per phlebotomiam demitur sanguis, ille maxima ex parte est corruptus, & vitiatus, & talis apparet, immo etiam larga detractione talis conspicitur: Si iisdem, eodemque tempore mensis erumpit, id quod effluet erit laudabile & floridulum: quid hoc significat? an non ab iisdem vasis, & ab eodem fonte utrumque manat? Cur ergo non illaudabilis conspicitur qui ab utero, quemadmodum & qui e brachio detrahitur? Sed meo judicio id fit, quoniam quum demitur e brachio sanguis, si vires præsertim valent, dum facultas excretrix & totius corporis, & partis laborantis, suo fungitur officio, per modum quemdam defæcationis, & expurgationis, expellit id quod molestum est qua data porta: Argumento est, quoniam si vis est infirma, remanet & subsistit deterrimum, effluit laudabilis sanguis. At quum per uterum menstrua fit excretio, non tanta vis facultatis excretricis patet, quippe sanguis non peccat qualitate, sed quantitate: & tametsi neque utroque peccet, arcano & admirabili quodam consilio naturæ, aut Dei potius, menstrua ista excretio a natura tentatur, ad futuram procreationem; humectatur enim uterus, & ut natura doceat se adhuc habere reliquum sanguinem quo semen conceptum foveatur & alatur, si forte concipiatur: vulgo enim flores dicuntur, quod fructum præcedant, & sint certa signa futuræ conceptionis & generationis, & Hippocrates politico verbo dixit τὰ καταμήνια ἀνθεῖν (s): ut inde colligere & concludere liceat contra eos qui tantam maleficentiam sanguini menstruo attribuant. Præterea per uterum, credo, talem natura sanguinem suo instituto proprio excludit, qualem asservavit ad nutritionem fetus. Sed per apertam venam expellentis robore quodammodo desecatur, secernitur, & velut a massa sanguinis eximitur id quod nocet qualitate, & hujus judicium est maximum in excreto sanguine. Accedit quod si demitur sanguis, non nisi ægro corpore fit, ægraque parte (alioqui excerneretur floridus): si ea ratione fit, præsertim si inflammatio est aliqua aut putredo in parte, necessario putris effluit. Et etiam si in utero inflammatio est, qui ab eo inflammato educetur, illaudabilis foret: quamquam hic falli non oportet: nam fieri potest ut etiam per uterum menstruum effluat, quod tametsi floridum sit, tamen internam malam qualitatem habeat; & si fieri posset ut reponeretur in vas, quomodo in phlebotomiis fit, necnon vi facultatis in sanguine

(r) Menses. (s) Menses efflorescere.

guine etiam detracto residentis secretio fieret humorum, ut illaudabilis in vase appareret, quum in sindone laudabilis & floridus cernatur. Sed revera, nisi ingens in tota massa corruptio sit, aut facultatis excretricis summa vis appareat, aut confusio fiat laudabilis humoris cum illaudabili, menstruum sæpe apparet laudabile, etiam in mulieribus ῥῷ (*t*) laborantibus: Id quod arguit, necessario per alias vias excerni menstruum, & per alias fluorem fieri muliebrem: nisi forte id eveniat quod ante diximus, ut generatione & substantia, & qualitate laudabilis sanguis ad uterum alluat, sua periodo effluxurus, qui per contagionem ipsius uteri humentioris, & collectionem semimali humoris in suis vasis continentis, defœdetur ac contaminetur, & tunc Medici judicium fallitur, ignorantis, an talis a corpore manaverit, an non.

Tandem aliquando concludendum videtur, ut non per easdem vias omnino fluat menstruum naturale & ῥοῦς (*u*). Non naturale menstruum, quod proximum est ῥῷ, & naturale, quæ toto genere differunt ob materiæ varietatem, consentiunt in hoc quod per easdem vias ferantur. Savonarola vir diligentissimus & prudentissimus, ita de fluore muliebri, & menstruo sentit: fluxus quidam humiditatum quarumdam in mulieribus fit a menstruo alienus, & hic ab Avicenna Cursus matricis vocatur: hoc autem differt a menstruo, quoniam hoc a venis matricis venit, illæ aquositates a superioribus sunt vasis quæ deferuntur ad matricem, tamquam ad sentinam. *Avicenna. lib. 3. sent. 21. tract. 3. c. 23.*

Quicquid sit aut a corpore ipsius uteri, pote humidiore, id manat, aut est ῥεῦμα (*x*) a superioribus partibus. 15 Et quum uterus ratione situs facile recipiat excrementa aliunde allabentia, potest ea ratione humentior fieri, ut idem utero contingat, quod & ori eorum qui cerebrum humidius habent. Tanta enim in os saliva occurrit, ut cogantur παφλάζειν, id est, loquendo balbutire, & expafflant, id est, dum loquuntur præ nimia humiditate, & copia humoris bullas circum dentes excitant, vi spiritus e pulmone exsufflati ad vocem edendam. Et forte curiosius fuit quod inquisivimus per quas venas, & an per easdem venas menstruum & ῥοῦς effluat: nil enim interest quoad communem medendi rationem.

Restant hæc explicanda, ut quædam species τῶν καταμηνίων (*y*) explicentur ex Hippocrate, ut quæramus an fluor muliebris sistendus, an ejus aliquis usus: Item ut notas assignemus quibus colligas vel hinc, vel illinc advenire: quarto ut curationem instituamus, nisi forte hoc referendum putamus *ad nostrum librum de morbis mulierum.*

De primo dicamus ducti consilio Hippocratis qui *in Epid.* ita ait: *Prodeuntia & egressa nosse oportet, unde cœperunt, ubi desiere, quantum divulsa sunt, item colores, salsuginem, dulcedinem, tenuitatem, corpus, tempus. Idem varias species τῶν καταμηνίων explicat, menses enim sunt pituitosi, alii pelli-* *Ultima sect. lib. 6. Epid.*

(*t*) Fluxu.
(*u*) Fluxus.
(*x*) Rheuma.
(*y*) Mensium.

pelliculosi ὑμενώδεις *Græce*, *sanniosi*, ἰχωροειδεις *tenues*, *albi*, *grumosi*, *nigri*, *carbunculosi* ἀνθρακώδεις *Græce*, *caliginosi* ζοφοειδεις *Græce*, *acres*, *salsi*, *turbati* θολεροὶ *Græce*, & πυώδεις (z). Item & aliæ species sunt, ut menses ὑδροποιειδεις, qui non tam dicuntur hydropiformes, quod aqua excernatur, sed quod sanguis qui effluit loturæ carnium recens mactatarum simillimus exsistat, ut ex Hippocrate collegi, & quodammodo καταμήνιον ὑδροποιειδες ῥόον ὑδατώδεα (a) exprimit eodem loco. Quamquam si desinet menstrua periodus ῥόυ (b) nomen merebitur. Et quum loquitur de mensibus pituitosis ait hos fieri quum caput pituita plenum est, & ea non evacuantur per loca convenientia, sed in mensibus, & in turbatione sanguinis una cum purgatione foras exit; & quæri posset, an illud, *Una cum sanguine*, significet mixtionem pituitæ cum sanguine: ita sane; alioqui si sanguis seorsim, & pituita quoque effluerent, ῥόος diceretur; sic sanguis qui effluit albicantior est, & ὑμενώδης (c), id est pelliculas refert, & quodammodo ductilis est. Diximus enim ante Hippocratem alio in libro tractasse de morbosis mensibus, alio in libro de fluore muliebri: tametsi magna sit societas inter menstruum morbosum, & fluorem muliebrem. Et revera non debet utrumque confundi, alioqui rerum omnium distinctiones evertentur. Inter ceteros Hippocratis locos unus est valde commemorabilis dum loquitur de menstruo pituitoso in iis mulieribus in quibus caput humidius est, nec pituita, ut ante paullo dictum est, evacuatur convenienter: nam ἐν τῷ ταράχῳ τοῦ αἵματος, id est, dum menstruum commovetur, pituita quoque movetur, & sanguini confusa menstruum pituitosum facit. Deinde subdit, *Si non cesset ista excretio, eveniet ut mulier* ῥόον φλεγματόδεα (d) *patiatur, & siquidem iste* ῥόος *adest, semper procedunt per omnes dies, nunc confertim, nunc paullatim*: quandoquidem velut carnibus aqua prodit, aliquando ut ἰχὼρ (e), & tunc grumosi sanguinis copia est. Vides manifeste quomodo menstruum morbosum & pituitosum ob effluxum pituitæ a capite, quæ ad motum sanguinis mota quoque est, in ῥόον degeneret: Nam tunc quum non retinetur periodus, quum promiscuus & sanguis & pituita continenter effluit, ῥόος dicitur: Dicebatur prius καταμήνιον ὑμενῶδες καὶ φλεγματῶδες (f), quum retineretur periodus. Et hic locus præclarus, ut fluoris uterini, & menstrui distinctio teneatur. Et alio loco ait, si fluxus, ῥόος Græce, nimius fuerit, nullo fomento utere, sed subditio adstringente. Fluxiones porro, si repente advenerit purgatio, fiunt ὑφαίμονες, id est, subcruentæ, si tardius, purulentæ. Junioribus subcruenta magis, senioribus μυξώδεα, id est, magis menstrua mucosa apparent, Græce καταμήνια καλούμενα (g). Ac si dicat Hippocrates: Menses sunt morbosi, & improprie dicuntur menses, sed

Lib. 1. de morbis mulierum.

1. de morb. mulier.

(z) Purulenti.
(a) Menses hydropiformes fluxus aquosos.
(b) Fluxus.
(c) Pelliculosus.
(d) Fluxum pituitosum.
(e) Ichor, sanies.
(f) Menses pelliculosos & pituitosos.
(g) Catamenia dicta.

ſed potius ῥόος καὶ ῥόοι (*h*) dicentur: illo enim loco adumbrat veram naturam τοῦ ῥόου (*i*). Siquidem ipſiſſima verba *initio lib. 2. de morb. mul.* uſurpat, dum inſtituit docere περὶ τῶν ῥοῶν (*k*): Verba hæc ſunt, *fluxus albus in ſenioribus magis fit, fluxus ruber in junioribus.* Et illo loco vere ῥοῦν γυναικεῖον (*l*) explicat. Ac revera ex his omnibus locis apparet menſtruum morboſum affine valde eſſe ῥοῷ (*m*), immo menſtruum morboſum εἰς τὸν ῥόον (*n*) proxime degenerare. Ergo quoniam ſpecies menſium explicuimus, nunc ad fluores muliebres convertamur. Quidam λευκὸς πυῤῥὸς albus, flavus ἐξέρυθρος, ἐρυθρὸς, λευκὸς, ὑπόχλωρος, χλωρὸς, ὑπόλευκος, ἰχωροειδὴς (*o*), & variæ aliæ ſpecies quas *libro illo 2. de Morbis Mulier.* Hippocrates abunde explicavit. Inter ceteras ſpecies unus eſt fluor mihi valde incognitus, vocat autem ῥόον αἵματος ἐκ τῶν ἄρθρων (*p*): eſt autem quidam fluor glutinoſus, & ſanguineus a colliquatione partium ſpermaticarum, & qui tabem dorſalem tandem inferat.

Sub finem lib. de locis in homine.

Lib. 2. de morbis mulier.

Nunc alia perſequamur. An ſit aliquis uſus ejuſmodi fluoris. Ariſtoteles, ut ante docuimus, diſputans περὶ τῶν λευκῶν (*q*), ait ea in puellis apparere, & alicujus eſſe uſus. In quo quæſivimus an iſta excretio albicantis rei eſſet ῥοῦς. Ariſtoteles crudioris ſanguinis ſobolem hoc eſſe credit, ut non tam ῥοῦν (*r*) ſignificet quam καταμήνιον (*s*): De eoque ita ſentit, excretio τῶν λευκῶν (*t*) ſervat corpora integra; item & menſtrua purgatio, præſertim quum ab excrementis vindicentur. Sed ſi utraque evacuatio vel non fit, vel immodice fit, damnum evenit: aut enim morbi oriuntur, aut corpus marceſcit. Itaque illa τὰ λευκὰ (*u*) quum ſuperant, corporis prohibent incrementum, hæc autem ita fiunt. Quum natura coquere nequit, excrementum fit non ſolum alimenti inutilis, ſed etiam in venis, ut per tenuiſſimas venas exundando ſuperet. Atque illo loco τὰ λευκὰ ſignificant καταμήνια αἷμα, ὑφαίμια (*x*), ob cruditatem & quamdam cacochymiam quæ puellis ineſt. Nam ſi verus eſſet ῥόος non poteſt non eſſe malus, & ut ſignum, & ut cauſa; ut ſignum, quia declarat aut abundantiam excrementi, aut affluxum, aut generationem perennem: ſi caput humidius adeſt, item ſi hepar pravos humores generat, aut ſi ſplen generat pravos humores: omnium deterrimus eſt ῥόος qui & qualitatem malam habet, & perpetuam habet generationem, ſive ea ſit in toto corpore, ſive in una parte; ut cauſa, quoniam partes afficit per quas & in quas fluit: tamen ſi adeſt, non continuo ſupprimendum; ſive fiat ob ſolam congeriem (ita enim facile definit) ſive ob generationem: tunc enim prava diſpoſitio ſignificatur, quam prius tollere oportet, quam excre-

Cap. 4. lib. 2. de generat.

(*h*) Fluxus & fluxiones.
(*i*) Fluxus.
(*k*) De fluxibus.
(*l*) Fluxum muliebrem.
(*m*) Fluxui.
(*n*) In fluxum.
(*o*) Præruber, ruber, albus, ſubviridis, viridis, ſubalbus, ſanioſus.
(*p*) Fluxum ſanguinis ex articulis.
(*q*) De menſibus albis.
(*r*) Fluxum.
(*s*) Menſes.
(*t*) Menſium alborum.
(*u*) Menſes albi.
(*x*) Catamenia cruda, ſubcruenta.

excrementum quod inde immediate manat: teſtis dyſenteria, quæ repente ſuppreſſa graviſſimos morbos accerſit: Eſt ergo ubi fluor uterinus ad tempus juvat. At ſi humiditas tantum quædam ſimplex circum pudenda appareat, & certo colligas aut ob humiditatem corporis multam, aut ipſius uteri id evenire, aut quamdam uteri lævitatem eſſe, ut ante docuimus, ſine metu ullo ad ſupprimendas eas ſuperfluitates accedere poſſumus: quod notandum ad legitime adhibenda remedia.

Lib. 1. de morbis mulierum. Apud Hippocratem locus eſt valde commemorabilis: docet mulieres bilioſas non impune evacuationem ſanguinis per uterum ferre: quia, credo, Arabum opinione bilem ſanguis frenat. A tali evacuatione incidunt in ὀλιγοψυχίαν (y); cibi faſtidio, anxietate & vigiliis occupantur: at ſi alvus turbetur, bonum: Item, & ῥόος χολώδης (z) per uterum confert, ſed non per multos dies fieri vult (alioqui ulcerationis uterorum metus eſſet) nec magna copia. Tria ex hoc loco colliges; primum temere non moliendam ſanguinis evacuationem in muliere bilioſa, & ſi immodice feratur, ſtatim eum debere ſupprimi: Item alvi ſubductionem & vomitiones impenſe bilioſis conferre mulieribus, non ſanguinis evacuationem: tertio fluorem muliebrem bilioſum in muliere bilioſa (idem de aliis in ſuo genere audiendum) aliquatenus juvare: unde colliges non ſtatim reprimi debere, alioqui gravioris mali metus adeſt. Verendum ne ſi ſtatim ſupprimatur, reflexus ad partes nobiles ſuffocationem afferat. At uterus non eſt via conveniens? Fateor; nec aures etiam, nec cor; at natura ſæpe tamen iis viis abutitur, ut ſe onere eximat & liberet. Sed videndum ne uterus, pars nobilis, diu vexatus iſta fluxione graviter afficiatur. Etſi enim bonum eſt partes ſuperiores & ſitu & dignitate in inferiores ſeſe exonerare, videndum tamen ne dum hoc molitur natura, non minore detrimento nobiſcum paciſcatur: quod eveniet, ſi pars quæ excipit ita graviter afficiatur, ut ejus morbus magnitudine longe ſuperet commodum quod exoneratio partium attulit. Ergo fluor muliebris poteſt aliquando juvare, eo modo quo hydrops maniam ſolvit, & item hydrops dolores capitis tollit, & quum partes ſuperiores turgent, quod verbo antiquo vocat ἀπαργῶν.

Aph. 5. lib. 7. & ſub finem lib. 2. Epid.

Ultimum ex iis quæ propoſita ſunt, erat, ut notas aſſignaremus obiter quibus colligas vel a toto corpore, vel ab utero manare fluorem, vel affectionem in parte aliqua latentem conſequi. Nec enim iis contenti ſumus, quæ ex Hippocrate adduximus, ut ſciatur, an a capite fluor ſit, an a ventre: rurſum vel ab interno capite, vel ab externo: ſunt enim obſcuriora, nec rem ſatis explicant. Ceterum docuimus jam ante quaſdam uterino fluore mulieres laborare, quibus tantum poſt menſtruam purgationem ſeroſa illa excretio contingat (17): aliis inter duas purgationes menſtruas evenit: aliis indeſinenter, niſi quum it menſtrua purgatio. Deterrima hæc poſtrema, tum quia aſſiduitate fluendi naturæ vires atteruntur, tum ob inſo-

(y) Animi imminutionem, puſillanimitatem.

(z) Fluxus bilioſus.

insolentiam fluoris; sic enim per contagionem bonum alimentum corrumpitur, & una cum pessima materia laudabiles spiritus effluere possunt, hinc ἀψυχία (a). Ergo aut ab utero, aut aliunde primario, (nam omnis per uterum fit, ideo symptomatibus uteri annumeratur); aliunde, aut quum mollius, & mucosum effeminatumque est, aut ὑδροπικοειδὴς (b): pote quum pituita multa abundat, aut sero multo. Unius vero partis, ut quum aut cerebrum humidius est, aut a pulmonibus serosum quid, aut ab alia parte, immo ab utero ipso esse potest (18). Ab utero, vel quod sit humidior, vel quod in venis quæ sunt ad fundum ejus collectio fiat materiæ albicantis, quæ diu suppressa deterior fit, & tamen ulcus adesse non est necesse: item ratione ulceris. At si adest facile se signis profert, tum ex qualitate materiei fluentis, tum ejus quæ processit, tum a dolore petitis: accedit congressus difficultas ob dolorem qui excitatur, maxime si circum collum ulcus lateat (19). Maxime vero ab utero esse colliges, si circum os pectinis, aut in partibus internis ad uterum dolor quidam profundus sit, si menses suppressi sunt; credibile enim circum uterum stabulatum esse humorem, qui mora vitiat uterum: quod Hippocrates *in Aphor.* declarat, si menses non fluunt, in utero morbi eveniunt, quod interpretantur de erysipelate, scirrho, aut alio simili tumore in utero nascenti. Si corpus bene habitum sit & floridulum, credibile est ab utero potius esse. Sin corpus pallidum, aut biliosum, aut melancholicum, vel in toto, vel in parte, illinc pendere ῥῦν (c), probabile est. Ita enim de iis *in Com. Aphor. Cacochymis mulieribus non modo purgationes menstruæ*, Græce καθάρσεις ἔμμηνοι, *decolores fiunt*, (*decoloratio enim non solum ob pituitam, sed ob melancholicum & biliosum humorem fit*,) *sed etiam menstruam periodum non servant. Nam si crassiores fuerint humores, difficilius fluunt quam ii qui secundum naturam sunt, longiusque tempus expectant; sin humidiores fuerint & tenuiores, consuetum tempus anticipant, vel diutius fluunt*, quoniam aqua intercute laborantibus muliebria diutius perseverant. Quo loco notandum Hippocratem non loqui περὶ ῥῦν γυναικείων (d), quia usurpat vocem καταμήνια ἄχροα (ἄχροα id est, decolores menses, vel πολύχροα (e), ut placet Philotheo:) & quum dicit non per idem tempus venientes, id est, periodum consuetam non servantes, tacite declarat causam subesse, aut crassitudinem humorum, aut viarum infarctum, unde fluor impediatur. Nisi quis includere voluerit ῥῦν γυναικεῖον (f), quod fluor sit ἄχροος (g), quod non per idem tempus veniat. Tamen vere de mensibus audiendum Aphorismum putavit Galenus.

Aph. 57. lib. 5. Gal. in Com.

Gal. Com. ad Aph. 36. lib. 5.

Revera, ut libere dicam, ob vitæ institutum nostrarum mulierum, ob cruditates & intemperantem vitam, præsertim iis in regionibus, in quibus corpora sunt molliora & humidiora, facile uteri pars declinat, & ad sen-

(a) Animi defectus.
(b) Hydropiformis.
(c) Fluxum.
(d) De fluxibus muliebribus.
(e) Non per idem tempus venientes, multifluentes.
(f) Fluxum muliebrem.
(g) Decolor.

tinam corporis collocata poteſt ῥεύματα (*h*) excipere & ῥῷ (*i*) tentari: & innumeræ ſunt mulieres apud nos quibus familiaris hic morbus. Quin etiam pleræque pulmonum morbis a defluxione corripiuntur, ut mirum non ſit ſi eodem & modo iſtis ῥευματισμοῖς (*k*) corripiantur deſcenſu illius materiæ, ut ante docuimus de conſenſu partium thoracicarum cum genitalibus. Tamen meo judicio videtur potius a cacochymia corporis totius, & præſertim ventris inferioris ῥοῦς eſſe: ut idem eveniat quod in fluore alvi. Sed fluoris alvini ſiſtendi facilior eſt ratio, quam ῥοῦ (*l*), quia & aſſumptorum, & admotorum vis in ſiſtendo alvi fluore percipitur. Porro aliis varia accidentia eveniunt ἐν τῷ ῥοῦ (*m*): aliis nulla aut pauca: inter cetera Hippocrates obſervat nonnullis pituitam acrem a capite delabi, præſertim gravidis, & tunc facit παλμοὺς ὑπολυομένους; palpitationes ſubexſolutas vertit interpres, & male: melius palpitationes ſubexſolventes verterem. Alia multa in *libris de morb. mulierum* invenientur.

Ultimam nunc partem inſtituti perſequamur, quæ in curatione conſumitur. Ac primum tum ratione partis ipſius, nempe uteri, tum naturæ mulierum difficilis curatio. Partis quidem, quoniam nec vis medicamentorum, præſertim admotorum, intro ſubit, tum quia facile patet excrementis. Naturæ mulierum, quia non facile ſuos morbos Medicis detegunt, & quum ſciant ſe ægrotare, quoniam vim momentaque morbi non intelligunt, tum demum de iis aperiunt, quum jam progreſſi vix curationem admittunt, nec obſequuntur Medicorum placitis. Ac primum generalius rem tractabimus, præſertim quod ad eam mulierem pertinet quæ ῥῷ laborabat, cujus maxime originem a capite repetivimus, quod corpus mollius & humidius, & caput porriginoſum haberet. Omnino autem corpora humidiora natura ſunt morboſiora, ſi verum illud: *Queis natura nares humidiores, & genitura humidior, minus integra ſanitate fruuntur: quibus contraria, ſalubrius degunt.* Aliter in Epid. *Quibus natura nares humidiores, genitura humidior & copioſior, hi morboſius ſani ſunt.* Plurimis autem quibus ex morbo (ſuppl. natura) humidiores nares, vice verſa, id eſt, ſani etiamnum degunt: ſed ſani κατά τι (*n*). Ubi notare oportet Hippocratem opponere humidiorem τῇ φύσει (*o*), humidiori τῷ ἐκ νόσου (*p*). Quid hoc ſignificat? An qui ex morbo humidior eſt, ſanius degit, quam qui natura talis eſt. Immo quo naturalia inſtrumenta ſunt humidiora, eo melius omnia in corpore adminiſtrantur? Secretum aliquid hic latet. Duplex eſt humiditas, una naturalis, altera contra naturam. Rurſum naturalis bifariam, una humidi primogenii ubertate, & hæc omnino bona eſt, quamquam omnino in natura exceſſus malus: unde priſco quodam modo philoſophans Hippocrates de mixtione aquæ & ignis docet eos morboſiores fore quibus plurimum eſt aquæ. Altera naturalis humiditas, eſt exceſſus cujuſdam excrementitiæ aquoſitatis, & ut ſic loquar pituitoſitatis a primis

Aph. lib. 6. Sect. 6. lib. 6. Epid.

Lib. 1. de Diæta.

(*h*) Rheumata.
(*i*) Fluxu.
(*k*) Rheumatiſmis.
(*l*) Fluxus.
(*m*) In fluxu.
(*n*) Secundum aliquid.
(*o*) Naturâ.
(*p*) Ex morbo.

primis parentibus orta, & diæta non correcta, sed potius sota & alita. Cujusmodi plurimas Scytharum mulieres Hippocrates demonstravit ob naturalem humiditatem infecundas esse: & de hac humiditate Hippocrates *hoc Aphorism.* intelligit: ideo minime sani sunt (20). Altera humiditas vel præter naturam hoc in loco est vel ex morbo, vel ex diæta. Nunc intelligamus cur anteferat humiditatem ἐκ νόσου humiditati κατὰ τὴν φύσιν (q), quasi sanius degat humidus ex morbo, quam qui natura talis est. Ita sane. Sed absolute pronuntiat & generaliter omnes morbosiores esse quibus natura nares humidiores: quum de humiditate ex morbo ait, scribit, *Plurimis humidis ex morbo non tanta valetudinis imbecillitas.* Itaque non absolute pronuntiat. Quod sic intelligo: fieri potest, ut quis propter causas aliquas morbificas, & semen & nares, & cerebrum humidiora habeat, sed dum natura eam humiditatem evincet, & ars corriget, etsi aliquo tempore valetudinarii exsistant, tamen non tamdiu tales exsistent, quamdiu ii qui jam a parvo puero istam humiditatem in toto corpore contraxerunt (21). Item quum naturalis est humiditas, fere totius corporis est; quum morbo fit, sæpe unius tantum partis est. Accedit & quod commodo corporis fit, ut corporis excrementa evacuentur, quod dum fit, corpus morbo, sive ex morbo humescere dicetur, atque sic mea de iis ratio est. Alii suo judicio utuntur. *Libr. de Aere.*

Ergo qui humidiores sunt vel natura, vel vitæ instituto, præsertim si excessus & nimietas sit, iis minus integra sanitas conceditur: siccioribus contra. Quod sine diorismo non audiendum, alioqui locus lubricus est. Primum audiatur Galenus. *Siccioribus naturis nulla est superfluitas, humidioribus contra. Nam humidioribus sive toto corpore sive cerebro tantum, continuo destillationes ex parva occasione oboriuntur, anginæ & consimilia* (22). *Comm. ad Aph. 2. lib. 6.* Contra tamen ea quæ dicuntur a Galeno de natura siccioribus, quod nulla omnino superfluitas & sensibilis nec per cutim, nec ex cerebro effluat, objici potest illud quod vulgo observatur, natura biliosiores & sicciores ob calorem acrem adurentem sæpe cruditatibus abundare, immo & passim destillationibus ferinis tentari. At dicemus id non fieri per se, sed ex eventu: vel potius quum humidum dicimus, manifestum excessum humiditatis audimus, ut quantitate peccet, sed quum meminimus humiditatum δριμέων, καὶ πικρῶν, καὶ πικροχόλων, καὶ χολώδεων (r), quas in sicciioribus abundare videmus; eæ potius qualitate peccant, ut in humidorum censu non habeantur.

Ita pro ea muliere consultum est.

Quum caput plenum est aut dolorifica invehuntur, aut καταφορικά, aut καταῤῥοικά, sive καταῤῥώδεα (s). Ergo si ῥοῦς γυναικεῖος, sive κατάῤῥηξις, sive ῥευματισμὸς (t) sequitur a defluxione capitis, non autem a congestione in utero, hic præcautioni & curationi locus esse debet: præcautioni eorum

(q) Secundum naturam.

(r) Acrium, amararum, amarobiliosarum, & biliosarum.

(s) Aut somnum afferentia, aut rheumatica, aut catarrhodea.

(t) Fluxus muliebris, sive disruptio, sive rheumatismus.

quæ consequi possunt, curationi eorum quæ jam adsunt. Primum generationem impediemus; id fiet, tum parti consulendo ei quæ mittit, tum toti corpori, si forte totius vitio id fit, ut pote mollioris & nimium mucosi: & bifariam fiet, tum ratione victus, tum purgatione: aversione a parte in partem contrariam, ut pro uteri fluore alvi fluor consequatur: corroboratione, mitigatione; corroboratione partis recipientis, & generantis: mitigatione, non solius humoris transeuntis, sed aut in tota massa sanguinis, aut quacumque parte latitarit. Generatio prohibebitur, tum hauriendo corpus, tum partem a qua fluxio manat: nam etsi uni parti vitium adscribitur, tamen totum corpus aliquando mollitie diffluit. Evacuatio fiet vel corporis totius, vel partis, manifeste aut occulte. Corroborabitur tum externis, tum internis. Ac primum consuletur toti corpori victus ratione, abstinentia rerum liquidarum, vini albi, parciore cœna, abstinentia horariorum, salsorum, piperatorum, item victu uniusmodi. Purgationes erunt ex rheo, syrupo rosarum solutivo, pulvere hieræ, syrupo de cichorio composito cum rheo: valet & syrupus Montagnanæ ex aquis artemisiæ, matricariæ in quibus agaricus infundetur, & saccharum candum ad lib. j. dissolvetur ut fiat syrupus coctus. Ventriculo studendum blandioribus fomentis, & pulvere cui digerendi & confirmandi vis insit: capiti vero per frictiones, & sacculos milio, furfure cum foliis sampsuchi & consimilibus paratos. Macerata salvia in vino albo ore continebitur ad promovendam salivam: Lixivium quoque solemne accommodatum erit. Utero vero præsertim dum transitu acrimonia lædit humor conferet applicatio sacculorum, tapso plenorum, qui madebunt lacte, aut aqua & vino, vel furfur excipietur sacculo & applicabitur. Magma rosarum confert: item chamæmelum, & melilotus. Utetur pulvere ordinato ex electuario diatragacanthi frigidi, pulvere ireos, pulvere glycyrrhizæ, & saccharo cando; vel accipientur sæpe tabellæ electuarii diatragacanthi frigidi, vel dissolventur jusculo & accipientur. Litus fiet ad spinam ex oleo mastichino, myrtino addito benzoino: tandem applicabitur emplastrum contra rupturam, aut similia parabuntur. Sub finem utetur syrupo ex rosis transmarinis. Ad extremum valebit sudatorium.

Nunc autem sigillatim magis de curatione ista agemus sumpto exordio ab iis quæ ante dicta sunt. Nam docuimus alium fluxum biliosum esse, alium pituitosum, alium melancholicum: Item alias totius mollitiem laxitatemque in causa esse, ac præsertim pituitosi aquosique fluoris; alias hepatis pravitatem, præsertim ejus qui biliosus & subviridis est, aut alius deterioris coloris: & in hoc morbi idea agnoscitur, cujus notitia apprime ad medendum confert. Quis enim dubitat quin aliter sese gerere oporteat toto corpore affecto, quam si vel pars una, vel uterus ipse laboret? Quinetiam dispositionis varietas rem quoque variat. Nam in quibusdam est frigiditas & humiditas multa calorem nativum obruens causa hujus rei; in aliis vitium ventriculi, & primæ regionis, ut in iis quæ fœdos quoque colores patiuntur, & in talibus fœtet anhelitus, ructus adsunt, cachexiæ signa, luridi sunt dentes, gravedo, tumor pedum aut corporis: est enim prava chylosis, seu pravitas, ut loquuntur practici, digestionis.

geſtionis. Item quemadmodum ventriculus & lactes male ſuo funguntur officio, ita & hepar, & ejus venæ: ſic ut quum fiet mala hæmatoſis, necnon ob pravam ejus diatheſin, extraneumve calorem, aut refrigerationem quamdam, chylus in meſaraicis, & ſimis hepatis corrumpatur, unde occaſio facile naſcitur aut fluoris alvi, aut uteri, prout vel alvus, vel uterus prius iſtam κατάῤῥηξιν (*u*) ſuſcipit. Nec enim neceſſe eſt pravum fieri ſanguinem, ſed ſæpe mediis viis impreſſione ipſius hepatis chylus inficitur, & maleficam accerſit qualitatem, unde corpus nihilum proficit. Evenit etiam ut in ipſo utero infirma ſit facultas concoctrix, unde uterus humentior frigidiorque factus dum aquoſa ſuperfluitate proluitur fluori uterino occaſionem dat & principium. Quis itaque iiſdem agat remediis ſi hepatis vitio id eveniat, & ſi ventriculi vitio? Item ſi exceſſus ſit caloris corrumpentis in hepate, unde κακοπραγία (*x*) conſequitur, aut exceſſus humiditatis, unde debilitas conſequitur?

Ac primum quod ad totum corpus pertinet, hoc in loco breviter perſtringenda eſt curatio fluxus muliebris, quum Galenus propoſuit in uxore Boethi eo fluxu laborante ob nimiam & humiditatem & refrigerationem. Galenus & humiditatem morbi ὑδατώδους ὄντος τυρῷ, qui humidus erat, ut humor eſſet inſtar coaguli (Interpres enim has voces ὄντος τυρῷ (*y*) omiſit) & refrigerationem correxit: ventriculi rationem habuit; ab adſtringentibus primo quoque tempore abſtinuit, quoniam ea nocuerant: per alvum humorem derivavit, diuretica exhibuit: item & ſudorifica: alvum quidem hydragogo ſubduxit, & ad proliciendam urinam decoctum aſari & apii propinavit: frictiones adhibuit, litum ex melle ad prolectationem ſudoris. Avibus montanis & ſiccante diæta uſus eſt, & non ſolum effecit, ut quod redundaret evacuaretur, ſed ut generatio quoque prohiberetur. Hæc ſunt curationis capita illius quam Galenus inſtituit, quæ ſicco pede prætereunda non ſunt. *Cap. 8. de Præcogn. ad Poſthum.*

Atque primum ab adſtringentibus abſtinuit, quoniam uſu medicamentorum adſtringentium ventris tumor ſecutus eſt, ut falſo eam concepiſſe exiſtimarent: at collectio erat ſuppreſſæ humiditatis. Declaravit eventus; excrevit enim ingentem aquæ copiam non ſine magnis deliquiis, ut ea animam agere videretur. Ubi primum animadvertere oportet interpretis lapſum dum loquitur de applicatis adſtringentibus; ait enim, unguenta inſuper admota ſunt, quæ muliebres locos ſupprimerent: Græce, προσφέρειν τε ἀλειμμάτων ϛυφόντων τοῖς γυναικείοις τόποις. Admovere conſilium fuit ad muliebres locos ea quæ vim haberent adſtringendi compeſcendique, ſupple muliebrem fluorem. Ergo patet non minimum periculi adeſſe ſi fluor iſte ſtatim reprimatur: nam hydrops particularis repente eſt obortus. Quod ante explicuimus docentes illius evacuationis aliquem eſſe uſum, immo & in bilioſis aliquatenus juvare ex doctrina Hippocratis. Annotat autem ab *Interpretis lapſus.* *Cap. 109. method. medendi.*

(*u*) Diſruptionem.
(*x*) Mala ſuccorum elaboratio.
(*y*) Ad inſtar caſei.

ab Altomari ex Aëtio, mulieres nonnullas hoc represso fluxu in hydropem incidisse, alias in nervorum affectiones, aut capitis dolorem.

Secundo rationem ventriculi habuit. Nec enim est quod quis objiciat Galenum in hac muliere nardino usum oleo ad ventriculum, (23) ratione præsentis leipothymiæ cum algore partium externarum (quod certe commode fit, & forte a nullo umquam observatum) sed satis patet illius rationem habuisse quum videret hypochondriorum summam laxitatem, nec non ab humiditate & refrigeratione ῥοῦν (z) istum pendere. Itaque, ut postea aperiemus, si suscipio est ab imbecillitate primæ coctionis malum oriri, in curam ventriculi incumbemus.

Tertio diuretica instituit, de quibus plerique ambigunt, ut & de iis quæ vim habent aperiendi, ut pilulæ de aloe, & consimilia. Quem nodum solvere operæ pretium erit, ut quando & quomodo se in iis gerere oporteat, omnes intelligant. Eamdem orbitam trivit Manardus & alii, sed nihil tandem definiverunt. Ab Altomari a quacumque causa fuerit ῥοῦς, ad normam & exemplum Galeni diuretica instituit: at errat. Siquidem summa erat in uxore Boethi humiditas & frigiditas; sic ab usu diureticorum, quæ calore suo fundunt, & tenuitate summa partium sunt prædita, nullum incommodum est insecutum. At si ventriculus imbecillior est, si biliosus, & ichorosus & malignus est fluor, si impense calidum hepar & calore acri præsertim præditum, numquid dictamnus, cassia, carpobalsamum, semen balsamitæ, apium, petroselinum macedonicum, phu. valeriana nocebunt? Ita hercules. Quorsum enim diuretica, quum humor nimium sit tenuis & subtilis, & ut sanies ichorque? Verendum enim ne in diabeten conjicias. Præterea quid est necesse usu diureticorum incidentium, attenuantium, & fundentium, primum sanguinem fundere & liquare, deinde secernere per vias urinarias, quum fluor muliebris sæpe a venis non sit ut ante docuimus? in summa sanguinis humectatione ob ichoris admixtionem, hoc quidem conferet; sed si fluor muliebris fiat ab humore secreto a massa sanguinis, ut omnis fere fit, supervacua est sanguinis colliquatio a diureticis, & eorum usu intrudetur humor in uterum ipsum jam apertum, immo & is magis aperietur: immo verendum ne diuretica remisceant separatum humorem ῥοῦ auctorem ipsi massæ sanguinis: denique læsio sequi possit usu impense calidorum & colliquantium. Est ergo ubi diuretica conferunt, est ubi non. Paullus dum de curatione ῥοῦ agit, ita scribit: *Quoniam hæc passio est humida, subveniendum toti corpori iis quæ sine manifesto calore exsiccant: item frictione corporis, unctione ex melle cocto, danda diuretica, ut decoctum apii & asari, & per ventrem totum corpus purgandum.* Hæc quidem ex Galeni *lib. ad Posth.* surripuit, sed in duobus erravit. Primum vult ea usurpanda quæ sine manifesto calore exsiccant, & tamen paullo post diuretica eaque valde calida & siccantia dat, ut asarum: immo omnia diuretica exsiccant, ut paullo post docebitur. Deinde in hoc errat, quod sua remedia sine judicio præscribit, non distinguens an humor sit frigidus, an vero sit calidus: at distinctio

Pauli error. Epist. 5. lib. 11

(z) Fluxum.

distinctio rerum tenenda est. Manardus vero istam nostram quæstionem dirimit de diureticis, an quod urinam provocat, menstruum provocat: & si ita est, cur asarum & apium quæ movent menses & urinam dantur ad ῥον; incitabunt enim eum potius. De diureticis præsertim calidis, (nam sunt quædam frigida & contemperantia urinas promoventia, & ea potius οὐρητικὰ (*a*), quam διουρητικὰ (*b*) dicentur, ut in voce διὰ (*c*) vis aliqua insit) ita ex Galeno paucis, quoniam magna est controversia; *quæ non desiccant, & modice excalefaciunt, lac generant; quæ plus calefaciunt, non tamen valenter siccant, menses movent; utraque urinas provocant* (supple communi quadam facultate) *sed proprie quæ calefaciunt & desiccant*; diuretica vocantur, non quia sola moveant urinas, sed quia solas. Solas autem dicentur movere, quia non provocant lac & menses, quemadmodum vice versa quæ lac & menses cient, urinas proliciunt. Et alio loco, quum urinam prolicere voles acrioribus & calidioribus, quam quæ sunt ἐκφρακτικὰ (*d*), uteris, nimirum fundentibus, liquantibus, & secernentibus. Plura *in primo Consiliorum Tomo.* Hinc colliges & menstruum provocantia & diuretica esse calida & sicca, sed diuretica esse sicciora, immo & acriora: nam & costus, & cassia & cinnamomum menstrua provocant Galeno, quum tamen multum sicca sint actu: id est siccandi potestatem habent. Quamquam quædam valde exsiccantia, menses movent aliquando, ut Galeno sabina id præstat, quum eodem auctore summe siccet. Sed omnia audienda κατ' ἧττον καὶ μᾶλλον (*e*). Ad rem redeamus, & has difficultates omittamus; vix eveniet ut aliquid vere diureticon sit, quin idem & menses cieat, ut concludere oporteat an tuto diuretico uti liceat ἐν τῷ ῥῷ (*f*), an non, sive per se omnino urinam moveat, sive una mensem irritet, & proinde fluoris muliebris materiam propellat. Manardus post istud examen, quoniam videt & cassiam & apium, & asarum quæ dantur ad provocandas urinas ἐν τῷ ῥῷ, posse incitare quoque materiam in uterum, quod malum videretur, quoniam per partem læsam non conveniens videtur purgatio, ait tandem majus sequi commodum ex prolectis tali diureticorum usu urinis, quam sit incommodum si una & eadem opera ad uterum propulsio fit: aut nullum enim aut exiguum incommodum vult sequi. Non enim fieri potest quin in viis ipsis ad uterum, & in utero hæreat illa proluviei materia, quæ, dum pellitur urinæ uno impulsu, dum particula medicamenti alio traducitur, commode detrudi & detergeri possit per vias uteri. Quod si diutius uteremur illis ureticis, revera noxa afferretur, sed postea ita temperamus remedia, ut eorum vis retundatur: deinde ad supprimentia, corroborantia & adstringentia gradimur. Plura vide apud Manardum loco cit. Concludemus paullo post de iis.

Cap. 21. lib. 5. de simpl.

Nunc de usu catapotiorum ex hieris, an conveniant, uti & ea quæ

 tenui-

(*a*) Urinam stimulantia.
(*b*) Diuretica.
(*c*) Secundùm.
(*d*) Aperientia.
(*e*) Secundum magis & minus.
(*f*) In fluxu.

tenuitate partium prædita ſunt. Rondeletius bonus medendi magiſter in curando ῥῶ abſtinet præſertim a pilulis officinarum quod conſtent ex calidioribus, & iis quæ tenuitatem partium majorem habent: ſed non omnino prohibet eadem remedia quum fluor a pituita eſt. Itaque ſecum conciliandus eſt hoc modo. Quod attinet ad pilulas ex aloe & hieris, in materia tenui, ichore & bile venas matricis ad ῥῶν (*g*) faciundum appetente, temperandum eſt a pilulis, quod metus eſſet primum ne moveatur magis ῥῶς (*h*): & quum non facile avertatur ab utero, licet omnia ex arte egeris, periculum eſt ne ſi incitaveris materiam, uteri vaſa reſeraveris, facile non reprimas: item efferatur & acuitur magis materia uſu rerum acrium & tenuitate partium præditarum. Tertio verendum ne ſi ad aloem & hieras concurras menſtruam periodon legitimæ purgationis perturbes, ut & una ῥῶς, & τὸ καταμήνιον (*i*) confundantur: quod notandum eſt. At ſi materia craſſior eſt & pituitoſior, non tantus adeſt metus. Ideo in bilioſo ῥῶ interdicit, in pituitoſo pilulas iſtas amplexatur. Nos poſtea legitima dabimus remedia. Hoc addemus ſi conſilium eſt repreſſo aliqua ex parte curſu ac impetu purgare venas ad uterum pertinentes, ad aliquod tempus ea remedia poſſumus uſurpare.

Quod ad diuretica pertinet, eodem quoque modo conciliare licet. Docuimus ex Manardo ſequi commodum magnum ex urinarum irritatione, & ſudorum, quoniam mollities & humiditas tollitur. Ita enim Hippocrates requirit corporis quamdam συστολὴν, id eſt contractionem quamdam & compactionem, fugata videlicet mollitie & effeminatione. Sic τὸ σῶμα συνεσταλμένον τῷ διαλελυμένῳ (*k*) opponit, ut συστολὴ quamdam ἐυεξίαν (*l*) ſignificet: ad quam rem humiditatis excretio, & per urinas, & per ſudores requiritur. Sed quid attinet ſanguinem fundere ad proliciendas urinas uſu diureticorum, quum ῥῶς non ſit ex venis, ſed ex aliis quibuſdam vaſis, & ῥῶς non fiat per ſeparationem materiei aquoſæ e venis? Nam bonum quidem eſt divertere ad renes ſerum in morboſis menſtruis & aquoſis, ſed non in ῥῶ (*m*). Sed revera hoc facit ad materiam & cauſam antecedentem: nam totum corpus confluit. Et ita in iis moderate agendum eſt, ut habita & corporum ratione, & materiei ῥῶν committentis diſtinctione, modo diureticis utamur, modo pilulis & conſimilibus vias reſerantibus. Quis enim adeo jejunus ut eunte per uterum materia & calidiſſima, & hepate ſicciſſimo calidiſſimoque exſiſtente ad catapotia concurrat? Quis eadem uſurparet, ſi ventriculi œconomia præ imbecillitate labefactetur: niſi forte ſolo hierarum pulvere utatur? Rondeletius vero tum demum aperientia diuretica uſuvenire putat quum malum declinat, & corpus repurgatum eſt: ac ſi dicat, quum magno impetu humor non fluit, ad vias urinarias humorem derivato, ne ſi dum in motu eſt id fiat, & uterum moveas, & fluxum magis incites. Præterea requirit ut corpus

(*g*) Fluxum.
(*h*) Fluxus.
(*i*) Fluxus & menſes.
(*k*) Corpus compactum molli & effeminato.
(*l*) Syſtole quandam evexian, ſive bonum habitum.
(*m*) Fluxu.

pus bene purgatum ſit, ne diureticorum uſu obvias materias in renes intrudas. Et hæc ſunt quæ generaliter de his dici poſſunt.

Primum hi frequentes clyſteres convenient, ne ſi forte medicamenta des, idem fiat quod & in arthritide. Sæpe enim vi medicamenti ſolutivi ob καταῤῥοπίαν (*n*) irritatur fluxus humorum in ſubjectas partes. At enemata conveniunt.

℞. 24. *Betonicæ, (nam hæc utero valde confert purgando) meliſſæ, agripalmæ, matricariæ, artemiſiæ, ana, man. j: cyperi, ſchœnanti, ana, dr. iij: ſeminis fœniculi, ſeſeleos, ana, unc. ß: ſeminis pæoniæ rubentis, unc. ß: ſeminis lini, dr. jß: florum chamæmeli, meliloti, ana, man. j: fiat decoctio: in colatura diſſolve terebenthinæ, dr. iij: catholici, unc. j: diaphœnici, dr. iij: mellis roſati, ſacchari rubri, ana, unc. j: fiat clyſter.*

Inter cetera diſſolvetur in clyſmatis mel mercuriale: Mercurialis enim magnas habet vires ad proliciendos humores ſeroſos quos auctores ῥοῦν γυναικείων (*o*) ſtatuimus.

Conveniet quoque in iiſdem enematis diſſolvere confectionem hieræ, ſi eluere velis iſtas ſordes, & magnæ in venis uteri obſtructionis ſubeſt ſuſpicio: item valet aliquando confectionis hamech portio diſſoluta.

Loco mellis mercurialis ſuccus betæ, præſertim rubræ, valet; item ſi ditior ſit laborans mulier, diſſolvetur ſyrupus roſarum ſolutivus.

Valet & hoc enema ſuperiori reſpondens præſertim ſi pituitoſa valde ſit mulier, & εὔσαρκος (*p*).

℞. *Roſarum pallidarum, man. j: furfuris macri, pug. ij: hordei, man. ß: fumariæ, mercurialis, parietariæ, & tapſi barbati, ana, man. ß: abſinthii, centaurii minoris, ana, man. ß: coſti, pug. ß: betæ rubræ, man. j: uriticæ mollis (de cujus vi multa auctores aſſeruerunt) man. ß: roſarum tranſmarinarum, man. ß: betonicæ & parthenii, ana, man. ß: chamæmeli (nam hoc omitti nunquam debet) pug. ß: fiat decoctio ad quart. iij: diſſolve vini optimi, quart. j. Agaricus in nodulo poſitus infundetur in decocto clyſteris, & mirificam habet vim. Aliquando ſerum lactis, aut decoctum caulium rubrorum, aut hydromeli convenient loco alterius decocti, & in rem præſentem.*

Cavendum ab iis quæ calidiora ſunt, & quæ humidiora. Illa enim aperient plus æquo, & fluorem incitabunt: hæc vero locos humectando morbum fovebunt. Atque ſuperiora enemata in corporibus humidioribus & frigidioribus convenient.

Hoc ſolum addere opportunum erit non eſſe alienum in decoctione ipſa clyſterum ad ῥοῦν (*q*) pertinentium injicere faſciculum radicis ſarſæparillæ, aut ramenta aliquot ligni indici, ut deſiccationi omnino ſtudeatur. Cavendum ab omnibus oleis, præter nardinum, cedrinum, de terebenthina, & alia id genus. Sunt qui decoctiones per os ſumendas tranſcolant per cineres ſarmentorum, ut major deſiccandi vis adſit, cur non & decocta enematon eodem modo parare non licebit?

(*n*) Inclinationem ad inferiora.
(*o*) Fluxuum muliebrium.
(*p*) Boni habitus.
(*q*) Fluxum.

Quod si corpus calidius sit, & siccius, ut ῥοῦς (r) ab humore contingat acri, mordaci, unde dolores circum lumbos oriri solent vehementes, & metus exulcerationis est, ista clysmata superiora omittuntur, & alia usurpabuntur.

℞. *Nymphææ, man. j: aeizoi utriusque, portulacæ, polygoni, tapsi, ana, man. j: furfurum, man. ß: hordei, pug. j: foliorum intybi sylvestris, pug. j: seminum frigidorum majorum & minorum, ana, unc. iij: seminis cytoniorum, unc. ß: mercurialis, betonicæ (nam hæc duo nunquam omittenda) parthenii & urticæ mollis, ana, man. ß: chamæmeli, man. j: fiat clyster: dissolve electuarii de succo rosarum, dr. iij: catholici, dr. vj: mellis anthosati, aut mercurialis, unc. ß: sacchari rubri, unc. j: seri lactis, quart. j: succus betæ aut serum lactis, aut aqua decoctionis absinthii & hordei convenient.*

Chamæmelum ut vere hystericum non omittetur, betonica vero & mercurialis maxime confert, quoniam albam sordidamque eluviem maxime eluit.

Æstate incoquentur rosæ pallidæ, & quum tutius adstringere voles magma earumdem rosarum macerabitur in aqua, & erit pro clysteris decocto.

Majore sumtu dissolvetur in enemate succus florum persicorum (si facile educetur) aut rosarum pallidarum. Præterea talis clyster exquisitius componetur.

℞. *Hydromelitis bene cocti lib. ß: succi artemisiæ, nepetæ, caulium rubrorum, ana, unc. ij. vel in calidioribus, succi plantaginis, lanceolatæ, aut sempervivi tantumdem, in clysmatis compositionem insumetur, dissolventurque laxantia pro re nata.*

Ergo statuatur corpus mulieris cacochymum, cui tamen ventriculus sat legitime officium facit, sed viscerum impuritas ῥεῦν fovet, & ex consequenti ipsius uteri humiditas cum squallore quodam; primum a valde calefacientibus abstinendum, nec statim sistendus ῥοῦς, sed admiscenda contemperantia adstringentibus, & solventibus, alioqui cavendum erit, ne omnia pervertantur. Primum utemur hoc decocto.

℞. *Urticæ mollis, scariolæ, endiviæ, lanceolatæ, pilosellæ, & bipinellæ, ana, man. j: plantaginis & berberorum, ana, pug. j: agripalmæ, betonicæ, mercurialis, ana, man. j: seminum frigidorum majorum & minorum, ana, dr. ij: seminis bardanæ & seseleos, ana, dr. j: passularum Corinthiacarum, unc. ß: radicis petroselini, eryngiorum & brusci, ana, unc. j: radicis ireos, unc. ß: fiat decoctio ad lib. j: in colatura dissolve syrupi capillorum veneris, de endivia & de althæa, ana, unc. j: coaguli leporis, dr. iij: fiat apozema aromatizatum electuario diatragacanthi frigidi, vel diarrhodonis Abbatis, vel aromatici rosati. Bonum erit post dosin unam sumere tabellam diacarthami aut diaireos: utrumque enim renes purgare potest.* Vel

℞. *Mercurialis, man. j: seminis carthami, unc. ß: radicis ireos Florentinæ, unc. j: florum persicæ arboris & rosarum pallidarum, ana, man. j: buglossi, borraginis, scariolæ, scabiosæ, betonicæ & melissophylli, ana, man. j: cicerum rubrorum,*

(r) Fluxus.

rubrorum, pug. j: urticæ mollis, man. j: jujubas, sebesten & pruna, ana, num. xx: plantaginis & sempervivi, ana, man. ß: rosarum transmarinarum, man. ß: seminis citrii, cardui & melonum, ana, unc. ß: fiat decoctio: addendo sub finem conservæ violarum & rosarum, ana, unc. ß: nec non seminis pæoniæ maris, unc. ß: in colatura dissolve mellis rosati colati & diligenter asservati, & sacchari buglossati, aut candi, ana, unc. ij: fiat apozema in tres doses.

Sed in materia hac calida & effera possumus uti pulvere leniente, renum obstructionem tollente.

℞. *Pulveris electuarii diatragacanthi frigidi, unc. ij: pulveris glycyrrhizæ, ireos, ana, unc. ß: sacchari candi, unc. jß: fiat pulvis additis seminibus frigidis majoribus, quæ pulverem diatragacanthi frigidi ingrediuntur, sed tamen non nisi usus tempore adduntur, quia facile rancescent.* Vel *hic pulvis instituitur.*

℞. *Cinnamomi, gr. iv: pulveris nucleorum mespilorum, dr. j: seminis bardanæ, dr. j: pulveris electuarii diaireos simplicis & diatragacanthi frigidi, ana, unc. j: pulveris glycyrrhizæ, dr. iij: sacchari candi, dr. jß: fiat pulvis accipiendus ex ovi luteo, vel ex cochleari, superbibendo parum vini albi decocto radicis graminis diluti.*

Hinc patet nos moderatiores fuisse in usu diureticorum, & potius constitisse in his quæ leniendo urinas & serum per renes deducerent. At si corpus duriusculum sit, & præpingue, ea quæ calidiora sunt & tenuium partium cum siccandi vi usurpabuntur. Ad prædicta remedia accedent emulsiones solemnes vi leniendi & mitigandi præditæ. Pauperibus ad tempus hydromeli conveniet. Nunc ad purgantia remedia festinandum in quibus eadem generalis methodus tenenda, quæ & in clysmatis: nam alias pilularum usus confert: alias non. Si materia acris, mordax, si corpus πικρόχολον ἄνω (s), si cacochymia leniter & ἐπιπιφαστικῶς (t) emendanda, utendum medicamentis leniter purgantibus. Inter cetera laudant trypheram persicam, quod & corroborando, & leniter evacuando mirificas vires habeat: at placet quibusdam, idque non sine ratione, male & præter rationem istam trypheram præparari: quin etiam non longe a nostro diacatholicone differt. Nos in utriusque formam opiatam delicatam, & magni usus componemus: *Rondeletius.* *Antonius Foesius.*

℞. *Radicis sarsaparillæ, unc. iij: macerentur in aquæ fluvialis aut cisternæ, lib. iv: donec redeant ad lib. iij: addendo vini albi, quart. j.*

℞. *Rosarum pallidarum, man. j: florum persicorum, seminis pæoniæ, ana, unc. j: spicæ nardi, dr. iij: cichorii totius, scariolæ, endiviæ, borraginis, plantaginis, ana, man. j: radicis bistortæ, florum & foliorum dictamni, ana, unc. ß: mercurialis, man. j: betonicæ, man. ij: passularum corinthiacarum, & granorum kermes, ana, unc. ß: corticis myrobalanorum citrinarum, dr. iij: been albi, dr. ij: radicis petroselini, asparagi, eryngiorum, ana, unc. j: calendulæ, man. j: urticæ mollis, man. ij: seminum frigidorum majorum, seminis coriandri & seseleos,*

(s) Biliosus per superiora.

(t) Temperando & obtundendo.

ſeſeleos, ana, dr. iij: foliorum ſennæ mundatorum, unc. jß, aut unc. ij: fiat decoctio addendo cinnamomi & nucis moſchatæ, ana, dr. ij: colaturæ adde, rhei pulveriſati, unc. ß: expreſſionem dr. iij ejuſdem rhei infuſi in vino albo cum cinnamomo: caſſiæ, unc. ij: pulpæ paſſularum & ſebeſten, ana, unc. ß: confectionis alkermes, dr. iij: conſervæ bugloſſi & ſyrupi conſervationis citri, ana, unc. j: ſive citrii minutim inciſi, unc. jß: & cum ſaccharo fiat opiata, utenda vel in decocto calendulæ & glycyrrhizæ, vel in forma boli.

Poteſt addi pulvis foliorum ſennæ ad unc. ß, vel dr. vj, ut efficacior ſit opiata.

Ex iiſdem materialibus poteſt parari ſyrupus ſolemnis.

Si paretur ſyrupus ſolemnis, ex uſu erit ſyrupus roſarum ſolutivus in eodem diſſolutus, vel ſucci mercurialis, endiviæ, pomorum etiam de curtipendulo.

Eodem pertinet ſyrupus Regis Saporis ex folliculis ſolutivis.

Subſtituentur pilulæ iſtæ, quæ devorabuntur.

℞. Ambræ griſeæ, ſcr. j: raſuræ eboris, gr. viij: cinnamomi, gr. v: radicis ireos & ſpicæ nardi, ana, gr. iv: rhei electi, dr. ij: maſtiches, ſcr. j: pilularum Rufi, ſcr. ß: cum ſyrupo Regis Saporis, vel cum ſucco pomorum fiat maſſa pilularis. Vel

℞. Ambræ griſeæ, ſcr. ß: caryophyllorum, gr. iv: radicis ireos & biſtortæ, ana, ſcr. j: maſtiches, ſcr. ß: rhei, dr. ijß: confectionis alkermes, ſcr. j: theriacæ, ſcr. ß: excipiantur ſyrupo conſervationis myrobalanorum, aut corticis citrii conditi: vel ſi ſiccior eſſe videatur maſſa, excipietur in aqua macerationis roſarum pallidarum & florum violarum.

Et quoniam ante in omnibus fere apozematum aut medicamentorum decoctis ſuccum aut mercurialis aut ſyrupum roſarum ſolutivum diſſolvimus, hic unum admovere non eſt inutile ad legitime medendum. Quæcumque medicamenta aquas educunt, ea facile exſolvunt corpus humiditate educta qua partes erant quodammodo delibutæ: & quod experientia docuit, ventriculus facile offenditur. Ideo in medicamentorum ſerum & aquas educentium uſu moderatiores nos eſſe oportet.

Quod ſi pituita magis in vitio eſt, & corpus mucoſum magis, non erit alienum uti pilulis officinarum: nam mucago & illuvies corporis impediet quominus noceant:

℞. Spicæ nardi, ſcr. j: caryophyllorum, ſcr. j: diambræ & diaſmoſchi dulcis, ana, gran. viij: agarici non trochiſcati, aut trochiſcati, dr: ij: pulvis hieræ dupla aloe, ſcr. iiij: rhabarbari, dr. jß: theriaces & conſervæ anthos, ana, quantum ſufficit: fiat maſſa pilularum utenda ſæpe.

Inter cetera addetur caſtoreum & turbith. Sed ut ea magis ſolvat poſſunt addi particulæ aliquot maſſæ pilularum ſine quibus, aut aurearum, aut conſimilium.

Pilulæ communes admixto rhabarbaro ad leniter purgandum cibo præſumi poſſunt. Item pilulæ ex rheo & terebenthina 25. Vide ad finem capitis.

Inter cetera confectio hieræ valet, ſi palato mulierum non valde diſplicuerit. Hic ſyrupus ad coquendum & purgandum valet.

℞. Be-

℞. *Betonicæ, man. ij: agripalmæ, nepetæ, galliopſeos, parthenii, filipendulæ, ana, man. j: calaminthes, hyſſopi, pulegii, cynocrambæs, id eſt mercurialis ſylveſtris, ana, man. j: urticæ mortuæ, mercurialis, hordei, ana, pug. j: fructuum halicacabi, fragorum, chamæbati, ana, dr. ij: perſonatæ ſive bardanæ, man. j: ſeminis ejuſdem, ſeminis pæoniæ, ſeſeleos, granorum juniperi, lithoſpermatis, ana, dr. ij: crithmi, id eſt cretæ marinæ, argentinæ, omnium capillorum, ana, man. j: roſarum pallidarum, man. ij: paſſularum integrarum, nucleorum meſpili, ana, unc. ß: fiat decoctio in aqua, in qua incocti fuerint duo faſciculi radicis ſarſæparillæ per horas xij: addito nodulo dr. iij cinnamomi: adde foliorum ſennæ, unc. iij: ſeminis fœniculi dulcis, dr. iij: violarum & florum ſtœchados, ana, man. j: adde expreſſionem dr. vj agarici infuſi in ſucco meliſſæ & vino albo, aut ſucco mercurialis, cum dr. j radicis biſtortæ & nodulo caryophyllorum aut nucis moſchatæ: item addi poteſt expreſſum rhei: adde ſyrupi roſarum pallidarum, unc. iij: ſacchari bugloſſati, lib. j: fiat ſyrupus.* Vel

℞. *Aquarum betonicæ, aut potius ſuccorum betonicæ, meliſſæ, urticæ mollis, plantaginis, mercurialis, ana, unc. iv: ſucci lupuli, unc. ij: macera, agarici albi, unc. ij: cinnamomi & nucis moſchatæ, ana, dr. jß: ſpicæ nardi, dr. ij: adde expreſſionem unc. j. rhei infuſi in vino albo & aqua cardui: diſſolve ſyrupi roſarum ſolutivi, oxymel ſimplicis, ana, unc. ij: aliquando tantumdem mellis roſati optimi & cum ſaccharo fiat ſyrupus.*

Valent diacarthamum, de ſucco roſarum, & ſimilia; numquam omittentur cardiaca. Quoniam in iſta humorum eluvie facile vapores ſummittuntur qui feriunt cor, & inquinant ſpiritus.

A conditis, opiatis, pulveribus non abſtinendum.

Maxime vero pulveres valent, & tabellæ.

℞. *Pulveris coriandri & fœniculi dulcis conditi, ana, unc. j: pulveris diambræ, & lætificantis, ana, ſcr. j: pulveris roſatæ novellæ & cinnamomi, ana, gr. viij: diamargariti frigidi, ſcr. ß: raſuræ eboris, cornu cervi & corniculorum cervi, ana, ſcr. j: margaritarum & fragmentorum ſmaragdi, ana, ſcr. j: pulveris lapillorum in capite cancrorum reperiri ſolitorum, gr. viij: pulveris radicis angelicæ & biſtortæ, ana, gr. xij: cum lib. j ſacchari fiat pulvis addito pulvere lumbricorum terræ.*

℞. *Pulveris radicis dictamni & ſpicæ nardi, ana, gr. v: diamargariti frigidi, diambræ, & aromatici roſati majoris, ana, ſcr. ß: radicis tormentillæ & angelicæ, ana, ſcr. j: raſurarum ſolemnium, ana, ſcr. j: pulveris lumbricorum terræ præparatorum, ſcr. ß: ſacchari diſſoluti in aqua cardui cum infuſione cinnamomi, quantitatem ſufficientem; fiant tabellæ. Poteſt addi corallium utrumque, ambra, moſchus, lapis hæmatites, ſphragis & electa bolus Armena: item roſæ & ſantala.*

Si a capite malum eſt, pilulæ fortiores imperabuntur, & utemur ea methodo quæ obſervata eſt in curatione ꝓ illius mulieris de qua egimus. Capiti enim omnino conſultum eſt 27.

Sed &, quod diligenter obſervandum eſt, alvi quædam laxitas & cruditas, immo & imbecillitas longioris illius fluoris cauſa eſt. Itaque & providendum maxime, immo a quacumque cauſa ortum malum, quoniam

vel

vel primario vel ſecundario læditur ventriculus, perpetuo proſpiciendum ei hac cautione, ut ſi hepar incumbens, & viſcera calidiora videbuntur, a calidioribus abſtineamus.

Itaque litus convenient ex oleo nardino, maſtichino, de ſpica, de nuce moſchata, & conſimilia. Item & ſolemnes fotus. Litus autem non ſolum fiet in parte antica ad ſternon, ſed in poſtica ad duodecimam dorſi vertebram, aut circum circa. His ſuperſedebimus, quoniam uſu nimium teruntur.

Multa ex aliis capitibus de diarrhœa, de fluxu immodico menſium, de imbecillitate ventriculi, & jecoris venari poſſumus. Reliqua tantum ad rem pertinentia perſequemur.

Ergo quum corpus legitime erit repurgatum, tum ad adſtringendum concurremus tum ſumtis, tum admotis 28.

℞. *Roſarum tranſmarinarum, man. iij: radicis conſolidæ majoris, unc. ij: radicis biſtortæ, unc. j: urticæ mollis, man. j: pimpinellæ, man. ß: telephii, polygoni, equiſeti, ana, man. j: roſarum ſiccarum, man. ij: foliorum ſalicis, plantaginis, nympheæ, ana, man j: lanuginis & florum ſalicis, ana, man. j: pentaphylli radicum, foliorum & florum, ana, pug. j: balauſtiorum, cupularum glandium, ſumach, ana, dr. ij: radicis oſmundæ regalis, unc. ß: berberorum, dr. iij: mumiæ & conſervæ ſymphyti, ana, unc. ß: fiat decoctio ad lib. jß: diſſolve ſacchari roſati, lib. j: madeat nodulus ex ſantalis, aut carabe, aut bolo Armena.*

Radix biſtortæ additur, *quia uterum valde roborat.* Quædam calida adhibentur, quæ aut facultate occulta ſiſtunt, aut ſiſtentium vires devehunt.

℞. *Fumi aſinini man. iv: macerentur aqua roſacea, magma rejiciatur, & cum ſaccharo fiat ſyrupus: cujus admirabilis vis eſt.*

Item ſyrupus parabitur ex ſucco roſarum tranſmarinarum, ſi poteſt elici, ex ſucco urticæ mollis (29), ſucco polygoni, plantaginis, centinodiæ, & conſimilium herbarum cum ſaccharo roſato. Item conſervæ ſymphyti, roſarum, addita particula conſervæ radicis acori valent ad idem. Infinitus numerus eſt rerum adſtringentium.

Interea decoctum radicis chinæ, aut ſarſæparillæ, vel in paſtu, vel extra conveniet. Bonum eſt prolicere ſudores. Stuvæ ſive ſudatoria ſicca quadrabunt: & in eam rem coquentur chamæmelum, melilotus, majorana, polium montanum, chamædrys, chamæpitys, artemiſia, betonica, meliſſa, laurus, ebulus, flores ſtœchados, & alia id genus.

Poſtea inungetur corpus melle eo modo quo & Boethi uxorem inunxit. Galenus *lib. ad Poſthum.*

Encathiſmata, ſuffitus primum aperientes, deinde adſtringentes convenient. Encathiſma tale fiet.

℞. *Radicis biſtortæ, lib. j: radicis ſymphyti, unc. ij: rhois balauſtiorum, pſidiæ, ana, unc. jß: florum & foliorum ſalicis, plantaginis, ana, man. iij: coquantur omnia, addendo ſemina adſtringentia, vel in aqua fabrorum, vel in aqua extinctionis calculorum vel potius in lixivio communi vel in lixivio ſarmentorum ſalicis, quercus aut ficus, addes roſarum magmata & radices lapathi acuti & lib. ij vini ſtyptici; inſidebit in eo decocto non calido.*

Conferre

Conferre plurimum aiunt excipere fumum lixivii communis etiam vetuſtioris. Item conchæ, & oſtreorum teſtæ poſſunt coqui & in cinerem verti, & ita parabitur lixivium.

Rondeletius hoc probat ad injiciendum. Tamen non probo daphnoidem ſeu laureolam, quod ea acrior ſit & calidior.

℞. Foliorum clematitis & daphnoidis, ana, man. j: hederæ, man. ij: fabas integras, num. xx: hordei leviter torrefacti, pug. j: roſarum rubrarum, pug. j: fiat decoctio in vino rubro, aqua artemiſiæ & aqua ciſternæ pro injectione in uterum. Deinde utitur ſuffitu.

Placet experientiſſimis Chirurgis inanem eſſe operam eorum qui per metrenchytem in uterum infundere aliquid conantur, quod nil ſubeat corpus ipſius. Tamen quoniam per externas ad collum uteri pertinentes venas humorem fluere demonſtravimus, nos profectum aliquem ab uſu injectionum adſtringentium expectamus. Valet hic ſuffitus.

℞. Ladani & carbonis ſalicis, ana, dr. ij: electri, dr. ij: olibani, maſtiches, ana, dr. j: caryophyllorum, nucis moſchatæ, ana, ſcr. ij: benzoini & ſtyracis, ana, gr. vj: pulveris radicis biſtortæ & ſpicæ, ana, dr. j: aliptæ moſchatæ, ſcr. ij: pulveris roſarum & nucum cupreſſi, ana, dr. ß: cum gummi tragacantha extracto in vino albo aut pauca terebenthina, fiant formulæ in carbones injiciendæ.

℞. Thuris, unc. j: carabes, dr. iij: pulveris nucum cupreſſi & cubebarum, ana, dr. ij: trochiſcorum de gallia moſchata, dr. iij: zedoariæ, calami aromatici, ana, dr. jß: pro ſuffitu ad uterum.

Opiata hæc interea confert.

℞. Conſervæ ſymphyti & roſarum, ana, unc. j: carnem duarum myrobalanorum, nucis moſchatæ conditæ & corticis citrii, ana, dr. j: roob ribeſiorum, dr. ij: pulveris roſarum, dr. j: cytoniati ex ſucco parati, unc. ß: lapidis hæmatitis aqua roſarum lauti, boli Armenæ, terræ ſigillatæ, ana, dr. ß: pulveris cupularum glandium, ſantalorum & pulveris oſſium myrobalanorum vino albo lautorum, & in ſartagine ſiccorum, ana, dr. j: ſpodii, ſcr. j: cum ſyrupo conſervationis myrobalanorum fiat opiata.

Pro ſuffitu plurimum commendant raſuram eboris carbonibus injectam.

Ad nimias humiditates matricis & lubricitatem uteri, hæc quoque poſſunt conferre. 30.

℞. Menthæ, calaminthes, nepetæ, ana, man. ß: artemiſiæ, agripalmæ, ana, man. j: piloſellæ, omnium capillorum, ana, pug. j: ſcariolæ, cupularum, ana, pug. jß: ſeminis pæoniæ, unc. ß: been albi, dr. j: corticis myrobalanorum citrinarum, dr. ij: foliorum ſcabioſæ, pug. ß: fiat decoctio ad lib. j: diſſolve ſacchari candi & roſati, ana, quantum ſufficit: fiet ſyrupus coctus: adde dr. ij ſetæ in kermes tinctæ.

Ad eundem affectum poteſt & hoc pertinere.

℞. Seminis agni caſti, dr. ij: florum & foliorum dictamni, ana, pug. ß: anthos, dr. j: quatuor ſeminum frigidorum majorum, ana, dr. jß: ſeminis papaveris albi, unc. ß: bulliant ſimul in aqua hordei contuſis ſeminibus: in colatura ad lib. j, quæ fiet rurſus per cineres ſarmentorum, diſſolve ſyrupi de althæa, & roſarum ſiccarum, unc. ij: Utatur.

Hæc potio valet initio præsertim si acrimonia sit circum renes & sensus caloris: & post usum ejus rei dant pilulas ex rheo & terebenthina Veneta ad renes repurgandos. Idem remedium exstinguit libidinis ardores.

Paulus μετασυγκριτικὰ (*u*) dat, ut dropaces, sinapismos, psilothra, smegmata, & breviter curationis omnia capita recenset. Emplastra solemnia & unguenta, ut de pelle arietina, Comitis, & innumera quæ commode ad eamdem rem concinnari possunt, ex capitibus de immodico fluore menstruorum, de dysenteria & prolapsu intestini venanda.

Item hoc poculum conferet. ℞. *plantaginis, portulacæ, berberorum, ana, man. j: mumiæ, dr. ij: rosarum rubrarum, pug. j: radicis consolidæ, dr. j: fiat decoctio in posca: dissolve coaguli leporis, gran. xxx: sacchari rosati, unc. ß: fiat potus. Repetat sæpe.*

Dioscorides ad muliebre profluvium ex aceto valde commendat omne coagulum, præsertim leporinum, quod mirum, quum omne coagulum acris & digerentis potentiæ sit, & desiccatoriæ. Mirum quomodo acre medicamentum & calidum conferat ad affectum adstringi poscentem: De coagulo forte idem dici potest quod & de urtica ante demonstratum; nam facultate quadam recondita hoc contingit.

Pari quoque ratione tartarum ex vino albo quod acre est & detergens præscribitur in eumdem scopum: & non abs re fortasse. Unde primates Medici hunc pulverem ῥῦν sedare autumarunt.

℞. *Lapidis hæmatitis, boli Armenæ, ana, scr. j: carabes, corallii rubri, ana, dr. ß: seminis agnicasti, scr. j. antheræ, scr. ß: tartari vini albi præparati, scr. ß: faucium lucii, dr. j: terræ sigillatæ, dr. ß: ambræ griseæ, gr. xij: radicis bistortæ scr. j: cum unc. iij: sacchari rosati & unc. jß diatragacanthi frigidi, fiat pulvis.*

Anthera (31) compositio est in pulverem redacta & sicca, quæ potius in admovendis esse debet, quam in assumendis: constat enim metallicis, quorum usus tutus non est: nisi forte corpora sint diuriora περὶ ἀρθηρῶν (*x*), vide apud Gorræum. In hunc pulverem conjici aptarique potest pulvis coaguli leporis siccati.

Alia quoque in eam rem institui possunt, sed ea prout occurrent, vel artificio, vel ingenio comparabuntur, ita suo quæque ordine præscribuntur (32).

Manardus tractat de tumore uteri, sed nescio quomodo tacite delabitur ad curationem legitimam ῥῶ γυναικείῳ (*y*). Forte illa mulier ita laborabat, sed ob mali fœditatem non exprimit. Ex eo loco præclara multa derivabuntur.

In iis qui haud magna cum re sunt, neque sumptus superiorum ferre possunt, facile convenient post purgationem cum electuario diacarthami, aut de succo, aut alio simili, decocta foliorum mespili in aqua ferrata, additis rosis, & pauco melle (33).

Ex

(*u*) Ex alto evocantia.

(*x*) De corporibus robustis, duioribus, & bene articulatis.

(*y*) Fluxus muliebris.

Ex recentioribus Matthiolus ex Dioſcoride colligit nonnulla valde conferentia ad fluorem muliebrem: inter quæ nonnulla excepta ſunt, quorum hic faciunda copia eſt.

Oleum hyoſcyami renibus & pubi illitum confert, præſertim ſi quis adſit ardor. Eodem pertinet & camphora & ſuccinum uſurpatum in litu cum materia conveniente.

In roſa flos eſt luteus, hic accipiendus cum extremo illo foliorum quod concolor eſt quodammodo, pulvis faciendus & potui dandus.

Flores mali punici condiendi ſunt: & eorum conditum jejunæ datur, idque magno profectu. Nuclei dactylorum pulverati potui dabuntur. Item macerabitur lactucæ ſemen in aqua ferrata, & in aqua illa diſſolvetur ebur uſtum, propinandum. Radix caryophyllatæ in pulverem comminuta potabitur. Item potentilla pulverata potui dabitur cum corallio, ambra & pulvere eboris.

Inter cetera utrumque corallium ſive potu, ſive bolo cum conſerva ſumptum mirum in modum conferet. Flores vulgo dictæ herbæ *Paſſe-velours*, conferunt plurimum. Item vinum granatorum. Muſcus arborum ventri applicatus dicitur eo conferre.

Exprimetur ſuccus ex oliva ſilveſtri, & pudendo illinetur.

Grana ſumach pota proficient, & nuclei granatorum pulveriſati. Poma cytonia incoquentur in vino ſtyptico, & eo decocto partes fovebuntur.

Folia caudæ equinæ aqua incoques, & propinabis.

Mentha ſuppoſita conferre narratur.

Inter cetera aniſum bibitum plurimum prodeſt, & decoctum ſymphyti petræi. Aliorum remediorum in idem congruentium ſilva eſt apud Matthiolum in ſyntaxi in Dioſcoridem.

Quæſtio eſſe poſſit an non cauteria brachiis adhibita conferre poſſint: nam ea commode adhiberi poſſe videntur.

Pauperioribus ſyrupus magiſtralis parari poteſt, ex agarico, folliculis, addito ſucco mercurialis: & loco ſacchari miſceri poteſt mel roſatum, ſi modo ingratus nimium ſyrupus non ſit.

Inter cetera remedia commendant iſtud facile paratu. Accipitur ebur, pulverizatur tenuiſſime in lapide porphyreo, propinatur ex aqua chalybeata in qua ſemen lactucæ maceratum fuerit donec relinquat mucorem quemdam: & iſte mucor una ebibitur.

Apud Hippocratem ſummum remedium celebratur ad τὸν ῥῆν γυναικεῖον ebur uſtum magna quantitate datum: poteſt addi ſaccharum roſatum: Siccat impenſe.

Et quoniam impuritas magna venoſi generis & meſenterii, præſertim vero hepatis venarum, fovet ῥῆν muliebrem, poſtquam colluvies expurgata erit ad robur partibus conciliandum, ad genus venoſum purgandum conferet decoctum ſequens.

℞. Radicis cichorii bene mundatæ, unc. iij: radicis enulæ 34 campanæ, unc. j: pimpinellæ pug. j: macerentur & bulliant in lib. iv. aquæ, addendo ſub finem abſinthii romani, pug. ij: aromatizetur totum parvo cinnamomo & dulcoretur:

coretur: capiat quotidie mane unc. vj: in aurora: addi potest parum vini albi in singulas doses. Item lignum sanctum.

℞. Mastiches, emplastri contra rupturam & unguenti comitissæ, ana, dr. iij: rosarum pulverisatarum, & pulveris majoranæ, ana, dr. jß: trochiscorum de gallia moschata, dr. ß: cum ladano soluto in vino albo, & terebenthina fiat magdaleon, extendendum super alutam & applicandum regioni lumborum.

ANNOTATIONES.

1. *Hippocrates* lib. 1. de mul. morbis *docet cur mulierum morbi fere immedicabiles exsistant.* Verentur, *ait*, narrare morbos etiam si sciant: & præ imperitia ac ignorantia turpe id sibi esse putant. Sed & Medici simul peccant non exacte causam morbi percunctantes, sed velut viriles morbos sanantes. Multum enim differt morborum muliebrium ac virilium curatio.

2. *Tamen capillo est valde nigro. An propterea calidiore est temperie? nequaquam.*

3. *Ad tractatum de ῥοῦ* (z) *id pertinet ex* 2. Epid. Abscessus aut per venas, per alvum, nervos & spinalem medullam, per ossa fiunt, ἢ κατὰ τὰς ἄλλας ἐκροὰς (a), *ut uterum, os, pudendum, nares, aures.*

4. *Sunt quibus non probatur ut menses seu laudabiles, seu illaudabiles flores dicantur, sed potius fluores. Tamen Hippocrates politico loquendi modo* lib. 2. de morb. mulierum *vocat* τὰ καταμήνια ἀνθεῖν (b) *florere.*

5. *Narrat Fernelius* cap. 16. lib. 6. *pathol. de muliere quæ, licet menstruam purgationem numquam esset experta, incolumis vixit.*

6. *Sunt enim corpora quibus etiam sanis sanguis aliquo qualitatis secundæ excessu vitiosus est, unde acrior, aut nitrosior est.*

7. *Sic istum sanguinem effeminare quodammodo oporteret, ut* κατάῤῥοπος (c) *fieret. Unde quibusdam mulieribus appetit potius partes superiores, & rubent valde genæ, & peripneumoniis sunt obnoxiæ. Et mirantur Medici cur tales menstruæ non fiant.*

8. *Paullo ante docuimus innocue supprimi aliquando sanguinem menstruum. Hippocrates narrat de muliere cui per annos quatuor suppressi erant menses, & peperit filiam, partu vitali, eamque nono mense, sed unum notandum: nam puella ulcus habebat in coxa; longior suppressio mensium hujus rei causa fuit.*

9. *Probabiliorem* περὶ τῶν λευκῶν (d) *opinionem & veriorem adduximus in sequentibus paginis.*

10. *Fluor muliebris* καθάρσεως (e) *nomine potius quam* κενώσεως (f) *donandus est. Multas his in regionibus mulieres affligit, potissimumque albas, & quibus lævis admodum, æqualis & visu jucunda superficies inest, cujus rei ratio*

(z) Fluxu.
(a) Vel secundum alias effluxiones.
(b) Catamenia efflorescere.
(c) Deorsum vergens.
(d) De mensibus albis.
(e) Purgationis.
(f) Evacuationis.

tio hæc est, quod iis cutis sit adstricta, excrementisque fuliginosis minime pervia: tum quod delicatioris molliorisque sint habitudinis, eoque in morbosas affectiones proclivioris: accedit quod sint aquosæ magis & effeminatæ, quas ὑδατοτρόφας vocat Hippocrates. Unde excrementorum molestam vim non facile depellunt, fluxionibus sunt obnoxiæ partesque principes quodammodo aqueas, laxas, uliginosas putredinique minime obsistentes habent.

11. *Locus est præclarus apud Galenum* Com. in eum Aphoris. *in quo disputat de alatis, ubi docet pityriasin vitio ipsius capitis contingere.*

12. *Apud Hippocratem* sect. 2. lib. 2. Ep. *est historia commemorabilis cujusdam mulieris, quæ quum duas filias peperisset, idque ægre, & non bene purgata esset, toto corpore intumuit, deinde profluvium sanguinis semestre fuit, ab eo secuta est toto reliquo tempore albicans excretio. Quomodo id contigit. Stæva revocat id ad ulcus aliquod in utero conceptum ut facta fuerit suppuratio: aliquando tamen rubra fuit excretio. An id sit verum vide.*

13. *Videmus multas mulieres excernere urinas in quarum fundo vere est materia ῥοῦς γυναικείου (g), sed tamen non per uterum talis materia fluit, sed per vesicam; ut uxori viri nobilis cujusdam contigit.*

14. *Nisi dicamus apparente menstruo venas, immo & uterum turgescere, & sic ista aggressione naturæ, quæ aliquid criticum est naturale, cessat aut saltem inducias dat fluor muliebris qui symptomaticus est toto genere. Deinde quum illa motio & inclinatio naturalis cessavit stato tempore, tunc symptomatica excretio repetit: ut facultatis expultricis & secretricis vis appareat. Argumento id est, quod mulieribus ob ῥοῦν (h) intereuntibus post longam corporis extenuationem, mixtim promiscueque & ea illuvies, & sanguis excernatur, natura jam eversa, facultatibus ejus dissipatis ac profligatis.*

15. *Quemadmodum plerique etiam satis sicci, sunt catarrhosi, & iis multa natat pituita, ventriculus, & os humescit, quoniam eliquescit cerebrum, & facultate retinendi non pollet, ita pleræque mulieres fiunt ῥοώδεις (i), quia habitus corporis, & cerebrum ipsum liquescit. Unde macrescunt atque contabescunt. Credo quod in iis naturam corroborare, est τῷ ῥοῦ γυναικείῳ (k) occasionem proripere.*

16. *Notandum valde quod ait, senioribus fluor est albicantior, junioribus ἐξέρυθρος & ὑφαίμων (l): quia revera quidam ῥόος (m) est sanguineus: & cavendum ne decipiamur existimemusque idem esse cum menstruo: nam nec per easdem venas fit, nec eodem modo. Unde Rondeletius* cap. de fluore muliebri *annotat istum sanguineum fluorem & ἐξέρυθρον (n) videri in gravidis mulieribus aliquando, & iis quibus suppressi sunt menses: nam pro legitimis mensibus iste fluor sanguineus serosus supponitur, qui vere fluor est, non menstruum.*

17. *Hinc Hippocrates ait* lib. 1. De morbis mul. Quum acetabula sunt plena pituita, menses sunt pauciores; quod defluit mucosum & viscosum

 est,

(g) Fluxus muliebris.
(h) Fluxum.
(i) Rheumati obnoxiæ.
(k) Fluxui muliebri.
(l) Præruber & subcruentus.
(m) Fluxus.
(n) Prærubrum.

est, & in mensibus quum purgari desierit, per duos aut tres dies muci ex uteris prodeunt, & horror tenet, &c.

18. *Quibus renes sunt purulenti, per inassuetas vias in uterinas partes humor fluit* ῥῶν *provocaturus.*

19. *Præsertim si ulcus: nam si sola acetabula plena sunt, muco non est necesse.*

20. *Præsertim si humiditas sit cum frigiditate; nam si cum calore, fluxu temporis facile dissiparetur aut saltem corrigeretur.*

21. *Ex morbo humidior dicetur, ut quum quis insolatur, & liquescit corpus, unde coryzæ & similia. Tandem enim id corrigitur, & non in tam multos producetur dies ut humiditas a natura.*

22. *In eo numero senes esse possunt: iis corpus siccum esse dicitur. Et tamen quanta excrementi & muci, & pituitæ copia? Sic aliud est excrementis siccum, aliud ipso habitu. Est ubi facultas partium retentrix imbecilla est; vel expultrix qualitate & acrimonia humorum irritata: sic fluxio multiplex. Galenus* Com. ad Aphoris. 13. lib. 3. *tusses, dolores capitis, gravedines & similes affectiones repleti capitis symptomata esse ait: ubi male legitur nomen,* νοσήματα (o) *pro* συμπτώματα.

23. *Omittitur pars una. Symptoma enim omne capitis aut est* παραφρικὸν, καταφορικὸν, καταῤῥοικὸν, *aut* κεφαλαλγικὸν (p).

24. *Litus ventriculi ex oleo nardino in leipothymiis bonus.*

25. *Vires habet opinione majores betonica, unde natum Italorum proverbium,* Tu plus potes quam ipsa betonica; *ad nullum non usum potest aptari, uterum purgat, corroborat, conceptum retinet, utilis est prægnantibus quibus alba sordidaque illuvies ex utero manat, menses ciet, jecur & cerebrum expurgat, pulmonicis & calculosis utilis est, podagricos dolores levat, doloresque dentium demulcet, adversus toxica & morsus venenatos valet; simul abluit maligna ulcera & curat, ad pestem mirifica est; hujus flores & betonicæ altilis (utrumque idem est) condiuntur; fit conserva utilissima contra pestem.*

26. *Bolus ex terebenthina si frequenter devorari posset, præpurgato corpore, mirum in modum conferret.*

27. *Filix seu Osmunda regalis in senioribus mulieribus* ῥῶν *patientibus conveniet, quia etsi ad hunc valet affectum, in juniores sterilitatem induceret. Maxime conveniet clematites quam vincam pervincam majorem vocant.*

28. *Sunt quibus solemnis & familiaris est pituitæ prolapsio in partes subjectas a capite, & maxime ad uterum, iis tamen non convenit pilularum fortiorum usus. Nam is descensus, &* διάθεσις ῥευματικὴ καὶ καταῤῥοώδης (q) *est ob siccitatem partium, & proventum excrementi: unde per quamdam liquefactionem, aut potius diffusionem continenter pituita a capite fluit: Has validis medicamentis agitare, partes erit colliquefacere.*

29. *Inter cetera valet syrupus solemnis ex adstringentibus & uterinis, additis*

(o) Morbi.

(p) Paraphoricum, cataphoricum, rheumaticum, aut cephalalgicum.

(q) Diathesis rheumatica & catarrhalis.

ditis unc. ij rhabarbari communis, aut potius, si ejus copia esse potest, rhapontici.

30. *Urtica sistit sanguinem crustam fere inducendo, & postea nescio quomodo ad adstringentium, & sistentium classem revocatur. Laudant alii decoctum rosarum: aut rosas ipsas præsertim id quod rubet, sumptas cum posca. Plinius.*

31. *Maxime ad fluxum muliebrem, & superfluas evacuationes Rondeletius laudat probatque pilulas de bdellio, sive ladano. Earum descriptio graphice ab eodem facta est. Addi potest terebenthina: immo ex ea bolus conferet.*

32. *De Anthera si legere vis videnda* epist. 3. lib. 4. epistol. Manardi.

33. *Lubenter quærerem a doctis an non pauca quantitas pulveris ligni sancti aut radicis chinæ, cum ovo sumpti, aut cum aliis pulveribus mixti, addito, ut decet saccharo, ℞ conferre possit.*

34. *Ad sistendum, & repurgandum valet hic bolus. ℞. Terebenthinæ Venetæ, dr. j: masticbes pulverizatæ scr. ß: sacchari rosati dr. ß: cum syrupo myrtino fiat bolus, capiendus bis in hebdomade. Valet plurimum terebenthina in hoc affectu. Item hæ pilulæ quæ parantur ex massa pilularum sine quibus, rheo & castoreo.*

35. *Enula campana in primis commendatur, & revera omitti non debet. Item quum adstringere consilium est, valent ramenta loti arboris, Gallice* Alisier; *Dioscorides in primis commendat. Syrupus de floribus mali persicæ in primis confert. Credo autem quod inter primas obtinet aqua rhabarbari præparata ut decet.*

HISTORIA TERTIA.

NObili Viro vulnus infligitur transversim paullo supra articulum manus: tendines desecantur: vulnus magnum; propterea suturis indigebat, sed hiantibus, quo puri ac saniei via pateret. Nullum commemorabile accidens, ut narrant Chirurgi, visum est. Sanescebat in dies: aut nulla aut perexigua febris. Audio tamen eum perpetuo sitiisse. Cacochymus erat valde, calido & sicco hepate, vino deditissimus. Cicatricem contrahit malum ad diem x. Nocte sequente febris insignis, ἀλυσμοὶ, projectiones membrorum, deliria, insomnia, oculis apertis dormiebat, tertio post die delirus, palpans, tremulus, ac parum convulsus moritur.

COMMENTARIUS.

HÆC nos Historia accuratos & sedulos esse jubet, ut in omnibus vulneribus, sed in nervosarum partium, & articulorum, & articulis propinquarum præsertim, omnia tuta timeamus. Quinetiam sanitas & curatio repentina omnis suspecta esse debet, ut magis vereri debeamus si vulnus expers & tumoris, & puris sit, quam si particeps: & non tam cito

cito ad inducendam cicatricem adduci debemus, ut ichor & virus latens exitum habeat. Ac primum Hippocrates docet homines ab omnis generis vulneribus interire; quo magis nos gnavos esse oportet, ut vulnera partium momentanearum omnia suspecta habeamus: ut licet specie ipsa & primo obtutu exigua videantur, tamen in recessu aliquid magnum & suspiciendum habeant.

Lib. 2. de Prorrh.

TEXTUS. *Suturis indigebat.*

Suturæ forte suspectæ esse potuerunt; quod si pars hiavisset, nec tam cito, nec tam periculose cicatrix contracta fuisset. Propterea aliquando satius est cum deformitatis metu aliquo, relicto vulnere aperto & hiante, liberum egressum saniei relinquere, & sic securitatem parti conciliare. Propterea in paribus casibus rem diligentius pensitabimus.

Nullum accidens commemorabile, ut narrabant, nulla aut perexigua febris, eum sitiisse dicebant.

Ad part. 17. sect. 2. lib. 1. Prorrh.

Galenus prudens Medicus, nec more quorumdam, qui ut amicis & ægris gratulentur, morbos minuere solent, rem parvi faciens, narrat latere in nobis humores æquantes sua cacoëthia quodvis venenum: & citat historiam cujusdam qui, quum quarto die febricitans leviter urinam tenuem, sed nigram reddidisset, reliquos dies edens & lavans præteriisset sanus, septimo vero die, quum vesperi febrire cœpisset, tabefactus interiit. Sic non facile credo istis Chirurgis qui eum febrire non asseverarent: latebat enim forte febris, nec eo modo sese efferebat, quo & æstate: autumni enim erat finis. At quæ febres tunc vagabantur ejusmodi erant, ut fere in solo capite calor esset, in extimis partibus calor mediocris percipiebatur. Per sex menses integros tempus seu constitutio fuerat αὐχμώδης (r). Et tales erant febres quales descripsit Hippocrates, quum ait, febres erant ἠπίαι (s), & in temporibus fere solum calor percipiebatur, ut febris quodammodo esset capitalis, tamen in toto imo corpore empyreumate remanente. Itaque sitis quæ aderat, satis demonstrabat incendium latens. Quamquam verum illud Hippocratis: Interdum nec febricitat, nec inflammatur sauciatus: aliquando citra causam febricitat, & aliqua corporis pars inflammatur. Sic in ægro προκαταρτικὸν (t) non est observatum, sed προηγούμενον (u) repentinam mortem intulit.

Initio lib. 7. Epid.

Lib. 2. Prorrh.

Rursum quod nullum commemorabile accidens adesset, id est, (1) nec inflammatio, nec tumor, nec quid simile, immo nec dolor, id imperitus Chirurgus in bonis ducit. At talia bona suspecta sunt, & quæ sine ratione allevant, sæpe tandem terrere solent. Ideo quæstio esse potest, an tuto hodie, ut aliquid semper præstare videantur, tumorem qui adest cito discutiunt Chirurgi: videtur id non tuto fieri. Intercipere quidem cursum affluentis humoris, ne pars quidem læsa sauciaque affligatur magis, optimum quidem est: omni ratione circumscriptum tumorem, quem parit sanies & virus ab ulcere manans, conari digerere & resolvere, non ita tutum

(r) Squallida.
(s) Mites & blandæ.
(t) Procatarticum.
(u) Præincipiens, antecedens.

tutum eſt. In Aphoriſmis enim Hippocrates : *Quibus tumores in ulceribus apparent, non admodum convelluntur neque inſaniunt. His evaneſcentibus derepente, quibuſdam convulſiones & diſtenſiones a tergo fiunt, quibuſdam ante inſania, vel dolor lateris acutus, &c.* Et notanda loquendi forma, quibus tumores φαίνονται (x) : deinde, his evaneſcentibus derepente : nam quis dicat, an neceſſe eſt adeſſe tumores ad ſecuritatem ? Revera ſi forte adſunt, tutior res eſt. Sed adeſſe poſſunt ob affluxum materiei antecedentis, quæ per ſe & generatione bona eſt ; quod ſi illa materia tumorem faciat, & ſtatim refluat, non ita metus mali eſt (2). Sed ſi tumor fit ob materiam conjunctam, pote corrupto ob ulcus alimento partis, aut veluti quodam flatu orgaſmum faciente, maligno quidem, & partem tumefaciente, non eſt dubium quin παλινδρομὴ (y), & evaneſcentia ſubita illius tumoris exitialis ſit : quod enim ibi continetur κακόηθες (z) eſt. Itaque quum dicit ἀφανιζόντων ἐξαίφνης (*), hoc enim habet ſenſum : Si ita eveniat ut tumor adſit, natura a centro ulceris ad circumferentiam venenum pellente ut incumbat in curationem, ſatius eſt enim tumorem ad tempus quoddam manere, quam ἀφανίζεσθαι ἐξαίφνης (**) : ubi vis ſtatuetur in dictione ἐξαίφνης (a), orgaſmum enim ſignificat : omnis autem malus, quia partes ſæpe nobiles infeſtantur. Sic audire oportet tumorem, non tam ob aliquam laudabilem materiam quæ affluit, quam ob rejectum quoddam virus a parte ſaucia in partes vicinas. Quamquam fit ut exiguo tempore allatus ſanguis ad partem ſauciam, auxilii ergo, etiam laudabilis inquinetur & corrumpatur, contagione ipſius ſauciatæ partis. Galenus *in Comm.* clarius docet dum ait : Quibus tumores ulceribus ἐπιγίνονται ſuperveniunt per augmentum cauſæ morbificæ (ita enim τὸ ἐπιγίνεσθαι (b) (3) ſumitur :) non convelluntur : ut ea ratione bonum ſit tumorem apparere, & venenum in alias partes non irrepere. Ceterum ait tumorem evaneſcentem id non afferre, niſi aut inſignis ſit magnitudo, aut cacoethia. Tandem concludo, quemadmodum e re ægrorum eſt, ſi tumores adſunt, non ſtatim evaneſcere, ita quoque confert aliquando tumores apparere, ut convulſioni præripiatur occaſio, veneno ſubtus cuniculos agente, præſertim ſi quid in ulcere, aut circum illud eſt quod foras exitum petat. Ac credo huic juveni e re fuiſſe ſi tumor ſatis inſignis apparuiſſet venenum ulceris concludens. *Aph. 65. lib. 5.*

Sed & huc pertinet dictum Hippocratis : *Commodat corruptio nervi, aut oſſis, aut amborum, tum in profundis, tum in nigris putredinibus.* Nam in putredinibus pus multum fluit, & putredines ſolvit. Et paullo poſt, *Conducit in doloribus etiam inflammationes ex ulceribus accedere, in ſanguinis eruptionibus pus in venis apparere* (4) : quaſi dicat Hippocrates, tumorem, aut inflammationes circum partes affectas enaſcentes ſignum eſſe virtutis validæ, & naturæ ſecernentis & quodammodo defæcantis : ſic ma- *2. Prorrh.*

(x) Apparent.
(y) Recurſus.
(z) Mali moris.
(*) Evaneſcentium de repente.
(**) Evaneſcere de repente.
(a) De repente.
(b) Supervenire.

jor inde ſecuritas. Notanter autem adjecit, *in doloribus*: nam paullo ante loquens de capitis vulneribus ait bonum eſſe ſi nec febris adſit, nec dolor, nec inflammatio: Si autem adſint, ait bonum eſſe ſi adſint initio, & pauco tempore: initio dixit, ut motus aliquis naturæ ſignificetur quem ſtatim ipſa comprimat: nam ait malum eſſe ſi 4. die aut 7. acceſſerit. Cetera perſequamur.

Cacochymus erat.

Corporis præparatio plurimum attulit ad generationem tam ſubitorum ſymptomaton. Minimis enim momentis excitantur morbi etiam cum letalibus ſignis ſtatim initio. Quod & in prima hujus libri hiſtoria demonſtratum eſt.

Nocte ſequente, &c.

Tria hoc loco annotanda ſunt: primum quod tum demum paruit febris quum vulnus ſaneſcebat, immo quum nil curandum reſtabat, quod denotat non tam a corpore letalem hunc caſum adveniſſe, quam a clauſo vulnere, & omnis ſymptomatis experte. Secundo mentio fit febris ad diem undecimum quæ primo quoque tempore tam ſævis comitata erat ſymptomatis. Tertio mentio fit non ſolum alterationis in cerebro, ſed & alienationis: ut paullo poſt docebitur. Quod ad primum & ſecundum attinet, id quod tam ſubiti erat cauſa interitus fuit venenum tum prius in corpore latens, tum a vulnere. Hippocrates in explicandis vulneribus capitis videtur id expreſſiſſe dum ait, *In vulneribus capitis confert non adeſſe febrem, niſi initio & modico tempore: At incipere quarto aut ſeptimo aut undecimo, valde letale. Ceterum ſi in principiis febrium ſeu delirium acceſſerit, ſeu alicujus membri ſideratio, periturum hominem ſciendum eſt, ſi non omnino ex optimis ſignis aliquod adſit, aut vires adſint.* Quæ propoſitio tum univerſaliter de omnibus morbis audiri poteſt, tum de vulneribus particulariter: & Hippocrates illo loco ad vulnera capitis accommodat. Revera omnino hoc ſuſpectum eſt. Unde Galenus miratur valde cur quidam factus ſit phreniticus primo quoque tempore.

Lib. 2. Prorrh.

3. Epid.

Tertium reſtat: Jactabatur, delirabat, tremebat, deinde taciturnus palpabat. Revera pathognomonica erant phrenitidis ſigna, febris vehementiſſima, delirium aſſiduum, indecora corporis compoſitio, cuſtodibus perpetuo egebat, inſultabat, & multa erant conſimilia. Galenus omnia ſigna propria accurate deſcribit, περὶ ἄλυος (*c*) alio loco dicetur. Tremoris cauſas aut infirmitatem magnam aſſignat Galenus, aut affectum animi, aut copiam & onus; vide abſolutiſſimam diſputationem in hiſtoria de Pythione. Ceterum quum tam vehementes motus habebat, alterabatur cerebrum; quum factus eſt tremulus, & convulſiunculas habebat, item erat ψηλαφώδης (*d*), jam alienatio erat in cerebro, & velut hectica diatheſis, ut plenius intelligere licet *ex Comm. Prorrh.*

(*c*) De animi anxietate & ægritudine. (*d*) Manibus palpans.

HISTO-

HISTORIA QUARTA.

N*Obilis virgo Delphinas annos nata* 18 *fere hirsuta*, μελανότριξ καὶ μελανόφθαλμος (*e*), *habitu & gestu satis melancholico, utroque sata parente magnis & calidis visceribus prædito, mense Martio corripitur febre continua: noctu & vesperi exacerbabatur: interdiu ἀπύρετος* (*f*) *fere erat. Paroxysmum Medicus non animadvertebat; sic intempestive cœnata est, & pota. Progresso morbo natura sanguinem defæcare conante, aut crisin aggressura, e naribus sanguis prodit, & ad id temporis menses, qui illi non bene respondebant, sese aperiunt. Male consultus Medicus, & falso hæmorrhagia inductus venam in gibbero ferit: menstruum resistit: caput tum dolet magis: perturbatur, rapitur materia sursum, aut in cerebro commovetur. Dubitabamus an a liene suscitaretur. Sed, quod iniquius multo fuit, dum somnum arte conciliant, papaverum capita aqua incoquunt: decocto vinum diluitur: datur potui in cœna. Dum placidus somnus exspectatur, perturbatur, desipit, lecto exsilit & media area salit, sibi læsum caput ac quodammodo perversum queritur, ad æquitatem non adducitur, quicquam non vereretur, absurda & loquitur & facit. Aliis hoc phreniticon videtur, aliis potius melancholicum, alii furorem uteri id respere autumant, alii φρενῖδα* (*g*) *morbum Hippocratis, alii Veterum catubuth esse sibi persuadent. Aliquando ad se redibat: numquam placide dormiebat, refractaria omnino erat, quum tamen ea bonis & moderatis moribus imbuta foret. Quum quiescere malum videretur, æstus in capite percipiebatur, venæ in temporibus pulsabant, febris solum caput adoriri videbatur, nil tale in cetero corpore apparebat: Pulsus tardus, aliquando frequens, sed qualis in melancholicis est. Paroxysmus redibat. Aculeis sibi pungi caput & corpus narrabat: jactabatur. Perseverabat ad tres menses malum. Tandem quum ex alto cecidisset, & in pedis articulo læsa fuisset, levius malum visum est: tamen non nisi longo post tempore plane est restituta. Malum omnem auxiliorum applicationem eludebat. Relicta sine remediis promptius convaluit. Satis lubrica sanitate fuerat. Duobus ante annis dysenteria crudelissima fuerat occupata. Verebamur de sphacelismo cerebri: nil tamen tale evenit. Audio illud totum familiæ* συγγενὲς (*h*).

COMMENTARIUS.

NEmo umquam credidisset tantas ab eo morbo excitari posse tragœdias, nec infelicem adeo eventum fore, quum nil in fronte promitteret quod tanti esse deberet. Ac revera idem morbis evenit, quod & nascentibus herbis: hæ enim non nisi a peritissimo rei herbariæ agnoscuntur

(*e*) Nigris capillis & oculis.
(*f*) Sine febre.
(*g*) Curam.
(*h*) Cognatum.

Galen. in Com. ad part. 1. sect. 1. Prorrh.

tur orientes florentes & adultas quivis idiota internoscit. Morborum mores, ingenium, vim & momenta, præsertim dum nascuntur, non nisi medendi peritus animadvertit; natos vero & progressos omnes pœne novere. Atque in hujus virginis historia pertractanda, primum ac præcipuum caput est de ea τῆς διανοίας (*i*) alienatione, nimirum in specie morbi inquirenda, causis, an suppressio mensium id fecerit, an papaveris haustus, an vi febris alicujus, an alia ratione, quoniam id tam repente, & præter omnium opinionem evenit.

TEXTUS.

Hirsuta, μελανότριξ, μελανόφθαλμος (*k*).

Quum utroque nata sit parente viscera præcalida habente, & præsertim patre squalido, piloso, hirsuto, mirum ne sit si corpus ad succum melancholicum generandum idoneum nacta fuerit. Et quum mulier sit, ideoque corpus habeat ἄπνευν, & δυσδιαφόρητον (*l*), suppressio excrementi non ἀτμώδης (*m*), sed fuliginosi & nebulosi, non potest non eam in adversam valetudinem facile adducere. Porro nigrities capilli & oculi an temperamentum melancholicum, & corpus calidius indicat? nequaquam. Ita enim Galenus: *Glabros & qui cute sunt albida, qui capillis rectis & nigris, item nigris oculis, & qui otio degunt, ii minus digerunt quod frigidiore sint temperamento.* Contra tamen alio loco, *Calidior & siccior hispidior est.* Nigrum quoque capillum habet. Et ut paraphrastes annotat, niger capillus fit quum deusto vi caloris vapore, excrementum in exquisitam fuliginem mutatur: quod maxime in calido & sicco temperamento contingit, ut in quo sanguis uritur. Et ut res brevi explicetur, dicimus nigritiem capillis comparari bifariam, per adustionem, & per ὑπόχυσιν, id est suffusionem. Adustio in calidis & siccis visitur, & proprie qui nigro sunt capillo, calidiores temperamento dicuntur: suffusio vero fit in iis quibus densa est cutis (2): excrementum enim in spiraculis morans tingit & inficit. Et eo modo quidam glabri & frigido temperamento præditi nigro esse capillo possunt, non vi adustionis, sed ob suffusionem vi suppressionis commissam. Quo in sensu, in illa constitutione quam describit Hippocrates, duo genera corporum maxime & febre ardente sunt implicita, & phrenitide, nempe adolescentum, juvenum & adultorum, ut qui calidissimi sint, & facile ad eos morbos propendeant: Item corpora mulierum & glabra, & nigro oculo, nigroque capillo prædita: hoc autem fit ob spiraculorum obstructionem (3). Sic priora corpora per se, & propria generatione in tales morbos incidebant, posteriora, ex eventu, nimirum ob obturationem meatuum. Quæ omnia ad virginis, de qua hoc loco, historiam pertinent. Nam ut absolvam, quantum observare potuimus ex urinis & dejectionibus, internum corpus abundat calore acri & squalido, & quum mulier sit, tum peculiari natura, tum universali mulierum conditione cutim adstrictam habet: ut non mirum sit, si facile de

Ad part. 78. sect. 2. lib. 1. Epid.

Libr. de Arte parva.

(*i*) Mentis & intelligentiæ.
(*k*) Nigris capillis & oculis.
(*l*) Ægre perspirans & difficile.
(*m*) Vaporosi.

de ſanitatis ſtatione dejiciatur, & ſi crudeliſſimis morbis affiicta fuerit, ut ſub finem hiſtoriæ ſcriptum eſt.

Menſe Martio corripitur febre continua.

Antequam de prima aggreſſione morbi dicimus, ad diſputationem de hirſutis hoc addemus, balbus, calvus, gracili voce præditus, hirſutus patiuntur τὰ μελαγχολικὰ (*n*): quod abſurdum videtur. Sed hoc non eodem modo in omnibus audiendum: nam hirſuti atrabiliarios morbos proprie experiuntur τῇ γενέσει (*o*), tum quod atram bilem generent, tum quod bilis facile convertatur in atrabilarium ſuccum: Calvi, blæſi, ἰσχνόφωνοι (*p*), vel tantum ob ſuppreſſionem, vel ob pituitæ tantum exceſſum: in his abundat enim pituita; vel dicemus in hirſutis τὰ μελαγχολικὰ vigere ob impreſſionem malæ qualitatis; in balbis vero ob craſſamentum cujuſdam materiæ quæ nata eſt linguæ ἀκράτειαν (*q*) inducere opinione Hippocratis. Ceterum meminimus menſis Martii quo tempore fiunt humorum fuſiones, & tunc morbi a repletione naſcuntur per humorum liquationem quamdam: quod Galenus ampliſſime demonſtravit *Com. in Aphor.* & nos ipſi demonſtravimus in prima quæ hic tractata eſt hiſtoria. Sed quod ver parens morborum dicatur, id fit ex eventu: veri enim non tribuitur, ut tempori ſalubri, morborum γένεσις, ſed παροξυσμός (*r*).

Sect. 5. lib. 2. Epid.

Aph. 40. lib. 7.

Com. ad Aph. 15. lib. 1. & Aph. 17. ejus lib.

Nocte & veſperi exacerbabatur.

Major pars febrium συνεχῶν (*s*) quaſdam habet exacerbationes, & ingraveſcentias certis quibuſdam temporibus: aliæ noctu, aliæ interdiu exaſperantur & ingraveſcunt. Et hoc loco non alienum erit tractare comparationem quam ſtatuit Hippocrates inter febrem diurnam & nocturnam. Ita ſcribit: *Nocturna non admodum letalis, longa tamen eſt, diurna longior. Sunt quibus ad tabem*; Illo vero loco non tam de continuis, quam de iis quæ aut remiſſionem, aut intermiſſionem habent, loquitur Hippocrates. Ante enim dixerat *quaſdam febres diu intermittere, quaſdam noctu*; *& quæ ad integritatem diu non deſinunt*, πυρετοὶ *dicuntur* μεθημερινοὶ, *ſive* καθημερινοὶ (*t*): *quæ deſinunt*, ἀμφημερινοὶ (*u*) *dicuntur* arguta potius quam vera appellatione. Galenus *in Com.* docet febrem quæ interdiu intermittit, noctu vero viget, minus malam eſſe ea quæ diu viget: quod tamen falſum videtur. Nam, ait, ea quæ diu affligit, duabus de cauſis deterior eſt, tum quod malum ſit cutim conſtringi eo tempore quo laxari debet. At ſi viget interdiu, eo tempore cutis denſatur: Secundum naturam tamen corpora apertiora ſunt die quam nocte. Secunda ratio: Quum affligit diu, & intermittit noctu, incommodum tempus ad curandum, nam cogimur noctu dare medicamenta ægris & ſic prohibentur ſomno. Itaque veſpertilionum vitam agunt ægri: defectuque ſomni, quem ducere commode nequeunt nec diu, nec noctu, contabeſcunt (4). Tamen quum

Part. 6. ſect. 3. lib. 1. Epid.

Part. 2. ſect. 3. lib. 1. Epid.

Nocturna febris diurna febre melior.

 nocturnæ

(*n*) Morbos melancholicos.
(*o*) Generatione.
(*p*) Vocem gracilem habentes.
(*q*) Impotentiam.
(*r*) Generatio, ſed paroxyſmus.
(*s*) Continentium, ſynocharum.
(*t*) Febres dicuntur quotidianæ, quæ ad integritatem non deſinunt.
(*u*) Quotidianæ.

nocturnæ febres a pituita potius esse videantur, longiores sunt meo judicio. Sic controversum est valde utra sit deterior an nocturna, an diurna.

Intempestive cœnata est, & pota.

Non abs re toties decantat illud Hippocrates: in paroxysmis nil dare oportet. Ideo paroxysmos cujusque morbi tenendos monet, ut cibationis occasio antevertatur. Et sufficiet tantum hoc loco ea adducere quæ Hippocrates tam diligenter inculcavit: *Nosces quibus in morbis sorbitiones non conferunt. Nam si dantur, nec loco, exacerbantur febres & dolores, & patet quod sumtum alimentum morbo dat incrementum, corpori vero tabes & infirmitas exsistit*: Et paullo post, *Sanorum diæta (supple non legitime instituta) ægris est nocentior quam sit ferarum diæta sanis.* Porro duo sunt loci valde notandi apud Hippocratem ex quibus cognoscas quantum afferat detrimenti intempestivus cibus & potus in morbis: Prior est hic quum loquitur de mulieribus implicitis febre continua ob suppressionem, *virginibus menses evenerunt, & nulla mortua est. Nam Philonis filia, quum ei sanguis copiose e naribus effluxisset, septimo die intempestivius cœnata, defuncta est.* Si ergo intempestiva cœna, etiam jam morbo crisi minuto, ut par erat, per hæmorrhagiam, tam nocuit, vide quid aliis sit allatura. Alter locus est de quodam qui quum incalesceret tantum, intempestive cœnatus est, ut morbus qui levis sua natura foret, eo errore commisso letalis exstiterit, ut *in Com.* Galenus demonstrat.

Part. 79. sect. 2. lib. 1. Epid.

Historia antepenultima lib. 1. Epid. sect. 3.

Sanguis e naribus, & menses non bene respondentes apparere incipiebant.

Hæmorrhagiæ, καταμήνια (x), urinæ & alvi fluores ἀποστήματα (y), parotides inter ea quæ judicant censeri solent a Galeno & Hippocrate. Galenus quidem hoc docuit *in Prorrh.* & Hippocrates *in Epid.* docet salubriter & menses erupisse, & sanguinem e naribus ad depellendas ardentes febres. Et alio loco contra quorumdam neotericorum opinionem qui in ardentibus febribus hæmorrhagias vituperant, docet sinceris febribus ardentibus si quid aliud, hæmorrhagias per nares ad depulsionem morbi quadrare. Cur autem id fiat aperiit. Ideo quum huic puellæ natura ut pote sanguinem repurgatura vellet aliquid & per uterum, & per nares moliri, non erat temere ab instituto revocanda (ζ): nam quum semel instituit aliquid excludere, maxime qualitate si peccaverit, id facere prohibita, magnopere læditur: declarant abscessus illi nocui & partes corrumpentes. Si enim per unam partem excernere prohibetur, aliam molitur. Ceterum abs re foret hic recensere ea incommoda quæ una mensium suppressio invehit, quum & alio opere seorsim de his egerimus, & Hippocrates librum integrum ea de re conscripserit, in quo singula verba non numero, sed pondere sunt æstimanda.

Part. 24. sect. 2. lib. 2.

Part. 79. sect. 2. lib. 1. Epid.

Ad part. 9. sect. 1. lib. 1. Epid.

Libr. de virginum morbis.

Hæmorrhagia inductus Medicus venam ferit.

Magno errore tenetur major Medicorum pars, quæ ut nil non agere videatur, existimat se parum proficere ægris, si non quicquam præscripserit,

(x) Catamenia. (y) Apostemata.

rit, aut propinarit, aut ſecuerit. Et quum temeraria hæc medendi methodus per manus tradita ad juniores transfertur, magna ægrotantium clade medicina adminiſtratur: & in hoc errant graviter: nam ſi induxerint in animum venam reſerare, & id cunctanter faciunt, ſi guttula ſanguinis e nare fluat, tunc quaſi trophæum reportantes clamant oblatam legitimæ phlebotomiæ occaſionem: (6) ſi luculenta ſit hæmorrhagia, audacius ſecant, quia naturam copia gravari aſſerunt: ſi infra modum & pigro lapſu ſanguis fluat, compenſandum iſtum defectum apertione venæ contendunt. Jam paullo ante docuimus inſcienter eos agere qui hæmorrhagias criticas quamprimum ſiſtunt. At nos contra fluente ſanguine nil agendum contendimus: quandoquidem veterum decreto ſtatutum eſt hæmorrhagiis ſolvi febres ardentes: & quod de excretione per nares dicimus, idem de uterina purgatione audiendum. Quo pertinebit hiſtoria de uxore Cleomenis, hæc pleuritica erat, quarto die copioſi menſes fluxerunt, dolor lateris, & ſputa omnia ceſſaverunt. Sed tanta fuit vis καταῤῥοπίης (z), ut de repente manante per uterum ſanguine pleuritis ceſſaverit; numquid commoda eſt ea evacuatio in febribus? Quod ſi minor ſit quam par ſit, arte juvetur ac incitetur. Et Hippocrates in febribus horrores, labores, dolores, colli moleſtiæ menſes proritant: ſic tametſi ea urgeant ſymptomata, ſi eruptionis menſtruæ ſpes eſt aliqua, in illa conſiſtet ſalus. Itaque omnium imperitiſſime fecit Medicus qui hæmorrhagiam repreſſit, ut non mirum ſit, ſi tamen dirorum malorum generationi occaſionem dederit.

7. Epid.

In Coacis.

Perturbatur, rapitur, commovetur.

Aliud eſt apud Hippocratem, ταραχώδεα εἶναι (a), aliud παραφρονῆσαι (b): nam ταραχώδεες (c) dicuntur qui non inſigniter turbantur, quod mente leviter offenſa evenit: adaucta vero læſione, non jam ταραχώδεις, ſed παραφρονέοντες (d) dicuntur (7). Sic ταραχὴ (e) via eſt, & præmunitio ad παραφροσύνεω (f) (8). Rapitur, ſupple, humor a partibus inferis ad ſuperas, & ibi tumultuatur, & mutationem quamdam recipit. Idem enim humor in cerebro coercitus dum ibi moram trahit, alius humoris aliam naturam adſciſcit: nequit enim diu immutabilis in cerebro manere. Quod autem diximus commoveri in cerebro humorem ad illius perturbationis generationem, id ex Hippocrate patet, qui ad generationem morborum capitis vult ut commoveatur humor: Immo alio loco, ait, *Deſipit homo quum bilis in capite commota fluxerit.* In alio loco dixerat, *quum bilis commota fuerit*, ſupple in corpore καὶ ἐπιῤῥυῇ καὶ ἐς κεφαλὴν καταςῇ (g). Sed *libro de morbis* κίνησιν (h) in capitis & cerebri corpore animadvertit: quod bifariam humor moveatur, vel inferne ſurſum, vel in capite ipſo. Et ſtabilior eſt morbus ut paullo poſt docebitur. Unde Galenus utitur verbis καταῤῥεῖν καὶ μεταῤῥεῖν (i) in ipſo cerebro, quum transfluit, dimovetur,

Ad part. 4. ſect. 1. lib. 1. Prorrh.

Ad finem lib. de morbis.

Libr. de Indicationibus.

(z) Inclinationis deorſum.
(a) Turbari.
(b) Delirare.
(c) Leviter turbati.
(d) Deliramies.
(e) Turbatio.
(f) Leve delirium.
(g) Et fluxerit & in caput conſtiterit.
(h) Motum.
(i) Fluere & defluere.

tur, & decedit ab una parte cerebri in aliam ejusdem cerebri partem propensiorem, aut imbecilliorem humor tumultuans. Verba Galeni sunt: *Si alias ex alia cerebri parte in aliam humor noxius defluens, Græce καταῤῥέων, ab omnibus rejiciatur, ut tandem in nervos irrepens convulsionem efficiat, est necesse.* Sic in corpore ipsius cerebri, quum mansiones multæ sunt, ab una parte in aliam fit ἐπίῤῥοιν, μεταῤῥυσις, καταῤῥυς (*k*), ut nomen τȣ̃ καταῤῥȣ non sumatur tantum pro defluxione a capite in subjectas partes, ut quibusdam veterum lectionis, & præsertim Græcæ ignaris videtur. Sed nos nolumus otium terere in explicatione motus & transfluxus humorum in capite ad generationem morborum capitalium, quum plenissime ante de his dictum sit.

Ad part. 27. sect. 1. lib. prioris Prorrh.

Dubitabamus an a liene foret.

Hippocrates ad instituendam πρόῤῥησιν (*l*) solet considerare τὰς φανερὰς προφάσεις (*m*). Ut quum partis a qua malum primum originem ducit notitia habetur: id inter τὰ φανερὰ (*n*) censetur, ut τȣ̃ φανερȣ̃ν (*nn*) nomine non intelligantur tantum τὰ ἔξω (*o*) quæ inter ἀφορμὰς (*p*) habentur. Sic nimirum de sacro morbo loquens ad prædictionem rem præclaram docet. Et quod de epilepsia dicit, idem de quovis morbo effatu digno, & præsertim qui sacram mentis arcem obsidet intelligi potest. *Difficillime sacer morbus curatur, qui a primo puero prehendit: secundo loco quibus factus fuerit morbus, nullam significationem præbens ex qua corporis parte initium cœperit. Qui a capite initium simul gravissimus est, deinde qui a latere: qui a pedibus aut manibus, sanatur. Medicus curam aggredietur, si homo juvenis fuerit & φιλόπονος (q), nisi mens aliquid mali habeat, aut stupore attonito sideratus fuerit: nam hæ ἐκστάσις μελαγχολικαὶ (r) non sunt conducibiles.* Quid hoc sibi vult? nam ἐκστάσις μελαγχολικὴ tantum abest ut mala sit, ut sæpe τȣ̃ ἐπιληψιȣ̃ν sit διαλυτικός (*s*): unde melancholici fiunt epileptici. Sed illo loco Hippocrates nomine τȣ̃ ἐκστάσεως (*t*) duo significat, & humoris pravitatem, & dispositionem jam in cerebro contractam, ut ea naturam impediat quo minus cito morbum curet. Pravitas humoris est ea quam Galenus describit: *Flava bilis assata & sanguis niger atram bilem generat, flava hæc bilis quum assatur primum in humorem æruginosum abit, deinde in nigrum: Assatur autem ob febris magnitudinem. Et quum in phrenitide flava bilis cerebrum prehenderit, & febris vehementia assatum hunc succum melancholicum reddiderit, ob atræ bilis κακοήθειαν (u) vehementes fiunt insaniæ, quas Hippocrates* in Epid. *μανιώδεις (x) vocat.* Et paullo post *in eodem Comm.* videtur velle docere cerebrum phreniticum, id est calida & sicca intemperie laborans, humorem æruginosum, deinde atrabilarium

Lib. 2. Prorrh.

6. Epid.

Ad part. 10. sect. 1. libr. 1. Prorrh.

(*k*) Defluxio, transfluxio, catarrhus.
(*l*) Prædictionem.
(*m*) Manifestas occasiones.
(*n*) Manifesta.
(*nn*) Eorum quæ manifesta sunt.
(*o*) Exteriora.
(*p*) Occasiones.
(*q*) Laboris amans.
(*r*) Mentis emotiones melancholicæ.
(*s*) Affectionum epilepticarum sit solvens.
(*t*) Ecstaseos, seu emotionis.
(*u*) Malignitatem.
(*x*) Maniacas.

bilarium generare. Ad rem redeamus. Si quis ſideratus fuerit, & ἐκςατικὸς fuerit μελαγχολικῶς (y), non facile eſt curare epilepſiam ejus. Ergo patet *ex illo libro Prorrheticon* primum animadvertere oportere, an quædam ſit pars a qua conſpicue morbus foveatur, an cerebrum primo affectum ſit, an non. Ideo dubitabamus an a liene morbus tam repentinus foret, maxime quod melancholica eſſet natura virgo. Sed revera non tam diligenter ad lienem attendere oportuit, ſi quidem conatus naturæ per uterum, per nares, ut ante docuimus, ſatis indicabat onus quo natura premeretur, & quod, niſi impedita, excuſſiſſet. Quis enim dubitat quominus in illa virgine orgaſmus & impetus fuiſſet eo modo quo in maribus, in quibus τὸ τραγᾶν (z) dicitur? Et quod in marium teſtibus τραγᾶν καὶ τραγίζειν (a) dicitur, in mammis σφριγᾶν (b) dici poteſt. Quamquam proprie σφριγᾶν volunt intelligi ubera lacte diſtendi: quomodo σπαργᾶν (quod idem cum σφριγᾶν ſignificat) partes dicuntur ab Hippocrate, id eſt, intumeſcere, & turgeſcere. At apud eumdem Hippocratem σφριγᾶν non ſignificat lacte plenum eſſe uber, ſed turgeſcere; eſt autem id quod ὀργᾶν (c) Græcis dicitur; verba Hippocratis hæc ſunt: *Quum mola in utero eſt, nil movetur, nec in mammis lac gignitur, ſed* σφριγᾷ τῆς τιτθὸς αὕτη: id eſt, *nullo præſente lacte ipſa turgeſcit.* At iſte orgaſmus rerum admirabilium auctor exſiſtit. Quid ergo impediebat quominus in ea virgine collectio eſſet ſanguinis, cujus tetra anathymiaſis cerebrum feriens tot malorum cauſa ſit? Ita enim Hippocrates qui inſania corripietur, ei hoc ſignum præſagit, ſanguis ipſi colligitur ad mammas, & collectio ſanguinis ad mammas furorem facit, & ſuppreſſio menſium cancros in mammis, & deſipientias parit, ut *in libris de mulier. morbis* docuit Hippocrates.

Sect. ultima lib. 2. Epid.

Lib. de ſteri-libus.

Sub finem lib. 2. Epid. Aph. 40.

Papaverum decoctum, &c.

In multis peccatur, in intempeſtiva diæta & cœna, ex qua tantum abeſt ut ægra adjuta fuerit, ut contra major ipſi morbo occaſio fuerit: præterea læſit uſus vini; tertium & maximum remiſtio decocti papaverum cum vino. Jam translatio erat in cerebrum (declarabat conatus per hæmorrhagiam) imbecillius illud erat redditum, tetra anathymiaſis erat, tum a cibo in paroxyſmo corrupto, tum vino, tum ab ipſo meconio: huc accedit quod omnes qui tunc temporis vagarentur morbi, dolores capitis comites haberent implacabiles, præſertim dum vigeret acceſſio: ſed inclinata febre, & calore ſeſe frangente circum auroram quieſcebat dolor capitis. Ceterum (quod huc maxime pertinebit) annotavimus ante humorem eumdem bilioſum, aut ichorem & febrem ardentem facere, & phrenitin & deſipientiam ſimplicem inducere. Nam ſi adhuc præterfluit venas, nec dum pedem fixit, aut vaſis egreſſa in membranis cerebri, aut ſubſtantia ipſius impreſſa inuſtaque fuerit, eæ παραφοραὶ, & παρακρούσεις (d) eveniunt quas in vigoribus febrium ardentium, immo & tertianarum

Pag. 44.

(y) Eſtaticus ſit melancholico modo.
(z) Hircire & in Venerem ferri.
(a) In Venerem ferri, furere.
(b) Turgeſcere.
(c) Orgaſmo & impetu ferri.
(d) Emotiones & leves mentis alienationes.

rum legitimarum videmus: ſin autem impacta fuerit bilis, ſtabiliorem deſipientiam facit, cujuſmodi phreniticorum exſiſtit. Rurſum ut fiat a bile febris, oportet quodammodo adhuc cum ſanguine bilem ipſam confundi commiſcerique & æquabiliter exardere ſive in ſinus hepatis, aut circum os ventriculi, aut in majoribus venis, aut in pulmone, aut liene, aut etiam in cerebro ipſo: ſed ut in cerebro ipſo fiat phrenitis (quæ a practicis definitur quoddam cerebri apoſtema, quaſi ſit ἐγχύμωσις (*e*) aliqua, & velut egreſſio & ſequeſtratio bilis a ſua maſſa, quomodo in eryſipelate fit) neceſſum eſt aut totum ſanguinem ibi bileſcere, aut e propria ſtatione bilem diſcedere, & cerebrum ipſum perlinere & perfundere. Itaque ſi ad generandas παρακοπὰς (*f*) in cerebro fugaces, & concedentes, prout conceſſerit febris rigor, requiritur tantum translatio vaporis ſurſum, & ejuſdem veluti μετάῤῥυσις transfluxus & transfuſio per venas, non eſt dubium quin τῶν ὑπνωτικῶν (*g*) uſus ſæpe officiat. Siſtitur enim in cerebro hic humor, qui tumultuans, & huc & illuc pervadens ſimplicem deſipientiam faciebat: & dum figit pedem, inuritur & imprimitur ipſi cerebro, unde læſio mentis firmior exſiſtit. Porro quantum detrimenti apportet temerarius hypnoticorum uſus, *in primo libro Conſiliorum* aperuimus, & illinc ducenda ſunt quæ huc pertinent. Tantum videre oportet an papaverum decoctum tantopere lædat. Dioſcorides de multis ſpeciebus papaverum diſputat, & in iis capita, folia, ſemina, & ſuccum conſiderari vult interpres. Capita & folia tunduntur, & ſuccus prælo exprimitur, id expreſſum ſiccatur, & in paſtillos aptatur: Dioſcorides id meconium vocavit, quod ipſo opio inefficacius eſt. Tunſo capite & inciſo ſuccus, & liquor effluit, id ἀπὸ τοῦ ὀποῦ (*h*) opium κατ' ἐξοχὴν (*i*) vocatur: quarto gradu refrigerat: Quamquam a qualitatibus quibuſdam manifeſtis interpres Dioſcoridis vim quamdam calefaciendi impertit præter vulgarem Doctorum opinionem, ſed tandem gravitate veterum ſententiarum territus, fatetur a mixtione glaucii herbæ id contingere poſſe, ut ementitium ſit hoc & adulterinum (8). Semen papaverum in cibos expeti, minuſque eſſe formidabile, longa oratione confecit. Legimus & opinionem Dioſcoridis & Theophraſti & Interpretum, ſed papaveribus vim tantum refrigerandi, & ſomni conciliandi ineſſe comperimus. Quid ergo eſt quod vulgo credatur infatuare? Et nonniſi cum metu aliquo papaverum capita præſcribant? Credo ipſe papaver tribus de cauſis μώρωσιν, & ἄγνοιαν (*k*) inducere poſſe, qui affectus aliquid affine habent Galeno, item & quamdam παρακοπὴν, id eſt alienationem mentis: Primum dum refrigerat & ſpiritus incraſſat; Secundo tetros vapores, & calidos in ſubſtantiam cerebri impingendo. Nonne enim videmus initio paroxyſmorum ab extimis ad penetralia cordis calorem refugere, & una capitis dolorem incredibilem

Pag. 404. & ſeq.

Cap. 60. & 61. lib. 4.

Ad 59. ſect. 2. lib. 1. Prorrh.

(*e*) Effuſio.
(*f*) Mentis emotiones.
(*g*) Hypnoticorum & ſoporiferorum.
(*h*) Ex ſucco.
(*i*) Per excellentiam.
(*k*) Fatuitatem & ignorantiam.

lem ſæpe excitari, aut κῶμα (*l*), aut aliquid ſimile; contra calore febris ſeſe frangente (licet ſit tantum remiſſio, non autem intermiſſio) quieſcere capitis dolorem, & ad pedes calorem recurrere? Immo in *lib. Acutor. quodam in loco* tum demum exhibendæ aquæ, aut cibi occaſionem adeſſe putat, quum pedes plus reliquo corpore concaluerint: pote καταῤῥόπῳ (*m*) facto calore & ſpiritu qui prius erat ἀνάῤῥοπος (*n*). Hinc liquet caloris, ſpiritus, ichoris eſſe fluxum & refluxum, nec non quamdam διαφόρησιν (*o*), ut ea ratione hypnotica, & impenſe refrigerantia noceant, egreſſum maligni ſpiritus & caloris a capite impedientia, & difflatum perſpiratumque prohibentia: quod audiendum eſt, niſi corpus ſit legitime repurgatum: nam tunc, quoniam non tanta eſt tetrorum vaporum concurſio & ſurſum inclinatio, & tantum alterandi ſeſe offert occaſio, tutior eſt refrigerantium uſus. Quod ne cui mirum videatur, etiam *ex ipſa methodo medendi* patet, in qua Galenus vetuit ne in febribus a putredine ortis frigida exhibeatur affatim, niſi pepaſmi ſignis ἐναργῶς (*p*) apparentibus (*9*). Quod ſi tanta cautio in uſu aquæ eſt, multo major adhibenda in uſu τῶν ὑπνοτικῶν καὶ ναρκωτικῶν (*q*). Unde non mirum ſi ſomniferis initio morborum datis & comata, & caroticæ affectiones inſequantur: ſiſtitur enim in cerebro humor, infligitur, imprimitur, qui ſua mora & ſuppreſſione, quum venenum aliqua ex parte reſipiat, non poteſt non impenſe cerebrum lædere. Præter duos illos modos tertius adjiciendus eſt. Credo ipſe papaverum & conſimilium uſum aliquid habere κακοήθες, & malignum, & ſi non omnium, at ſaltem quorumdam cerebrum inde tantopere læditur, ut ei labes ſæpe, quæ elui non poſſit, inuratur. Quid enim quum omne ſolanum frigidum ſit, tamen τὸ μανικὸν (*r*), parva quantitate datum, præſertim pulvis radicis ejus cum vino, facit ſpecies vanas, & imaginationes obſervari, ſed duplicatus hic modus ad tres uſque dies mentis alienationem affert: ut jam illud ſolanum non tam manifeſtis qualitatibus agat, quam occulta quadam vi ad perturbandam percellendamque mentis arcem: Sic tertia ſpecies ſolatri ὑπνωτικὴ (*s*) dicitur, quarta μανικὴ (*t*). Et non tam æſtimare oportet τὴν μανίαν (*u*) generari ab uſu ſolatri ob humorum eam qualitatem quam ad generandam maniam & ἔκστασιν (*x*) Galenus *multis in locis Prorrh.* requirit, quam a vi quadam quæ ipſius ſolani furioſi τῇ οὐσίᾳ (*y*) inhæret. Quid non etiam, quemadmodum vanæ imaginationes, ſpectra, deliramenta, furor denique ipſe ſolatri uſu inducitur, papaveribus vis occulta mentem moveat & perturbet? Quis tamen dicat: Si papaver refrigerat, & ſomnum facit, cur non potius, ſi forte inepte uſurpatur, aut in tempore, aut in loco, aut corpore, caron & ſimilem affectum inducit, & non deliria, nugas, falſas

Cap. 69. lib. 4. Dioſcorid.

(*l*) Coma.
(*m*) Deorſum vergente.
(*n*) Surſum vergens.
(*o*) Diaphoreſin.
(*p*) Evidenter.
(*q*) Hypnoticorum & narcoticorum.
(*r*) Maniacum.
(*s*) Hypnotica.
(*t*) Maniaca.
(*u*) Maniam.
(*x*) Ecſtaſin.
(*y*) Eſſentiæ.

falsas imaginationes, & vanas. Ita enim vult Galenus humorum calidorum proprium esse turbulentos somnos afferre, movere, deliria inducere; frigidorum contra, comata, καταφορὰς βαθείας, lentorem, & stuporem. Quid ergo quod vim habet refrigerandi mentem movebit, vigilias inducendo, aut efficiendo ut æger capite doleat, saliat, moveatur, ferocem oculum habeat, & læsionem, aut in actionibus quæ sunt in sensu, aut ab arbitrio pendent? quæ omnia, aut major eorum pars τῆς παραφροσύνης (z) a Galeno argumenta statuuntur. Respondere licet. Primum si memineris eorum quæ de solano dicta sunt, quod nimirum mentem lædat, non tam manifestis qualitatibus quam occulta eaque infesta vi, idem forte dices de papavere, ut in quibusdam turbulenta insomnia, & deliramenta excitet. Præterea dum & obstruit, & spiritus premit, & fuliginem vaporum cerebro ipsi apprimit, & somnum potest inducere, & mentem movere. Hic enim somnus est ταραχώδης (a) tamquam comes & assecla τῆς διανοίας βλάβης (b): qualem somnum copia vini accersit. Etsi enim vapor excitatus a vino calidus sit, tamen somnum conciliat, & malignitate sua ταραχὼ (c) afferre solet. Sic papaver suapte natura dicamus conciliare somnum, sed ob conculcationem multorum vaporum excitatorum vi caloris febrilis, conflictus fit ob diversas vires papaveris ipsius, & vaporis aut exhalationis inferne excitatæ. Nisi dicas, quod ante demonstratum, & papaveri & solatro inditam esse maleficam vim: quod credibile omnino est. Et quemdamodum κῶμα ἄγρυπνον (d) a confusione humorum natura diversorum excitatur: ita quoque hausto papaveris decocto, & elatis multis fuliginosis sursum excrementis, conflictus & pugna quædam ob vires contrarias excitatur: hinc in somnum propensio, & nugæ. Numquam enim maleficus magis est somnus, & turbulentus, quam quum aliquid est quod cerebrum refrigeret, & propterea ad somnum adducat, & aliquid quod idipsum cerebrum moveat, & excitet. Ne sit mirum ergo si & quis quodammodo sit caroticus, & deliret: immo & ἄφωνοι (e) delirant. Quamquam hoc cuidam mirum esse possit, quum vix fieri posse videatur, ut deprehendamus aliquem delirare, qui aut veternosus sit, aut caroticus, aut κάτοχος (f). Quam quæstionem Galenus movit, & in ejus explicatione dissimilis & immemor sui exstitit. Nam ita de ea re sentit: *Nulla sane quæstio est quomodo quis ἄφωνος mente moveri dicatur. Ridicula enim est interrogatio quærere, quomodo quis sciat alium delirare qui mutus sit. Nam quod motus ostendat a ratione alienos, quod exsiliat & inordinate convellatur, hoc desipientiam indicat.* Contra sentit alio loco: *Quomodo nec in comate desipientes, nec in catochis penitus immotis desipientiam cognoscere valemus, sic forsan Hippocrates vidit catochi speciem, ut immotum quidem corpus foret, exiguum tamen homo loqueretur, unde*

Ad part. 6. sect. 3. lib. 1. Prorrh.

Ad part. 56. libr. ejusd.

(z) Levis mentis emotionis.
(a) Turbulentus.
(b) Læsionis mentis & intelligentiæ.
(c) Turbationem.
(d) Coma vigil.
(e) Aphoni.
(f) Catochus.

unde dignosci poterat desipientia. Sic credendum loquentibus ipsis ægris declarari desipientiam, completa catoche non amplius ægros loqui. Ex quibus patet necessariam esse loquelam, ut quis desipere deprehendatur. Tamen dissentanea plane scripsit Galenus. Et tandem pro instituto concludemus fieri posse ut & succus & decoctum papaverum omnino refrigerando somnum inducat, si & corpus bene sit purgatum, & legitime præscribatur: item potest inducere & soporiferum affectum & deliria, & inania spectra. Tertio, si forte suo fine frustretur, vapores fuliginemque sistendo in capite, perturbationem mentis perculsionemque inferet: tanto autem id facilius fiet, quanto caput est infirmius. Vidi puellam devoratis solatri manici baccis furentem: incredibile dictu quantus calor perciperetur in fronte & temporibus, ut ea ratione tantum febris in capite concepta videretur.

Aliis hoc phreniticon: aliis hoc melancholicum videtur.

Omnis humoris maligni suppressio, non multo post in ea parte in qua fixus fuerit sæva edit symptomata pro more & ingenio suo. Credo in cerebro illius puellæ factam esse & suppressionem, & alterationem: hæc enim illam consecuta est (10). Febriebat semper, & quum deliraret, vana & absurda loqueretur, indecore corpus componeret, non sine tamen doloris vacuitate; non abs re dubitabamus num melancholicum, num phreniticum id esset: quamquam uterque affectus longe dissidet, & causa, & vacuitate, aut præsentia febris. Galenus *in Prorrhetico* duo annotavit, prius de feroce responso in homine modesto: posterius de distinctione μελαγχολίας καὶ τῆς φρενίτιδος (g). Quum in homine composito, & moderatis moribus prædito cernimus ferox & superbum responsum, & jam desipit, phrenitidem in vicino esse significamus. Contra quum in natura superba responsum blandum & come, tunc vel metus est τῆς καταφορᾶς, vel λεθάργου (h). Quod attinet ad maniam & phrenitin & melancholiam morbum idem Galenus diorismos assignat: nam & phrenitis, & melancholia morbus & mania delirio definitur: sed phrenitis cum febre assidua est, mania & melancholia absque febre. Rursum quum duplex sit humor melancholicus utriusque affectus auctor, unus ab assato sanguine, alter ab assata bile flava, ille melancholiam proprie dictam generat: hic ob bilis malignitatem, ait Galenus vehementem insaniam affert, quam Hippocrates μανιώδη (i) vocat.

Ad partic. 9. sect. 2. libr. prioris Pror.

Ad part. 10. sect. 1. lib. 1. Prorrh. Et ad part. 12 ejusdem lib.

Magna hercle hoc loco quæstio oriri possit, an quis maniacus & melancholicus (præsertim in cerebro morbo fixo) sine febre sit (11). Si enim diutius humor cunctatur, cur non putrescit? si putrescit, cur non febrem in capite accersit, aut potius in cerebro? Nam paullo post conabimur docere aliud esse morbum capitis, aliud cerebri: maxime vero tum quum bilis flavæ in atram bilem fit ὁδοιπορία (k), ut Galenus passim loquitur. Ut ingenue dicam quum communis animantium morbus

(g) Melancholiæ & phrenitidis.
(h) Cataphoræ vel lethargi.
(i) Maniacam.
(k) Transitus.

& hostis febris sit, & nullum fere expertem sui habeat, præsertim si quo alio morbo tenetur, vix tantus in cerebro parte principe morbus foveri potest, quin febris oriatur. Sed non tam morbus est universalis, quam, ut jam sæpius docuimus, capitalis & particularis febris (12). Diximus enim *in prima hujus lib. historia* pulsum in temporibus vehementem esse posse, dolorem capitis insignem, perceptionem caloris in fronte, ut jam in capite foveri febris videatur, quum tamen nil tale in toto corpore appareat: aut saltem non est ἀνάλογον (*l*): Id Hippocrates primus observavit: *Polycrati febris, sed adeo lenis facta est, Græce* ἰπτία, *ut obscura consisteret, præterquam in temporibus.* Et paullo post: *Pythodoro febris continua ad decimam quartam obscura erat. In temporibus autem apparebat. Ipse sibi ipsi sanus videbatur. Corpus totum a sudoribus perfrigeratum erat, exceptis temporibus.* Item, *Erotolai filio dysenteria fuit & febris, febricula nec ægro ipsi nec multis omnino adesse videbatur, adeo obscura erat: juxta tempora pulsus erat, lingua præ siccitate subalba, moderato sticulosus, & sine somno erat.* Denique eo loco innumeros commemorat in quibus febris tantum in capite esse videretur. Quod nos *in 2. lib. nostrorum Epid.* annotavimus, describentes constitutionem æstatis & principii Autumni anni 1575. quæ plane sicca & squalida fuit, ut per sex fere menses pluvia non fuerit. Similem affectum in puerorum capitibus vocamus σιρίασιν (*m*), per τὸ, vel σειρίασιν ἀπὸ τοῦ σειριᾶσθαι, id est, inflammari, & siccari, ut vult Langius; est autem inflammatoria dispositio in cerebro, ut febris si qua adsit, non sit ei analoga: alioqui vere phrenitis esset. Sic in capite ipso malum consistit, & tandem ait Aphrodisæus, per arterias communicatur incendium cordi, hinc sine putredine febris suscitatur. Plura *in lib. 2. nostrorum Epid.* 13. Ergo tandem doceamus an in melancholia morbo & mania febris sit. Cerebrum natura frigidum est, & ægre admodum inflammatur. Sed si in meningibus ipsis aliquid esset inflammatorium, derepente febris oriretur. At in cerebro ipso potest contineri humor, qui licet vim impresserit, & calorem conceperit, quia in substantiam cerebri hæret separatus, & non in arteriis ipsius venisque, ideo obscura febris in toto corpore potest esse, aut nulla, quum tamen cerebrum ardeat, & febriliter, ut ita loquar, affectum sit. Declarant lethargicorum febres: licet in cerebro ipso humor salsus sit nitrosus & putris. Sed quia pituita est, ideo non est manifesta ἐπίλαμψις (*n*). Declarat & apoplexiarum causa quum Galenus dicat eas aliquando generari διὰ τὴν φλεγμονώδη διάθεσιν ἐν τῷ ἐγκεφάλῳ (*o*); quod bifariam potest intelligi, vel ut reipsa inflammatoria sit dispositio in ipso cerebro, ut in plethora, & quum sanguis multus est coercitus in cerebro, calefactus, & propterea parenchyma ipsius cerebri inflammans, hinc attonitus homo redditur: quod in ebriis usuvenire potest. Vel inflamma-

Initio lib. 7. Epid.

Lang. Ep. 54. lib. 1.

Probl. 96. lib. 1.

Ad Aph. 42. lib. 2.

(*l*) Analogum.
(*m*) Siriasin.
(*n*) Elucescentia.
(*o*) Propter diathesin inflammatoriam in cerebro.

flammatoria dispositio dicitur per similitudinem quamdam, non quod sit reipsa inflammatio, alioqui phrenitis esset, & motus quidam (nam ait Galenus *in Prorrh.* caloris est movere, frigoris attonitum & ignavum reddere) sed est dyscrasia quædam in cerebro & diffusio quædam humoris eo modo cerebrum imbuentis, quo & in inflammationibus humor partes inflammatus diluit. Quamquam prior interpretatio magis placet. In hypochondriaca melancholia est diathesis inflammatoria pylori & partium vicinarum, tamen non est febris, aut ea obscura est admodum, ut Aëtio placere videtur. Atque propterea Rondeletius agitat Galenum dicentem verum esse quod scribit Diocles de inflammatione pylori, quod si hoc esset, necessario febris sequeretur (14). At ex Galeno non est nece acutas febres sequi ad inflammationem diaphragmatis & hepatis, & similium partium: id est, insignem oportet esse phlegmonem in iis partibus quæ possit inferre acutam febrem. At si latens sit ἐπιφλόγισμα (p), orietur quidem febris, sed ea lenta & ἴππία, id est, lenis: quamquam in parte ipsa si humor secretus sit, & si pars ipsa sua natura frigida sit, febris quædam conclusa & particularis esse queat. Ut tandem concludamus, & fanaticus & melancholicus potest in cerebro febrem habere: declaravit pulsus temporum in ea nostra puella de qua hic agitur, & perceptio caloris in fronte: ut totum venenum humoris, vel a corpore sursum rapi videretur, vel in cerebro contineri, sed nequiens dissipari & edomari, affectum produceret. Etenim duo sunt commemorabiles loci apud Galenum qui huc maxime pertinent. Prior est *in primo Prorrh. Totius corporis* δυσκρασίᾳ (q) *sequitur mentis læsio, non aliter nimirum affecto cerebro, quam ipsum totum corpus afficiatur*: id est, Quum totum corpus male affectum est, cerebrum quoque male afficitur: hinc mentis læsio. Et hæc non solum cerebri τῇ δυσκρασίᾳ (r) debetur, sed etiam totius corporis. Et ex loco possumus colligere sæpe ad cerebrum non esse attendendum, sed ad totum simul corpus: quod huic nostræ virgini conveniebat: nam totum corpus melancholicum pæne est. Locus alter est, *Copia in venis acervata tenue quoddam serum in ventrem confluens* (*Græce serum* ὀρρὸς *dicitur*) *cardialgias parit in os ipsius ascendens, quod omnium partium maxime facultate sentiendi præstat. Bona autem abundantiæ portio ad inferum repens locum, in quem primum deferri consueverat, lumborum dolores efficiet.* Qui locus adnotandus est maxime. Hinc enim scies eumdem humorem varia edere in variis partibus symptomata: nam idem humor duas habet substantias, unam tenuem, alteram crassiorem. Tenuis ἰχὼρ, & ὀρρὸς, & λεπτὸν (s) aliquid dicetur: Unde in febribus, manente causa mali in visceribus ipsis, tamen ὀρρὸς (t), & ipsius spiritus, & ichor veluti animatus & furibundus in longinquis partibus impetum facit.

3. locor. affect. c. 7. Ad part. 21. lib. 2. Prorrh.

Par. 34. lib. 1.

Par. 38. sect. 3. l. 1. Prorrh.

Sed quoniam incidimus in eam distinctionem, ut diceremus aliud esse membra-

(p) Phlogosis.
(q) Dyscrasiam.
(r) Dyscrasiæ.
(s) Sanies, & serum, & tenue.
(t) Serum.

membranas cerebri affici, aliud ſubſtantiam cerebri, aliud caput, aliud cerebrum affici (quod utrumque eodem pertinet) an id verum ſit ex Veterum opinione expendamus. Sed hic auctoritates veterum non tam ſunt numerandæ, quam expendendæ. Galenus ita loquitur *in Prorrh. Capitis dolor*, id eſt, *Græce* κεφαλαλγία, *caput ipſum affectum docet, Catoche autem cerebrum ipſum.* Et alio loco: *Dictum eſt ante* τὸ κῶμα (*u*) *affectum ſolum ipſius cerebri eſſe* τῇ ἐκστάσει (*x*) *contrarium.* Et alio loco clarius: *Cephalalgia caput affici docet, veluti & ſenſus auditorii læſio cerebrum ipſum. Colli dolor, & manus tremulæ nervorum principium affici demonſtrant.* Celſus diſputans de affectionibus capitis ita ait, *Nomine capitis nunc ſignifico eam partem quæ capillo tegitur: nam oculorum, aurium & dentium dolor, alias erit explicandus. In capite autem interdum acutus & peſtifer morbus eſt, quem* κεφαλαίαν (*y*) *vocant.* At dicet quis, Cephalæa eſtne morbus ejus partis quæ capillo tegitur? falſum id eſſe videtur; nam membranarum eſt. Sed illo loco Celſus non intelligit eam diſtinctionem quam nuper elicuimus ex Galeno de morbo capitis & cerebri, ſed nomine capitis & pericranium, & meninges, & forte cerebrum audit: tantum nomine capitis non intelligit conſpicuas partes, nares, aures, dentes, & ſimilia. Ergo aliud eſt ſtatuere morbum τῆς κεφαλῆς (*z*), aliud τοῦ ἐγκεφάλου (*a*). Quamquam alius locus apud Galenum quo deſtruas iſtum dioriſmum. Interpretans enim illud: *Ex cephalalgia aphoniæ*, ait; *ideo hoc dicit Hippocrates quod cephalalgiam velit eſſe ſignum affecti nervorum principii, non autem localem ipſius aphoniæ affectionem eſſe in eo: Hæc enim aphonia fit ſæpe ob tenſionem vehementem, vel ob muſculorum & nervorum voci inſervientium exſolutionem & laxamentum.* Quamquam aphonia ſæpe localem habet in ipſo cerebro cauſam. Ex his apparet nervorum principii morbum eſſe cephalalgiam: nervorum autem principium cerebrum eſt (15). Valere ergo jubeamus diſtinctionem illam ſuperius adductam: niſi dicamus contra mentem Galeni ut ſervetur ipſa diſtinctio: cephalalgia eſt capitis affectio, membranæ enim læduntur, quæ nomine cerebri non continentur: Aphonia autem eſt ipſius cerebri affectio. Sic enim a membranis, ad cerebrum ipſum, quod non tam prompte afficitur atque illæ, repit affectio. Juvat quoque iſtam diſtinctionem, id quod Galenus conſtituit, dum ait: *Dolor colli fit vel ob affectum ipſum cerebrum, vel meninges, vel ſpinæ medullam*: ac ſi dicat affectum ipſarum meningon, & ipſius cerebri aliud omnino eſſe, ut illarum affectio numero morborum capitis, hujus autem morbus numero morborum cerebri accenſeatur. Sed hæc dicta ſint, ut doceamus nos nil hic obſcurum velle ſcribere, quod legentium animos ſuſpenſos tenere poſſit.

Ad part. 55. ſect. 2. lib. 1. Prorrh.

Ad part. 6. ſect. 3. libr. 1. Prorrh.

Ad part. 2. ſect. 3. Prorrh.

Ad part. 40. lib. 2. Prorrh.

Alii furorem uteri.

Virgines viro maturæ ob quamdam uteri ipſius ἐπιθυμίαν, & σατυριασμὸν

(*u*) Coma.
(*x*) Mentis emotioni.
(*y*) Cephalæam.
(*z*) Capitis.
(*a*) Cerebri.

μὸν (*b*) varias incurrunt affectiones. Quis non eidem utero accidere eadem dicat, quæ & peni virili, quem videmus sæpe turgescere, & inflari, ut quædam inde καρδιαλγία (*c*) insequatur? forte de furore uteri audiendum illud Hippocratis: *Leonidæ filiæ natura ad impetum incitata aversa est: aversa in iram excanduit: ubi ira excanduit, reconciliata est: Medicus non intellexit: Puella mortua est.* τῆς φύσεως (*d*) nomine uterum intelligit, politico loquendi modo. De causis furoris uteri, & quomodo mentem perturbet, plenissime dictum est *in libr. nostro de morb. mulierum.* *Ad finem lib. 7. Ep.*

Alii φροντίδα (*e*).

Paullo post dicemus, *caput totum & corpus totum veluti quibusdam aculeis sibi pungi narrabat.* Et tamen eam extra se fuisse ante diximus. Unum autem ex signis desipientiæ, quemadmodum ex Galeno patet, est quum ægri falsas quasdam dolorum imaginationes habent, qui non adsunt tamen. Sic in hac puella hoc videtur forte inane quod punctiones se sentire narraret: tamen quum ad se redierat, in eodem stabat dicto. *Ad part. 16. lib. 3. Prorrh.*

Tamen locus est commemorabilis περὶ φροντίδος apud Hippocratem: (16) *In visceribus veluti spina esse videtur*, ait Hippocrates, *anxietas corripit, lucem & homines fugit. Timor invadit, septum transversum foris tumet, morbus vere corripit. Affectus est vere melancholicus.* Et quæ eo loco scribuntur, ea omnia puellæ tribui posse videntur. Ceterum meo judicio, quod in corpore est ἄκνη, & ἀλύκη (*f*), id in animo φροντὶς esse potest: est autem quædam anxietas mentis ad rem aliquam nimium attentæ: ut in amasiis evenire potest. Quamquam ἀλύκη & ad animum referri potest; nam ἀλύειν Galenus interpretatur, quum non quiescimus, sed nos ab uno negotio continuo ad aliud traducimur. Atque ut expediamus illam particulam de pruritu: hic adesse potest in mensium suppressione & orgasmo, ut omnino fecerit inepte Medicus qui territus quibusdam symptomatis sanguinem miserit. Illa enim quæ & in non menstruis mulieribus, & virginibus adsunt symptomata, perturbationem a motu naturæ, aut potius conatu in ciendis mensibus significant. Unde Hippocrates ita scripsit: *Quibus ex rigore febres laboriosæ, muliebria his decurrunt. Et cervix dolens hæmorrhagiam significat.* Et paullo post, *Quibus per nares spes est ut per caput quatientia, & sonitus sanguinem profundant, profundunt hi, & muliebria deducuntur, maxime si circa spinas æstus fuerit. Forte & id dysenterias facit.* Sic quum febriunt mulieres, & metus aliquis aut opinio eruptionis est, cave ne quid temere tentes. Immo & in plerisque post ista symptomata eruptionem mensium tempus præstitutum antevenisse vidimus. Nunc audiamus Hippocratem qui affectionem hujus puellæ videtur depinxisse: *Morbi circa caput & viris & mulieribus vehementissimi sunt & diuturni fiunt & adolescentibus & virginibus, in tempore pubertatis, maxime quum menses appetunt. Mulieribus in capitis*

Ad finem 2. de morbis.

Ad Aph. 56. lib. 7.

Part 50. sect. 3. lib. 1. Pror.

Lib. 2. Prorrh. In quem Gal. non scripsit.

(*b*) Desiderium & satyriasim.
(*c*) Cardialgia.
(*d*) Naturæ.
(*e*) Curam, animi ægritudinem.
(*f*) Anxietas, implaciditas sui.

pitis dolore eadem omnino fiunt, quæ & viris. Verum punctura illæ pruriginosæ, & affectiones atrabilariæ, his minus quam viris, nisi menses omnino aboleantur.

Alii Catubuth veterum. (17)

Cap. 16. de melanch. Arculanus de ea affectione ex Mesuei opinione abunde edisseruit: & non est sicco pede prætereundum id quod de ea affectione dictum est: *Melancholia duas famosas species habet, una Catubut dicitur, altera Eros. Catubut nomen invenit a quadam specie araneæ quæ movetur super aqua diversis motibus, & sine ordine. Catubut est species melancholiæ plurimum eveniens mense Februario non expectans ad ver usque ob subtilitatem humoris melancholici: nam generatur a melancholia genita per adustionem choleræ, aut melancholiæ, in qua forte caliditas non multum adurens remansit. Et sic licet sit cum motu plurimo, non est tamen cum rixa, immo cum timore.* Signa & causæ amplius explicantur, ut ad librum recurrere eum oporteat qui plura desideret. Hic sane affectus quadrare nostræ virgini potuit in multis signis ipsius morbi descriptionis. Eo tempore morbus apparuit quod ab Arculano descriptum est, & quum in ea mensium esset suppressio, quæ quidem ut *lib. de virginibus* edisserit Hippocrates horrendorum symptomaton causa esse solet; non formidavimus iteratam venæ sectionem. Quod nunc dico valde notandum est: etenim quum in omni morbo melancholico luculenta venæ sectio suspecta sit, in hoc solo catubut, specie melancholiæ eximia, ad syncopen sanguis mittitur. Quod arguit aliquid esse in eo morbo quod in ceteris melancholiæ morbi formis non animadvertitur. Si enim suppressio aliqua solemnis sit, præsertim sanguinis aut per mariscas, aut nares, aut uterum, quæ hunc morbum invexerit, non erit extra rem copiose sanguinem demere. Quis est enim qui tam audacter sanguinem mittat si ejus propria generatio spectetur, ex atro videlicet succo per adustionem bilis generato? Plura vide apud Arculanum *cap. de Cathubuth.*

Articul. Capit. de cura Cathubuth.

Aliquando ad se redibat.

Præclara est quæstio, quum ex antedictis constet & diathesin, & causam in cerebro esse, cur non malum perseverabat? cur non semper delirabat? cur quies aliqua concessa est? Et quod mirum est, etiam flagrante malo quum moneretur de quibusdam amicis qui eam deberent invisere, quibus ista occulenda erat infirmitas, virgo illa cogebat sese, & quod nos observavimus, demordere videbatur labium, quasi vellet vocem continere ne quid insolens effutiret: egressis illis amicis, quorum præsentia verecundabatur, paullo post more isto garriebat & jactabatur. Ante quæsitum est, an quum in parte aliqua dispositio aliqua est, & impressa infirmitas, nec non materia adest, malum & dolorem perpetuum esse necesse sit? Hoc enim distinguuntur vertigines per protopathiam natæ, ab his quæ compatiendi lege eveniunt, quod illæ diu perseverant, hæ fugaces sint. Sed illud verbum, perseverare, & fugax esse magnam habet latitudinem. Nam quum dicitur malum perseverare, non ita dicitur,

citur, ut quamdiu διάθεσις (g) adſit malum quoque urgeat, ſed per comparationem cum eo dolore, vel eo malo quod vi ſympathiæ fit, dicitur diuturnius eſſe, quam id quod ex eventu accidit. Item ſi vis ipſius diatheſeos ſpectetur, quum in parte aliqua eſt, minima occaſione malum accerſit: & in eo ſpectatur perſeverantia iſta. Accedit quod dolorum & morborum alii ſunt acuti, chronici alii: quoniam acutorum breve eſt tempus; ideo ſi cauſa in parte fixa eſt, malum quoque figitur & perſeverat: ſi chronicus, figitur quidem, ſed tamen non ſemper affligit. Ut in febre continua eſſentiali quoniam cauſa delirii certo tempore furit, & nondum parenchymati ipſius cerebri inuritur, ideo fugax eſt delirium, ſed in febre ſymptomatica phrenitis ipſa delirium habet aſſiduum, quoniam aſſidue cauſa fovetur, & ut loquitur Galenus in cerebro ὑποτρέφεται διάθεσις φρενιτικὴ (h). Quum autem cauſa diu fixa eſt, & morbus per ſe chronicus eſt, quoniam habet quædam momenta & inclinationes, non perpetuo affligit. Nunc ſententiam Galeni audiamus de diſtinctione affectionum fugacium cauſam, & fomitem in parte non habentium, & earum quæ perſeverant: *Quum videris quempiam*, ait, *cum ferocitate deſipientem, etſi paulo poſt ſedetur, cognoſce mentem non febris ratione læſam, ſed phreniticam ſubali affectionem, quæ poſt adaucta, ferina tibi videbitur.* Vis ponenda in verbis, *etſi paulo poſt*, ut contra adverſarius dicat non continuam eſſe deſipientiam quæ paulo poſt ſedetur. Et revera objectio habet aliquid probabile: ſed verba Græca & litteræ ſenſus aliud ſonant: Legitur enim κἂν ὀλίγον ὕστερον παύσηται: Id eſt, etiamſi poſtea paullum ceſſaverit, & ceſſare viſa deſipientia fuerit: Id eſt, ut ſit remiſſio aliqua (quod alio τὰ πολλὰ (i) dolorem non ſentire dicit) ſed non intermiſſio: nam ſi abſoluta intermiſſio eſſet, aliunde malum eſſet repetendum, & non in parte ipſa cauſa firmaretur. Et ad eamdem ſententiam paulo poſt dicit: *Migrationes ſymptomatum, Græce* μεταπτώσεις, *ex migrantibus fiunt humoribus. Nempe firmatos ſtabilitoſque una in parte humores, ſpecies una ſymptomatis, tum natura partis, tum humoris virtuti peculiaris, conſequitur. Atqui quod phrenitis in ipſis duret, ex eo firmatum in capite eum qui affectionem parit, humorem ſuſpicio eſt.* Atque reperio humorem tribus modis morbum parere poſſe, per ſympathiam, ut quum a parte longinqua transfertur, ſive ejus ὀρρὸς (k) tantum transferatur (quod fere fit) ſive μετὰ τοῦ ὀρροῦ καὶ ἰχῶρος (l) craſſior quædam pars: & translatio vere dicitur: vel quum in parte eſt: idque trifariam dicitur fieri: ſi perfluit tantum venas, ut in febrium deliriis; ſi tranſgreſſis trajectiſque vaſis jam in parte ipſa impreſſionem fecit, ut in lethargo, phrenitide, catocho: tertio, ſi ſit etiam in eadem parte, ſed latius ſumta μετάῤῥυσις καὶ κατάῤῥυσις (m): ita enim quodam in loco μετάῤῥυσις καὶ κατάῤῥυσις pro eodem ſumitur, ut κατάῤῥυσις (n) nomine intelligatur transfluxio de loco ad locum.

Ad partic. 25. ſect. 1. lib. prioris Pror.

Ibid.

Ad partic. 27. ſect. 1. lib. 1. Prorrh.

Ad part. 27. lib. 1. Prorrh. ſect. 1.

(g) Diſpoſitio.
(h) Occultè nutritur diſpoſitio phrenitica.
(i) Ut plurimum, per intervalla.
(k) Serum.
(l) Ex ſero & ſanie.
(m) Transfluxio & defluxio.
(n) Catarrhi.

cum. Exempli causa, quum humor occupat ventriculos cerebri, peculiarem quamdam invehit affectionem; si substantiam, novum genus morbi; si in nervos auditorios, aliud; si in opticos, novum quoque parit: & hoc in eodem cerebro fit, & proprie μεταῤῥεῖν (o) dicitur. Itaque humor contentus in parte aliqua, & fixus firmatusque continuam quamdam affectionem facit, facta comparatione cum causa fluente, & non fixa: non quod semper dolor adsit: nam omnis humor certo quodam tempore, certos habet ratosque motus & inclinationes. Si in cerebro quidem humor sit, sed deerret, varias affectiones parit, prout in hanc, aut illam partem repit. Atque eo modo hunc scrupulum eximere oportet.

Pulsus tardus, aliquando frequens.

Si quæ materia tantas in cerebro perturbationes afferebat, in vasis majoribus inter alas & inguina interjectis coercita putruisset, alius pulsus fuisset: at congener erat corpori, morbo congener: nam melancholicorum talis pulsus esse solet. Et quoniam de eo pulsu *in priore Consiliorum nostrorum Tomo* diximus, hac supersessuri sumus ampliore explicatione.

Aculeis pungi corpus narrabat.

De punctionis sensu diximus ante in explicatione vocis φροντίδος (p). Et quum curatio illius morbi præposterа fuisset, nullaque crisis insecuta fuisset, nisi quod ea quamdam excretionem, & potius secretionem in caput fecisset, ac si κατὰ τὴν ἀπόθεσιν (q) crisin moliretur, non mirum si materia, quæ crisi κατ' ἔκρυν (r), aut per sudores, aut alio modo excerni debuisset, recruduerit, & suppressa seipsa deterior facta fuerit, unde punctiones & lancinationes.

Tandem quum ex alto cecidisset, levius malum esse visum est.

Forte quum tumultuaretur ex alto cecidit, & offensus est pedis articulus: illaque laborem sensit & dolorem, & tranquilliore cœpit animo esse. An casus iste novam mutationem afferre potuit? Galeni est locus valde præclarus, ubi docet morborum quamdam fieri μετάπτωσιν, id est permutationem, ut mutuo sese excipiant morbi & symptomata. Narrat enim se vidisse quemdam qui paraplecticus foret, obortis quibusdam lumborum doloribus convellebatur: deinde desinebat convulsio, deinde redibat paraplegia, & sic deinceps. Id quod quum raro fiat, mirandum fuit. Sed id quod hoc loco dicimus magis mirum esse debet: nam nostris temporibus visus est phreniticus qui per novem dies insigniter & febrierat & deliraverat: quum nono die omnia recruduissent, nocte e lecto desurgens manum violentam decumbenti Medico afferre voluit, a ministris deinde coercetur: fingit somnum, inopinato exsilit e lecto, & fenestram appetens, eamque persiliens, in aream locum altum valde decidit: forte aderant quidam colloquentes, qui decidentis corpus sustinuere: a casu isto quum alioqui fere illæsus esset, delirio est absolutus. Sic discussa est miraculo.

Ad part. 16. lib. 3. Prorrh.

Anno 1575.

(o) Transfluere.
(p) Curæ & anxietatis.
(q) Per modum separationis.
(r) Per excretionem.

miraculo materia morbum faciens. Et apud Hippocratem: *Cuidam aderat crurum rigor diuturnus: forte in lapidem cecidit, læsum caput est, vertigo oboritur: desiit malum vetus.* Sic credibile huic virgini evenisse, ut casum ob istum paullum resipuerit. 5. Epid.

Malum auxilia eludebat. Relicta sine remediis convaluit potius.

Melancholici vulgo Medicomastiges, & flagella Medicorum dicuntur: est enim is humor indomitus & efferus. Sed dicat quis, an qui suppressus humor menstruus fuerat tam sæva inducere potuit symptomata? Ita hercle: quamquam id non videtur Galeno. Contra Hippocrates: hic enim ita scripsit: *Quæ cum tantula ferocitate (Græce τὰ ἐπ' ὀλίγον (s) cujus vim paullo ante exposuimus) in desipientiam pellunt, melancholica; si vero ἀπὸ τῶν γυναικείων (t) fuerint, ferina: quo modo coriarii filiæ evenit.* Galenus *in Com.* ita ait: *Quum autem ii qui melancholicè delirant promti sunt ad inferendum propinquis malum (quod κακουργεῖν (u) vocat) si κακουργίας μεγάλας ποιῶνται, id est, si malefici magis fuerint, παρακρούσεις θηριώδεις (x) vocitantur. Sed quod talis desipientia ferina oriatur ex suppressione purgationis menstruæ, nec prorsus verum, nec magna ex parte. Nam si melancholicus fuerit sanguis, & in cerebrum ierit, talem affert παρακοπὴν (y): & sic in ceteris.* Sic non negat quidem deliria, & alienationes mentis ob unam mensium suppressionem evenire posse, sed illas negat esse ferinas, & maniacas: quod forte probabile est. Nunc audiendum cur dixerimus tam effrene malum remediis recruduisse, iisdem sublatis cessavisse. Idipsum multarum rerum gnara antiquitas observavit: ita enim Aëtius scripsit: *Operæ pretium est nosse multos melancholicos ægrotantes in tempore curationis nil commodi sensisse. Dimissa vero curatione restituti sunt, natura ante curationem prævalente contra morbos debiles ex medela factos. Sic remissionem naturæ dare oportet: nam una cum curationibus videtur affligi: in quiete vero invalescere, & superare morbos jam antea attenuatos.* Part. 31. sect. 3. Prorrh. Cap. 10.

Ante dysenteria crudelis eam afflixerat.

Tenasmus & dysenteria eam valde duobus ante annis afflixerat, & in recto intestino ulcus depascens obortum fuerat, quod fere ἀνίατον (z) erat. Credibile est in illa restagnare & succrescere humorem indomitum, sive pituita salsa fuerit, sive succus melancholicus ad atram bilem accedens. Et si quis non credat pituitam salsam posse tantos morbos accersere, audiat Hippocratem de secunda specie causi a pituita salsa disputantem. In causo non legitimo pudendi livor supervenit, & testiculus intensus judicatorius est. Et Galenus ait igneam caliditatem & urentem excitari ob fumosam substantiam a pituita salsa excitatam. Et Hippocrates tenasmos & inflammationes sedis ab ea pituita salsa excitari fatetur. Part. 13. lib. 4. Acut.

(s) Ad breve tempus, vel tantulum.
(t) A muliebribus expurgationibus.
(u) Succos maleficos esse.
(x) Mentis emotiones malignæ.
(y) Levem mentis emotionem.
(z) Insanabile.

Verebamur de sphacelo cerebri.

Hippoc. lib. de Fistulis. Quid sit cerebrum σφακελίζειν (a), diximus *in nostris Definitionibus medicis.* Ceterum observarunt primarii Medici post diuturnos capitis dolores siderationem meningon ipsius cerebri evenisse.

Id congenitum.

Rescivi enim ex parte patris multos fuisse qui stulti fuerint, & ad deliria, melancholicasque perturbationes proclives (18). An autem morbi sint congeniti, *in prima hujus libri historia* ample disputatum est.

Multa remedia ultro tentata sunt, quorum capita strictim percurremus, & eorum formulas aliquas perscribemus. Sæpius secta vena: data pharmaca & enemata cum melle mercuriali & confectione hamech. Galli exenterati capiti sunt admoti: cucurbitulæ scapulis: zibethum cum cottone pudendo applicitum; betonica capiti, præsertim fronti; cucurbitulæ in femoribus. Item & hæc.

℞. Fibrarum ellebori albi, dr. j: seminis seseleos & pæoniæ, ana, dr. ß: radicis asari, scr. ij: buglossi, scolopendrii, melissæ, ana, man. j: florum cordialium, pug. j: fiat decoctum: in colatura dissolve electuarii diacarthami & de succo rosarum, ana, dr. ij: fiat potus.

℞. Massæ pilularum sine quibus, cocciarum & fœtidarum, ana, scr. j: pulveris hieræ diacolocynthidos scr. ß: cum syrupo violarum fiant pilulæ deauratæ.

℞. Florum nenupharis, lactucæ, portulacæ & violarum, ana, pug. j: fiat decoctum ad unc. iv: & cum unc. jß syrupi nenupharini fiat potus capiendus hora somni.

℞. Decoctionis salviæ, majoranæ, menthæ, melissæ, stoechados, chamemeli, meliloti, lib. iv: colentur per cineres sarmentorum: adde expressionem unc. iv foliorum sennæ mundatorum ebullitorum in vino albo pro embroche totius capitis & affusione ex alto.

Ad ea omnia, quæ de eo morbo tractata sunt, duo adjicere oportet: Prius est, quod vulgo omnes Medici calidos fotus & embrochas ad dolores capitis instituant. At quum superius paullo demonstraverimus maximam partem dolorum capitis esse ab humore, aut per se calido, aut a vapore, aut ab adusto, concluso, & ob diffiationem prohibitam quadamtenus putrescente, frustra tot lixivia ex calidis cephalicis instituunt. Itaque hoc monitionis loco mihi & aliis scriptum sit.

Posterius est quod omissum balneum universale fuerit, quod tamen hic primas tenet, tum ad contemperandos humores, tum ad corporis perspiratum, tum ad restinguendum incendium. Et maxime in melancholia morbo convenit, præsertim quum est per adustionem humoris, sive affectum sit cerebrum, sive in mesenterio malum consistat: revera si non ita alienato fuisset animo, id tentavissemus: sed in tanta rerum confusione valde de remediis est dubitatum.

Ad par. 42. lib. 4. Acut. Accommodate ad id quod nunc diximus, Galenus de usu balnei in dolore capitis ita statuit: *Interdum ab initio morbi febres sunt mites, sed ab initio*

(a) Corrumpi, sphacelari.

initio tamen symptomata gravia caput infestant, vertigines, pulsationes temporum, & alia, ob exustionem, vel exhalationem humorum in ventriculi corpore contentorum. Sane, capitis solius quovis aliter modo habentis caliditatem balneum juvat. Et ptisanæ cremor pro sorbitione satis est. Verum quum spiritus calidus & flatuosus ob humorum pravitatem ad caput fertur, lavare hos non confert.

Calamitosum hujus virginis fatum.

Circa finem mensis Sextilis anno 1576. quum molestias tulisset, & propter assiduum capitis dolorem insomnis diu fuisset, cardiogmo se tentari dixit: tandem in febrem incidit. Ejus febres non erant vehementes, sed lentæ erant & malæ, & earum vis & venenum in cerebrum ipsum impressionem quamdam faciebat: caloris sensus erat maximus in fronte & temporibus: & tumor erat μυξώδης (*b*) ad ossa bregmatis parte sinistra; die Martis horruit: nocturna febris, secta vena. Die Mercurii eadem: de nocte nugata est & παρίλεγε (*c*). Mane perseverabant nugæ, nec ad medicamentum capiendum adduci potuit: tandem precibus victa sumsit: visa est resipere. Ad nonam vespertinam eadem manebat: tamen identidem capitis dolorem querebatur. Media nocte custodibus obdormientibus e lecto surrexit, cubiculum exiit, aut e fenestra cecidit, aut caput ad lapidem prædurum & obtusum, aut ad mensam plumbo obductam quæ propter culinam est, offendit. Attonita ex ictu casuve facta est, vomuit. Nil in cute apparebat. Sex horis post interiit (19). Ossa bregmatis effracta erant, & intro detrusa, reliquum os ad suturam a litera λ nomen sortitam fissum erat: musculus temporalis plane contusus. Non narrabant cadendi modum, immo subcelabant matrem. Atque hoc valde calamitosum fuit. Forte duobus ante diebus deprehensus erat tumor ea parte sinistra præ capitis dolore obortus: & is fefellit nos: nam non eminebat a casu isto. Ignoratus cadendi modus fraudi fuit, & tam repentini fati causa: nam aliqua arte provisum fuisset; quamquam casus iste letalis omnino erat, nec umquam restitui potuisset. Suspicabatur mater violentum aliquem casum, nos vero celere hoc eventum tribuebamus vi doloris ipsius capitis. Et qui designabatur locus a matre, ex quo cecidisset, non faciebat opinionem tantæ rei quanta latitabat. At magni refert in morbis similitudine rerum non falli, nec præjudicatæ opinioni nimium insistere. Quum enim multis id calamitosum fuit, tum huic virgini infaustum, saltem enim omnes nos suo functi fuissemus officio.

ANNOTATIONES.

1. *Pilositas in brunis præsertim est melancholiæ signum: quod Arculanus* cap. de melancholia *annotavit.*

2. *Nigrities capilli calidum temperamentum non indicat.*

3. *Galenus* in commento *dicit Hippocratem duo observasse, ætatem, & naturam.*

(*b*) Mucosus. (*c*) Levia effutiebat.

naturam. Ætatem, ut qui calidiores ratione ætatis essent, ægrotarent: naturam ut in frigidioribus natura, quibus cutis densa foret, excrementum facilè subsisteret, & ob eam causam malum afferret.

4. *Quoniam noctis humiditas calorem quodammodo temperat, diei autem calor & siccitas febrilem calorem auget, videtur non absque ratione dicere Hippocrates febrem diurnam ad tabem ducere: impense enim siccatur corpus ac tabescit. Vidimus tamen omnes nocturnas febres malas esse, & magnam virium jacturam attulisse.*

5. *Galenus* ad particul. 71. lib. 3. Prorrh. *docet febrium ardentium esse hæmorrhagias movere, quia & sanguinem fundunt, & ἐς τὴν κεφαλὴν ἀναφέρουσι* (*d*). *Huc pertinet illud* 2. Epid. sect. 1. *sanguinis e naribus largus fluor liberat sæpe, ut Heragoræ contigit, cujus Medici non erant gnari. Hic taxat Medicos diebus criticis manantem sanguinem supprimentes.*

6. *Hinc* cap. 4. lib. 2. Meth. med. *Fernelius arguit Medicos qui ex stillicidio sanguinis e naribus, vel urinis rubris captant occasionem secandæ venæ.*

7. *Et* ad part. 32. lib. 3. Prorrh. *vocat quamdam alienati judicii & mentis speciem* περιφέρεσθαι τῇ γνώμῃ (*e*), *politico loquendi modo*, il est égaré & fourvoyé de son entendement.

8. *Tamen miror cur Galenus loquens* περὶ θορύβου καὶ παραφροσύνης (*f*), *in pulsu hypochondrii, non dicat* τὸν θόρυβον (*g*) *esse prodromon delirii. Sed in contrario accipit sensu.*

9. *In Picardia utuntur etiam in placentulis semine papaveris albi sine noxa ulla.*

10. *Ad hunc locum pertinet problema Aphrodisæi. Cur tam vinum quam aqua delirium & maniam inferat? Aqua id facit obtrudendo, &c. Legatur locus* Problem. 94. lib. 1.

11. *Hippocrates* fere initio lib. de morbo sacro *vere melancholicorum signa exhibet, & quomodo statim resipiant, rursus perturbentur. Et Arculanus docet mulierum melancholiam deteriorem esse, sed rariorem.*

12. *Arculanus docet viros potius melancholicos fieri, quam mulieres: sed deteriorem in mulieribus esse affectum, quod a fortiori sit causa.*

13. *Melancholici vocantur non solum ii qui nigram excernunt bilem; sed & ii qui jam habent in solidis partibus talis constitutionis structuram: ideoque qui sunt corpore squalido, sicco, macro, quique curis, vigiliis, ægritudinibus, perturbationibusque animi concutiuntur, ii melancholiæ sunt obnoxii.*

14. *In Historia prima jam annotavimus sæpe efferri tetrum vaporem & inflammabilem in plerisque, qui spiritus capitis incendens intemperiem calidam, & valde molestam infert cerebro: quod & huic evenit & plerisque, ut alibi annotavimus. Et puella hæc nobis narravit affirmavitque quum Poissiaci degeret, monialium imprudentium consilio affusam esse fronti calcem vivam ad capillos exurendos. Nec enim est quod quis dicat aliud esse τὴν φλεγμονὴν,*

(*d*) Ad caput referunt.

(*e*) Judicio & mente alienari, e recta ratione transferri.

(*f*) De turbatione mentis & levi emotione.

(*g*) Mentis perturbationem.

μονὶ (*h*), *aliud* φλεγμονώδη διάθεσιν (*i*): *si quidem pro eodem sumuntur a Galeno. Etenim* Com. ad part. 13. lib. 1. Prognost. *ait rubere oculos aliquando ob phlegmonem cerebri*: lib. vero 7. Aphor. *de eadem causa loquens ait, rubere oculos ob diathesin phlegmonodem; sic confundit.*

15. *Mania tribus modis sumitur. Primo modo pro ingenti delirio, ut Hippocrates* part. 32. lib. 1. Progn. *docuit loquens de pulsu hypochondrii. Secundo modo pro delirio sine febri a calido humore, aut calida dispositione cerebri. Tertio modo pro quadam mania a frigido humore. Quod autem a calido humore sit etiam sine febre, & dyscrasia cerebri, ita Galenus qui locus huc valde pertinet* cap. ultimo lib. 2. de causis sympt. Reliqua quidem omnia deliria ex mordentibus & calidis oriuntur succis, qualis maxime flava bilis. Sæpe etiam ex calidiore cerebri intemperie, sola illa quæ melancholica vocantur frigidum succum pro causa habent. *Sic propter melancholiam proprie dictam, & phreniticum delirium, & maniacum, & paracopticum in febrium vigoribus, a calido vapore, & intemperie nascitur.*

16. *Non est quod quis subterfugiat, dicendum & membranas cerebri posse principia nervorum dici: nam* in prognosticorum Com. ἀρχὴ τῶν νεύρων (*k*) *cerebrum dicitur.*

17. *Inter locos ceteros est quidam commemorabilis* lib. 2. de morbis mulierum *ubi disputat de quodam affectu quem vocat atram bilem in utero: & ejus edit signa.*

18. *Punctionem istam melancholicis propriam veluti esse Aristoteles* cap. ult. lib. 7. Ethici *proponit*: Qui natura atrabilarii sunt, ii semper requirunt desiderantque medicinam quod eorum corpus continenter pungatur, & vehementes semper habent appetitiones. *Aristoteles illo loco docet semper nos dolori contrarium appetere, etsi illud difficile sit.*

19. *Scribitur vel Catubut sine* h *aspirante, vel Cathubuth.*

20. *Quomodo semen vitiatum parentum, id est, labe aut epileptica, aut arthritica, aut consimili infectum, istam imbecillitatem ad posteros transferat, ad finem* Comm. in Aphor. 28. lib. 6.

21. *Fundum ventriculi deprehendimus subrubrum; & maculis rubris persperſum, ac si ictum aliquem vimque passus fuisset: Admirationi nobis id fuit: ac credo a casu fuisse.*

HISTORIA QUINTA.

UXor *Consulis Regii morbo febreque populariter grassante occupatur. Febris* κοπιώδης, ἀκατάδης, ψηλαφώδης (*l*). *Incendium summum in partibus imis erat: jactatio* ἀνέμετος. *Alvus liquidis excrementis ferebatur, fœtidis: ne minimum manus appulsum ferebat. Nocte exacerbationes. Circa au-*

(*h*) Inflammationem.
(*i*) Dispositionem inflammatoriam.
(*k*) Principium nervorum.
(*l*) Lassitudinaria, fastidiosa, palpans digitis.

roram diebus criticis indicantibus ἄσφυγμος (m) pæne erat; corpus sudoribus frigidis, modo universo in corpore apparentibus, modo in cervice & claviculis diffluebat. Ad nonum diem corpus punctículis pulicum morsus referentibus maculatum erat: Vires admodum effœtæ. Tandem serosis multis evacuatis sine manifesta crisi est judicata.

COMMENTARIUS.

QUum mentio injicitur morbi populariter grassantis, tacite mos morbi & ingenium explicatur. Nec enim abs re Hippocrates in quovis morbo τὸ ὀξὺ (n) spectandum putat, καὶ τὸ θανατῶδες (o): Illud vim acutiemque morborum significat ex peculiari corporum natura humorumque dominatu natorum: hoc vero insinuat illud quod ab eodem τὸ θεῖον (p) nuncupatur. Sed has difficultates excutere nunc temporis spatium non est: satis est hoc loco meminisse ejus quod dictum est *in Prognost.* Oportet impetum morborum ἐπιδημούντων considerare: Laurentianus vertit, *morbos exsuperantes*; sed male, quum ἐπιδημεῖν grassari sævireque in vulgus significet: Item temporis constitutionem tenere oportet. Nos pluribus explicaremus & morborum qui tunc temporis vagati sunt, & qualis fuerit temporis constitutio, nisi *in lib.* 1. *Epidemiorum nostrorum* res tota pateret. Tantum de duobus monere oportet; hiems præcesserat rigidissima, quæ partes internas labefactaverat, & revocato, potiusque conculcato intro calore eas adusserat, ut fere νεκρώσεως (q) metus foret. Secutum ver satis morbosum, æstas ferventissima, & seri acerrimi bilisque infestissimæ genitrix: ut mirum non sit si tanta morborum setura fuerit: Immo adeo partes internæ, & præsertim nervosæ, affectæ fuerant cæli inclementia, ut quibus a lithotomis detractus e vesica incisione fuerit sanguis, eis suum diem obire necesse fuerit. Aphtharum & morbillorum magna fuit ilias. An non tum vitio cæli, tum eximia quadam putredinis qualitate, quam natura frangere ac domare non potuit?

Par. 40. lib. 3.

Hoc fuit an. 1573.

TEXTUS.

Febris κοπιώδης, ἀνιώδης, ψηλαφώδης (r).

Part. 16. sect. 3.

In Prorrhetico ita Hippocrates: *fauces si parum exasperentur, frons doleat, contrectatique fatigentur, atque in stragulis & vestimentis doleant, quæ ex his augentur difficilia exsistunt*: In Græco legitur ψηλαφώδεες κοπιώδεες (s), cum distinctione, non autem conjunctim, ut κόπος ad τὸ ψηλαφῶδες (t) referatur: τὸ δὲ ψηλαφῶδες, non eum significat qui palpatur & contrectatur, sed qui palpat & contrectat, ut ex alio loco patet. Et non diceret Hippocrates κοπιώδεες, sed ὀδυνώδεες (u): nec enim κόπος, sed ὀδυνη (x) ad molestam tactionem sequitur, id est, si quis ne blandæ manus

Ad part. 33. lib. 1.

(m) Sine pulsu.
(n) Acutiem, quod est acutum.
(o) Et quod est lethale.
(p) Divinum.
(q) Mortificationis.
(r) Lassitudinaria, fastidiosa, palpans digitis.
(s) Palpantes laboriosæ.
(t) Lassitudo ad palpationem quandam.
(u) Laboriosas, sed dolorosas.
(x) Lassitudo sed dolor.

manus appulsum ferat, quin doleat; quæ affectio hinc sequitur ὀδύνη proprie dicitur. Plura *in nostris Definitionibus* in voce παράκρουσις ἀσαφής. Porro περὶ κόπου καὶ πυρετοῦ κοπιώδους (*y*) non dicam: sufficit tantum dicere febres laboriosas, & a tenuibus ichoribus nasci, & a crassis humoribus. A crassis, ut quum Hippocrates ait, urina crassa alba in quartanis laboriosis exit. *In Com.* Galenus laboriosas febres nominat, non quas multa antegressa motio peperit, sed omnes in quibus aliquis laboris & lassitudinis sensus exsistit. Et nunc de laboriosis excitatis ex multitudine crassorum humoris. De ichore autem febrem laboriosam pariente; ita *in lib. Acut. Causus fit quum venulæ arefactæ ichores attrahunt*, &c. Item, *febris vehemens habet, & corpus veluti a lassitudine ossearia* (Græce ὀστοκόπος (*z*) *laborat doletque.* Et hæc de lassitudine spontanea. Gorræus & ὀστοκόπον, & alias ejusmodi lassitudines ab immodico labore repetit, sed male: quamquam & motio vehemens id facit: sed sæpe & quies, & a quiete suppressio excrementi id committit. Itaque dicemus febrem laboriosam esse in qua lassitudinis sensio est maxima sponte excitatæ, ut æger ne minimum manuum appulsum, & motionem ferat: immo ne vestimentorum appositum & onus ferunt. Tali febre laborabat nostra ægra.

Part. 2. sect. 4. l. 9. Epist.

Part. 1. & 2. sect. 4. lib. Acut.

Jactatio ἀνέμετος (*a*).

Jactatio Græce ἄλυς καὶ ἀλυσμὸς dicitur, de quarum vocum significatione paucis dicam, quoniam de iis copiosius *in nostris Definitionibus Medicis.* Apud Galenum duplex est ἄσα, sive ἀλυσμὸς (*b*), unus ναυτιώδης, alter ἀνέμετος (*c*). Ita enim scribit, *bifariam ægri sunt* ἀσώδεις (*d*), *uno modo quum virtus a corpore gravatur, nullamque figuram retinent ægri; alio modo quum os ventriculi a pravis mordetur humoribus. Priores perniciose afficiuntur, posteriores sunt nauseabundi.* Et plenius *in Progn.* περὶ ῥιπτασμοῦ καὶ ἄλυος (*e*): ἀλύουσι ægri, id est *jactant sese & priorem corporis figuram non retinent, sed subinde immutant, aut ob ventriculi* κάκωσιν, affectionem malam significat, *aut ob virium debilitatem*, ut corpus ipsum ægro & naturæ sit oneri. Quod est intelligendum, *nisi æger mollior & delicatior sit, ut qui minima re offendatur, & doloris insolens jactetur.* Ideo in fine dixit, vide an æger sit numerandus inter homines leves, qui facile remittunt ac concedunt, & vinci se patiuntur etiam re levi. Leonicenus male illum locum interpretatus est. Ad duas illas causas, aut signa τοῦ ἀλυσμοῦ (*f*), nempe oris ventriculi ab acri humore demorsi, & ἀῤῥωστίαν (*g*) malignam qualitatem accensebis. Immo, virium infirmitas istius ἄλυος (*h*) non videtur causa, quum sæpe post magnas evacuationes multos videas valde imbecillos, qui quiescant, nec subinde mutentur. Itaque aliqua latens causa, ut venenata qualitas esse videtur, quæ homines jactari, & conflictari (quod Græce δυσφορεῖν dicitur) faciat, & proinde infirmitatem afferat,

Ad part. 44. lib. 2. Prorrh.

Ad part. 16. lib. 1.

(*y*) De lassitudine & febre laboriosa.
(*z*) Ossa frangens.
(*a*) Sine vomitu.
(*b*) Fastidium sive inquietudo.
(*c*) Unus cum vomitu, alter sine vomitu.
(*d*) Fastidiosi.
(*e*) De inquetudine & jactatione.
(*f*) Jactationis.
(*g*) Ægrotationem.
(*h*) Inquietudinis.

rat, unde major occasio inquietudinis. Sed assignare jactationis causam infirmitatem virium (pace Hippocratis dicam) non est æquum. In pestilentibus febribus, & in grumo sanguinis ῥιπτασμὸν (*i*) videmus, a maligna qualitate vires labefaciente, & spiritus dissipante. Sed de his alias.

ἄσφυγμος (*k*).

Mos & ingenium febrium id temporis vagantium erat admirabile & stupendum: nam quum febris exacerbationes in noctem inciderent, necnon vacuitas somni adesset, sub auroram, præsertim diebus contemplabilibus ἀσφυξία (*l*), & veluti pulsus intercalaris, & qualis morientium esse solet, observabatur: quod ego verum esse affero. Adeo ichor aut humor qui febrem faciebat erat efferus & ἄπεπτος (*m*), & quem natura fere aggredi non audebat. Talis seri dominatum videtur expressisse *initio lib.* 2. *Epid.* Et historiam morborum eo tempore vagantium aperte *in nostris Epid.* explicuimus (2).

Ad nonum diem corpus veluti puncticulis pulicum morsus referentibus est maculatum.

Ceteris omnibus omissis, quod explicatio *ex nostris Epidemiis* eruenda sit, in explicatione istarum puncticularum operam impendemus. Video enim eruptionem istam sæpe Medicos terrere, ut nil audeant tentare, sæpe audacius aliquid facere, unde periculum ægris creatur. Itaque quantum ex veterum & recentiorum scriptis venari poterimus, in hunc locum concludemus.

In febribus totum corpus aliquando maculatur & inficitur, aliquando tantum pars una. Item quæ in cutim erumpunt aliquando ut abscessus sunt, aliquando ut morbi: quod valde notandum est. In parte corporis erumpunt pustulæ quædam ut epinyctides, therminthi, &c. id genus: Aliquando & in parte corporis maculas morbillos referentes efflorescere vidimus, prout una pars magis laborat, quam alia; in totum corpus emergunt pustulæ, aut papulæ (nunc enim nomina confundamus donec distinctionis locus erit) sive exanthemata, item ecthymata, puncticulæ, morbilli, variolæ, rubiolæ, & id genus cetera, de quibus hoc loco dicturi sumus. Nam eatenus de papulis & exanthematis dicendum nobis, quatenus præsertim in febribus apparent, vel ante febres (ut fit aliquando) & quæcumque febres adsunt, fere negotium dant Medicis; item quatenus hæ germinationes & eruptiones aliquid mali portendunt, sive cælitus id eveniat, sive a constitutione corporum, sive a loci quem incolimus gravitate (ita enim gravem locum vocat Celsus passim insalubrem) & infamia: nam numquam fere variolarum & exanthematon ilias est, quin aut jam cacoëthes febres vagentur, aut proxime futuræ sint. Ut non tam (pace Arabum dicam, nec enim veteris doctrinæ auctoritatem frangere consilium est) impuritas æstusque sanguinis menstrui non defæcati illud inferat, quam pestilens quædam cælitus expressa exhalatio. Nunc explicemus

(*i*) Inquietudinem.
(*k*) Sine pulsu.
(*l*) Pulsus carentia.
(*m*) Incoctilis.

plicemus quod voluerimus ante dicentes ex iis quæ in cutem erumpunt, alia morbi rationem habere, alia abſceſſus. In abſceſſuum numerum veniunt ea quæ vi morbi, aut naturæ emergunt & cutim contaminant, ut vitium ſolum cutaneum dicatur, quum corpus internum purum dicatur. Sic Simoni latæ puſtulæ & pruriginoſæ apparuerunt, quum cetera ſanus eſſet, ut Hippocrati & Galeno videtur: Et tuberculis apparentibus Hippocrates tutum eſſe ait alere, ſi dejectiones ſanorum ſimiles ſunt: quaſi velit virus morbi foras pelli, & viſcera minime eſſe impura. Eſt etiam ubi icterus criticus appareat, quum ſolum in vitium illud externum incumbere debeat Medicus, relicto corpore interno. Et Hippocrates clarius de his: *Impetigines & lepræ, quibus pueris aut juvenibus quippiam horum fuerit, & paullatim conſpectum in multo tempore augeſcit, tale ἐξάνθημα, id eſt, eruptio & effloreſcentia abſceſſus non eſt, ſed morbus: Si verò quid horum fiat multum & derepente, tunc abſceſſus nominetur.* Quæ ſententia quoniam maxime ad id quod hoc loco quærimus pertinet, eam volumus interpretari, ut hic demonſtrationes petantur: Lepra, impetigo & vitiligo (quæ morbus eſt totius ſubſtantiæ, & in qua alienatio eſt ſubſtantiæ partium ſolidarum Galeno) tribus modis apparent, vel ſunt tamquam morbi, vel tamquam abſceſſus vi morbi aut naturæ facti, vel inter utrumque ambigunt. Ut Socrates quum puer cutim puram nitidamque haberet, ſenſim illa mutari cœpit, defloreſcere, conſpurcari, immo malum augeſcit in dies, tunc non abſceſſus dicetur, ac ſi morboſam interni corporis affectionem ſequatur, ſed morbus dicetur, ut pote contracto malo per vitium totius ſubſtantiæ, & per corruptionem proprii alimenti. Et foris applicanda ſunt remedia, non ſunt interna valde fatiganda: nam morbi ὑσία (*n*) in partibus externis labefactis exſiſtit. Niſi forte quis objiciat Elephantiaſin morbum eſſe, & tamen quum effloreſcit in cute vitium, jam mali labem in partibus internis confirmatam eſſe: quod Aëtius ex Archigene confirmat. Nunc ad priora redeamus. Ergo ſi aliquid in cute appareat & effloreſcat (quod ἐξανθεῖν Græcis dicitur) idque confeſtim, Græce ἄλεις ἢ ἀθρόως, non morbus cutis, ſed abſceſſus dicetur: ut quum die critico, vel non critico aurigine & ictero cutis defœdatur: item quum vitio aliquo interno derepente abdomen intumeſcit, abſceſſus eſt. Sin ſenſim intumeat, ut in cute & partibus proximis ſeminarium fomentumque morbi appareat, morbus abdominis dicetur: quamquam forte interna culpa non vacent. Et dum quis concumbit cum impetiginoſo, & impetigo exarat & cutim exaſperat, morbus eſt cutaceus. Sed ſi derepente ab interno vitio latente emanet, id abſceſſus erit, non morbus: quamquam aliquando morbi rationem obtinet. Quædam vetula aſſidebat ægro peſtifero: & dum forte juſculum hauſtum revomeret, guttulis aliquot aſperſa eſt cutis. Et (quod mirum) pro guttarum numero carbunculorum numerus effloruit. Numquid id morbus fuit?

6. Epid. part. 30. ſect. 2. 2. Aphor.

2. lib. Prorrh.

Ad part. 17. lib. 2. Prorrh.

Objectio.

Cap. 120. ſermon. 1. Tetrab.

Itaque multa in cute apparent quæ an in morborum, an in abſceſſuum

(*n*) Subſtantia, eſſentia.

ſuum cenſu numeranda ſint, ſæpe dubitamus. Ut quum auſtrina conſtitutione & ſuffocante, ecthymata, aut morbilli emergunt, ſive in febre, ſive ante febrem. Nam ſæpe in febre ſynocho peſtilente vi morbi, quarto aut quinto die, & præſertim in ſtatu, erumpunt, febre nihilo remiſſiore aut fractiore, niſi fœda alvi illuvies ſequatur, aliquando ante febrem (ut nos vidimus) & tunc melius eſt cum ægris. Et dicendum, ne quis miretur, an talibus papulis corpus ſine febre inficiatur. Anno 1575. multas & mulieres, & pueros vidimus, quibus corpus veluti rubiola derepente infectum eſt, quum nulla adeſſet febris, nulla jactatio, nullum malum ſymptoma. Sed quum hoc negligerent, non impune tulerunt: nam non ita longe poſt febre correptæ ſunt mali moris. Si nobis fides derogatur, Hippocrates advocandus eſt: hic enim meminit cujuſdam pueri cui ſine febre exanthemata paruerunt: ſed aliquo poſt tempore convulſiones ſecutæ ſunt, & inde mors. Quod fieri videtur vi naturæ expellentis, quæ irritata virulentæ materiei qualitate, antequam febris excitetur, quovis modo ſeſe liberans in cutim aliquid eructat. Et tamen abſceſſus id dicetur, licet non ſequatur ad febrem: quoniam quod pertinet ad virulentas & malignas eruptiones; non ſolet obſervari criſis, nec dies, nec tempus, nec ſigna: quia quocumque modo id poteſt natura, id facit: adeo ingens eſt vis venenatæ materiæ. Declarant magnæ perturbationes, & horrenda ſymptomata quæ & præcedunt ecthymaton eruptiones, & ſequuntur. Jam concludamus aliquid, quod ad ſententiam Hippocratis ſupra adductam pertineat. Ut cutaneum vitium dicatur & morbus, tria quæruntur: primum ut jam a longo tempore primitiæ aliquæ illius affectionis apparuerint: deinde ut ejus increſcentis notæ in conſpectum ſe dent: denique ut progreſſu temporis ſuam abſolutionem acquirat. Contra ut abſceſſus id dicatur, tria omnino oppoſita quæruntur, ut nil olim paruerit, ut repente oriatur, ut multum fiat. Sed ſi in phthoe, aut hypoſarcidios, aut vitiligo appareat, dubium eſt an id ſit abſceſſus, an morbus. Sed quæſtio digna ponatur impetigo, aut papula (vulgo darta ἀπὸ τοῦ δέρειν (o) ſi morbus eſt cutaceus, ut cujus vitium tantum ſit in cute, unde ob malam diſpoſitionem partis impetiginoſæ in loco illo certo & circumſcripto corrumpatur alimentum, licet illud quod affluit bonum ſit & laudabile; quis metus eſt ſi topica curatione omnino tollatur? Si qui affluit humor fovens darten laudabilis erat, ſed partis tabo infectus, quid inde incommodi ſequetur, an quia diſpoſitio impetiginoſa de parte in partem migrabit? An quia impetigine externa exſtincta dabitur occaſio impetigini internæ quæ multo deterior futura eſt? Et tamen Medici methodici cautione magna exſtinguunt illa vitia cutanea. Unde Hippocrates narrat de quodam Athenienſi quem infeſtabat prurigo & ſpecies quædam lepræ: uſu aquarum αὐτοφυέων (p) liberatus eſt iſtis, ſed non longe poſt factus eſt hydropicus & interiit. Credo quoniam

7. Epid.

Hippocr. 1. Epid.

(o) Ab erodendo.

(p) Sponte naſcentium.

niam illius prurigo & lepra erat velut abſceſſus vi naturæ tentatus, ut virus internum ſuppreſſum deteriorem multo affectum intulerit.

Nunc autem ſerio ad illud accedamus quod nobis propoſitum eſt, nimirum ut de eruptione in totum corpus, & præſertim in febribus vel ante febres inquiramus. Primum nomina perſequemur, differentias, eſſentiam, & vires, tum quid portendant, explanabimus. Nil eſt tam vulgare quam nomen ἔκθυμα (q), morbillus, variola, papula, exanthema, purpura excretio, aut potius eruptio, puſtula & puncticula, quæ aliquando confunduntur; & revera de his promiſcue & indiſtincte nunc alia alios pronuntiaſſe paſſim video. Et affectibus ſumma corporis obſidentibus quidam in cute prominent, quidam excavant, alii commaculant: Prominent tumor, tuberculum, puſtula. Tumor eſt major tuberculo: puſtula autem & tumore & tuberculo minor eſt. Tumor, ut phlegmone, phygethlon, &c. Tuberculum ut carbunculus, furunculus, terminthus, &c. Puſtulæ, pſydracia, epinyctis, ecthymata, herpetes, ſcabies, prurigo, &c. Hæc ita definit Celſus, præſertim quod ad puſtulas attinet. Nam exanthemata puſtulas interpretatur, verba ſunt ejus: *Puſtularum plura genera ſunt. Nam modo circa totum corpus partemve aſpredo quædam fit, ſimilis iis puſtulis quæ ex urtica, vel ex ſudore naſcuntur*; ἐξανθήματα (r) *Græci vocant, eæque modo rubent, modo colorem cutis non excedunt.* Sic puſtulas vocat Celſus ἐξανθήματα, quamquam quidam legi volunt ἐκζέματα, id eſt, puſtulæ ardentes & fervidæ dolorem cientes citra ſaniem, quod ingens fervor omnem materiam abſumat; alio nomine apud Græcos ἐκβράσματα (s) nominantur. Conjectura autem ita exiſtimantium eſt quoniam paullo infra de papulis agit Celſus, quæ ἐκθύματα, & ἐξανθήματα (t) melius dicentur. Poſterior conjectura eſt quoniam facit mentionem de puſtulis exaſperantibus cutim, & fervidis, iis ſimilibus quæ ab urtica aut ſudore excitantur, & revera melius ἐκζέματα ἀπὸ τοῦ ζεῖν (u), id eſt a fervendo, quam ἀπὸ τοῦ ἐξανθεῖν ἐξανθήματα (x) dicentur. Quamquam contra opinionem ita credentium facit quod Celſus in capite de papulis tractet tantum de iis affectibus qui vulgo dartæ dicuntur. Duplicem enim facit papulam, unam leviorem, quæ benignior darta vocabitur, alteram deteriorem, quam papulam ἀγρίαν vocat, id eſt feram, vulgo *la male dartre, ou feu ſauvage*, dicitur. At neuter affectus proprie ἐξάνθημα dicetur. Sic per papulam non vertes nomen ἐξανθήματος. Quamquam affectum vulgo dictum rubiolam, papulam rubentem, a Plinio dictam Boan, vocant. Fernelius quum agit de papula, eam herpetis nomine exprimit, & duplicem facit ut Celſus. Sed revera aliud caput inſtituit Celſus de herpete (quem ſacrum ignem vocat), aliud de papulis, ut in iis magna nominum ſit confuſio. Gorræus & ἔκβρασμα, & ἔκθυμα, & ἐξάνθημα

Celſus c. 28. l. 5.

Cap. 4. lib. 7.

(q) Eruptio.
(r) Exanthemata.
(s) Puſtulæ in modum bullæ erumpentes.
(t) Eruptiones & exanthemata.
(u) Puſtulæ ardentes à fervendo.
(x) Ab efflorescendo efflores-

θημα (y) papulam vertit, quamquam ἔκζεμα, & ἔκβρασμα (z), pustula potius dici debeat, ut ante ex Celsi interpretum opinione docuimus. Sic video ἀδιαφόρως (a) nomen & papulæ & pustulæ tribui his affectionibus, ut minus hic hærendum videatur.

Nunc primum quod attinet ad ἐκθύματα καὶ ἐξανθήματα (b), horum nominum exiguum aut nullum discrimen est. Et ἐκθύματα papulas vertit Gorræus ἀπὸ τοῦ ἐκθύειν (c) dicta, id est, ἐξορμᾶν, impetu foras prodire. His nominibus insigniuntur illæ pustulæ, quæ in febribus synochis, iisdemque pestilentibus erumpunt variolæ vulgo dictæ, & morbilli. Quod autem tum toto corpore, tum in partibus quibusdam papulæ modo unius coloris, modo diversi, modo lividæ, modo nigræ, aut purpureæ, aut albescentes appareant, illud humorum dominatum sequitur. Et quum non in febribus intermittentibus (nisi raro, nam & in tertianis quasdam eruptiones & pustulas toto corpore vidimus, sed erant ab incendio & fervore sanguinis potius) sed in continuis, non omnibus tamen, sed si quid aut cacoëthes sit, aut θεῖον (d), ideo suspectas habent febres quas comitantur tales pustulæ. Si in intermittentibus, aut in continuis non malignis apparent, illud ardorem æstumque sequitur potius, aut prætermissam phlebotomiam, præsertim in sanguineis: ut de muliere quadam annotavimus *in lib.* 1. *Epid. meorum.* De nominibus hactenus.

Quod ad differentias tum communes, tum proprias attinet, albicant quædam exanthemata, ut quæ a pituita, alia rubent magis, ut quæ a copia sunt, & sanguinis ob dominatum fiunt: morbilli ejus fere sunt generis: alia biliosa ut variolæ, quæ & mixtionem bilis & pituitæ sequuntur; quædam livent, alia nigricant, ut quæ ab incendio ortum ducunt, aut externa aliqua, eaque insigni putredine, & cacochymiæ accepta feruntur. Quædam ante febrem, ut ante monuimus, apparent, quædam in febre, eaque aut die critico, aut octavo, aliquando sub finem morbi, & post mortem, vulgus purpuram vocat; quod & exstinctionis caloris nativi, & extremæ corruptionis talis eruptio soboles exsistat. Omnino autem suspecta sunt in febribus continuis, quum cælum malignum est, aut processit diæta vitiosa, & quum eorum ilias est, tunc enim morbus est popularis, & is suspectus. Præterea signa adsunt pathognomonica, & assidentia, quæ haud bonis & eruditis Medicis imponunt. Quamquam omnium fere morborum principia fere ob similitudinem experientissimos Medicos fugiant.

Ac primum historiæ aliquæ ex Hippocrate afferendæ veniunt ut quid de his sentiat audiamus. Hippocrates *in Historia de Sileno* ita loquitur: *Octavo*, ait, *papulæ cum sudore rubentes, rotundæ, parvæ, varis similes* (*Græce* οἷον ἰόνθοι) *permanebant, abscessum non faciebant, Græce* οὐκ ἀφίσαντο 16. Mirum cur dicat, abscessum non faciebant. Sed Galenus ita interpretatur.

Hist. 2. *sect.* 3. *l.* 1. *Epid.*

(y) Ebullitionem, & eruptionem, & exanthema.

(z) Pustulæ ardentes, & eruptiones in modum bullæ erumpentes.

(a) Indistinctè.

(b) Eruptiones & exanthemata.

(c) Ab erumpendo.

(d) Divinum, mali moris, mortiferum.

pretatur. *Quum æger robore suo septimum diem superasset (nam vi morbi erat ei eo die occumbendum) octavo papulas, Græce ἐξανθήματα, habuit, rotundas, parvas; natura ejus morbo repugnante & pravorum humorum superfluitatem ad cutim pellente; idque causæ fuit cur non nono, sed undecimo obierit: nam si nil tale die octavo accidisset, nono interiisset*: Papulæ enim illæ erant judicatoriæ, non judicantes. Et *tertio Epid.* quum narrat constitutionem anni qui totus austrinus fuerat, pluvius & lenis, innumeros morbos recenset, immo & pestilentes, & innumeras in pudendis, & aliis partibus putredines, tandem ait, *Carbunculi æstate multi, & alia quæ putredo vocatur*, nam ut *in Comm.* Galenus annotat, Etesiæ non perflabant, ideo erat velut constitutio πνιγώδης (*e*): Et addit, *Papulæ item magnæ*, Græce *μεγάλα ἐκθύματα*. Et Galenus ait, *Illa ἐκθύματα constant superfluis humoribus; atque qualitatem etiam non injuria subsequuntur, quum tenues humores exulcerationem potius quam tumores creent.* Sed inter cetera locus est commemorabilis apud Galenum de eruptione exanthematon: *Qui per calidam siccamque intemperiem fiunt morbi, atrum crassumque sanguinem reddunt. Simile iis effecit longiore æstate longa pestilentia orta, nec paucis eorum qui servati sunt nigrorum excretio per ventrem contingit, maxime nono, undecimo, & septimo die. Et dejectorum plures fuerunt differentiæ: quædam ad atram bilem accedebant, alia mordacia non erant, alia fœdum odorem non habebant, quædam media consistentia erant. Et quibus hæc excretio per ventrem non fiebat, his totum corpus nigris exanthematis scatebat: aliis velut squamæ decidebant. Qui exactam atram bilem dejecerunt, omnes perierunt. Sed & alia quoque pluribus non febrientibus per cutim crassescentem & siccescentem oriri vidimus, utique natura melancholici humoris redundantiam extrudente, cujus generis est & elephas. Ubi autem simul cum febre quicquam tale fit, carbonem appellatum gignit melancholicus humor in cutim incumbens. Quod si citra febrem abscedat, quum sanguini admistus est, elephantem parit; quum solus impermixtusque, principio nigrum tumorem efficit, dein in cancrum desinit*: Plura addit Galenus eo loco hic de industria omissa.

Part. 50. sect. 3. l. 3. Epid.

Cap. 4. de atra bile.

Sed quoniam locus hic Galeni multa continet quorum explicatio plurimum lucis afferet iis quæ hoc loco a nobis proposita sunt, epitome quadam nonnulla explicabimus. Primum est de excretione nigrorum humorum per ventrem, & de eruptione exanthematon quæ pro excretione per alvum succedanea fuerunt: id est, quibus venter non fluxit, iis paruerunt exanthemata: horum & demonstratio petenda *ex Aphorismis* quum ait Hippocrates: *Dejectiones sponte venientes, qualis sanguis niger, sive cum febre, sive sine febre, malum. In Comm.* Galenus videtur adducere exemplum illius pestiferæ constitutionis, cujus *lib. de atra bile* meminit: Ait enim: *Plurimas tales dejectiones vidimus in hoc morbo pestilenti & longo, non in iis solum qui exitio erant proximi, quam in salvandis: non tamen vel in principio, vel in augmento apparebant: tunc enim erant rufa & fulva colliquamenta. Quæ posterius apparebant, nigra erant, velut sanguinis fæx, sive*

Aphor. 21. lib. 4.

(*e*) Veluti suffocativa, æstum pleniorem & velati suffocantem inducens.

ve ipso superassato generationem habuissent, sive extraneam corruptionem accepissent, iis quæ in ventriculo fiunt cruditatibus proportionabiliter, quum ad vitiosos humores corruptio terminarit. Quare initio numquam tales dejectiones bonum sunt, magnam visceris læsionem indicantes; ad morbos vero consistentes sequuntur sæpius, natura superfluitates expurgante. Et paullo post: *Sponte venientes tales dejectiones multarum & malarum in corpore dispositionum signa sunt.* Propterea quum meminit hoc in loco dejectionum nigrarum, ait eas apparuisse, nono, septimove die, ut vis naturæ crisin molientis apparuerit, non perennis generatio. Quod declarat participium illud τὰ ἰόντα (*f*), ut *in nostris Definition. Medicis* aperuimus. Ergo quum tempus valde siccum & squalens fuerit, non mirum si assati fuerint humores & denigrati. Quamquam talem nigritiem bifariam accidere *in Com. 4. lib. Aphorism.* per quamdam nimirum assationem, & per corruptionem propriæ substantiæ: quod notandum. Atque mirum esse debet quomodo etiam febricitantes in pestilenti statu & nigra dejectio, & exanthemata nigra supplentia dejectionem multos a morte vindicaverint, quum alio in loco scribat eos maxime in pestilenti constitutione interiisse quibus alvus fluida fuerit: *Alvus biliosa, pinguis, tenuis, aquosa; morbus multis eo erupit & cum febre, & sine febre; tormina cum doloribus; multorum quæ in corpore supprimebantur, exitus; quæ exibant dolores non solvebant, multæ corporis partes erant affectæ. Oblata ægre admittebant: purgationes multos offendebant; quorum qui sic habebant, cito multi peribant; multis malum producebatur.* Deinde subjicit, *unoque verbo; qui longis morbis vel acutis tenebantur, ventris vitio omnes præcipue mortui sunt: Cunctos namque venter sustulit.* Et Galenus idem ait: Et pestis hæc quæ nostra ætate longissima fuit, ex his quæ per alvum vacuabantur, omnes pæne peremit. Hinc vides excretionem per alvum in pestilentibus venenatisque febribus auxilio fuisse, alias letalem fuisse. At dices, quum in illo statu alvi laxitas omnes pæne peremit, erat ob colliquationem, quæ omnis perniciosa est. Verum quidem illud, sed *in citata ex 4. Aphor. sententia* in iis qui etiam salvabantur primis diebus rufa & flava ab alvo colliquamenta fluebant. Solutio hujus dubitationis duplex est. Prior est, omnium morborum pestilentium non est eadem idea, non eadem forma, non idem solutionis modus. Sic a nostris est observatum alias phlebotomiam profuisse, alias omnes periisse quibus secta fuerit vena: quod & de alvi fluxilitate dici potest; quum alias auxilio sit, alias perniciei. Vel dicemus in peste eruptionem exanthematon, & nigras dejectiones profuisse tum *lib. de atra bile*, tum *quarto Aphor.* quod vi naturæ fierent, & die critico, & non tam esset generatio perennis, quam quædam suppressio, sine insigni vitio partium principum & naturalium præsertim: aderat tantum squalor & æstus multus qui extorret, & assat, sed aliquando non accersit putredinem insignem. Sed *in tertio Epid.* putredinum insignium multi insignes effectus narrantur: item excretiones erant potius symptomaticæ: præterea partes

Part 55. 56. & 57. lib. 3. Ep. sect. 3.

(*f*) Exeuntia, erumpentia.

partes naturales valde affectæ erant, & ſic perennitas generationis erat. Propterea addit Hippocrates: *quod valde notandum*, nam in hoc difficultas vertitur:

Multæque erant corporis partes affectæ.

Secundum illud quod *in contextu lib. de atra bile* notandum erat, eſt, quod exanthemata nigra dicat erupiſſe iis quibus alvus non fluxerit: quod hercle mirum eſt. Natura enim quovis ſeſe modo liberat iis quæ ei moleſta ſunt. Sed quum varias differentias dejectionum ſtatuat, cur non exanthematon tot facit? Sane credibile eſt aduſtionem omnibus eumdem aërem calidum & ſqualidum ſpirantibus contigiſſe; at quum peculiaris putredo non eſt, ſed pro corporum natura variat, alias longe ratio eſt. Et non omittam quod ſcribit Galenus: *Quum aliis, in peſtilenti eo ſtatu alius abundaret ſuccus, a ſtatu aëris hunc auxit, tandem putredine excipiente, putrefactio pro humorum collectorum differentia variabat.* Quo ex loco patet aëris ſtatum augere humorem: quod non tam credibile, quam ſi dicamus aëris impuri ſtatum proprietatem potius putredinis & qualitatem inducere, quam augere (7). Quod ſi auctio & cumulus humoris major fiet, id ab aëre fit ſecundario tantum, nempe quia per contagionem quidam humor infectus & alteratus alium affinem & contiguum afficit. Quamquam ut tempeſtas aliqua dicitur procreatrix, ita & conſervatrix eſſe ſolet.

Comm. ad part. 55. ſect. 3. lib. 3. Epid.

Tertium notandum *in textu lib. de atra bile.* Non febricitantibus multis, ait, talia exanthemata apparebant, ex purgantis naturæ vi: Id eſt, cæli inclementia ſuccreverat talis humor, cujus natura quum non eſſet potens ad evincendum, ad excludendum valuit: itaque in cutim refudit. Atque ex hoc loco unam diſtinctionem exanthematon eliciemus: alia cum febre apparent, alia ſine febre; ſi cum febre, ſi die critico, bonum, ſi modo abſceſſus ſit par morbo: alia ſine febre, illaque aut ſequuntur peculiare temperamentum hominis, aut conditionem temporis: temperamentum aut totius corporis, aut partis: totius corporis, ut ſi totum corpus ſit atrabilarium; dum enim defæcantur humores, terminthi, aut conſimiles papulæ apparere poſſunt; aut partis, ut ſi quis ſit ſplenicus. Quod pluribus demonſtraremus niſi jam ante hoc in libro docuiſſemus qui fiat ut in quibuſdam eruptiones fiant in cutim aliæ atque aliæ pro natura aut partis alicujus in iis, aut totius corporis: temperamentum explicavimus. Reſtat de natura temporis. Ergo ſi tempeſtas aliqua ſit acervatrix alicujus humoris, mox febres ab eo humore deteriore facto & putrefacto, mox ſine febribus eruptiones exſiſtunt. Sic quum talis eruptio apparet, non ſtatim de malignitate vereri oportet, niſi adſit febris & comitentur ſymptomata ἀξιόλογα (g). Tertia eſt quænam ratio ejuſmodi eruptionis? Vidimus enim quaſdam mulieres quibus ſtatis temporibus papulæ veluti nigricantes apparent, mox in toto corpore, mox in parte aliqua. Et in noſtra vicinia cui corpus ſqualido & ſicco videtur eſſe temperamento, quæ olim ab equo decuſſa pro mortua relicta eſt, & per os, nares, & ſimiles partes ſanguinem rejectavit, huic eæ papulæ cum pru-

(g) Effatu digna.

ritu apparent ſine damno ullo. Dubitamus an id peculiari temperamento tribui debeat, an quod junior vidua facta ſit, an decuſſus ab equo cauſa ſit, ut interna quædam ſugillationis relinquantur veſtigia. Aliam vidimus cui quum ulcus in tibia olim fuerit, ab eo eſt liberata: ſed certis temporibus, in tibia olim affecta apparent exanthemata pruriginoſa, veteris ulceris memoriam renovantia. Idem in multis obſervavimus quibus vel fracta pars, vel ulcerata olim fuerit, vel contuſa, vel ſimiliter affecta. Hujus rei rationem inquirendam relinquimus iis qui arcana naturæ majore otio ſcrutantur. Multis item mulieribus non menſtruis erumpunt exanthemata, & ἀσινέως (*h*) evaneſcunt. Iſta perſequemur clarius ſub finem hujus tractatus.

Quartum notandum *in textu libri de atra bile* eſt de varietate affectuum a ſucco melancholico naſcentium: ubi duo animadvertenda: prius de carbunculo quem non ſine febre naſci ait: cui repugnant Celſus & Ægineta. Et hercle multis ſine febre naſcuntur carbunculi. Intelligi volunt cum febre naſci, præſertim ſi occupent partes nervoſas; præterea non ſtatim dum apparent, mox febris adeſt, ſed in incremento. Poſterius eſt de mixtione humoris melancholici: Ait enim aut miſceri cum ſanguine, aut non miſceri. Si cum ſanguine miſcetur, aut cum febre, aut ſine. Si cum febre, peſſimum morbum inducet; ſi ſine febre, elephantem. Si non miſcetur, ſed ſecernitur, tumores facit, qui ſcirrhi initio appellati, in cancros degenerant. Sic quæres hoc loco, an ut fiat elephas neceſſe ſit ſanguinem ab atrabilario humore mixto infici, quum elephas videatur eſſe morbus cutaceus, & multis elephanticus ſanguis detrahatur ſanguini fere ſanorum ſimillimus.

Sed hæc ad explicationem contextus Galeni adducta ſint; nunc perſequendo diſputationis filum ex Galeno etiam adducere oportet, & ex Hippocrate alias hiſtorias ſi quæ reſtant. Hippocrates quum conſtitutionem temporis ſiccam & ſqualidam narrat, inter cetera ſcribit: *Fiebant autem in febribus æſtivis circa ſeptimam, octavam, & nonam diem in cute aſpritudines miliaceæ, Græce* πηχίσματα κεγχρώδεα, *culicum morſibus ſimiles, non valde pruriginoſæ. Hæ perſeverabant ad judicationem. Nulli maſculo tales erupiſſe vidi, nulla autem mulier mortua eſt cui hæ fiebant.* Qui locus notandus eſt. Et hercle tales maculæ, & velut papulæ non declarabant malignitatem, ſed ferventem quemdam & veluti ſcintillantem ſanguinem per ſqualorem æſtatis. Et quum mulierum corpus denſum ſit, id quod per inſenſilem tranſpiratum effluere debebat, manifeſta ſui veſtigia in cute relinquebat. Sic temere de hujuſmodi efflorescentiis non eſt pronuntiandum. Nunc de puncticulis (quoniam ad κωνώπων, id eſt, culicum morſus accedunt) diſſeramus. Langius accuratus ſcriptor ita de quadam febre, vulgo dicta lenticula, ſcribit: *Tradit Fracaſtorius anno* 1528. *febrem contagioſam, malignam potius quam peſtiferam, in Italia paruiſſe, quæ ex Cypro migraſſet: hanc puncticulam & lenticulam appellabant, quod maculis,*

1. Epid. ſect. 3

Epid. 15. lib. 1.

(*h*) Innoxiè.

lis, lenticulis aut pulicum puncturis similibus scateret. Ac verum quidem quosdam morbos exsolescere, alios novari, idque ob varietatem locorum & temporum, sed negandum est novos oriri, quorum vestigia numquam apparuerint. Immo & ipsa febris lenticula dicta, id docet quæ olim grassata est. Declarat Aëtius dum ait: Gignuntur exanthemata principio febrium non simplicium sed malignarum, Græce κακοχυμοτέρων, *sparsim per totum corpus vibices, Græce* μώλωπες, *aut maculæ culicum morsibus similes. Valeant igitur qui innumera morborum multitudine vallati novos excogitant morbos.* Sed Langio non erat exquirenda Aëtii auctoritas quam Fracastorio opponeret, quum idipsum ex antiquo magistro Hippocrate depromserimus.

Quod postremo loco propositum erat persequamur, de viribus nimirum & signis eorum quæ in corpore efflorescunt, sive in una tantum parte, sive in toto corpore fiat ἐξάνθημα (*i*). Quamquam maxima ex parte dum promiscue rem tractaremus satisfactum est, tamen peculiari magis tractatu id est discutiendum. Demonstravimus jam bis aliquid varie efflorescere, seu in parte aliqua, seu in toto corpore, aliquando ratione peculiaris affectionis corporis, aliquando peculiaris dispositionis, aut pulmonis, aut splenis, aut hepatis: sive macula sit simplex, sive papula, sive pustula, aut aliquid consimile. Plerosque videas hepaticos exanthemata in facie manifesta habere, lienosos vero multiplici tuberculo infici, mox terminthis, mox aliis carbunculos referentibus. Pulmonicis & phthisicis rubor genarum continuus, aliis πομφοὶ (*k*), aliis circuli in tibiis, ut in iis quibus convelluntur pulmonis articuli. Atque idem est judicium de punctículis, exanthematis, maculis pulicum morsibus similibus aut miliaribus, sive cum febre, sive sine febre appareant, sive in tempore pluvio & austrino, sive in aquilonio appareant, sive morbus sit popularis sive non, aut ἐπιδήμιος (*l*) ratione cœli, aut ἐνδήμιος (*m*) ratione diætæ, aut soli ipsius vitio. Quum enim tenella corpora puerorum & majusculorum in febribus, rubiolis, aut variolis inficiuntur, proserpit ad alios malum, & simili tabo alii facile inficiuntur: ut ea ratione non tam ad reliquias sanguinis materni impurioris hæc tabes sit referenda, quam ad cæli & aëris morbum. Declarat facilis per contagionem ad alios traductio, & quod certis tantum temporibus tanta exanthematon & ecthymaton ilias est, præsertim in febribus continuis & malignis, quarum urinæ sunt plane laudabiles, ut in certis urbibus pauci hujus morbi vim evadant. Quibus pauca apparuerunt, ii sæpe pereunt, recondito intus veneno: quibus plura, cum iis male agitur. Et reliquiæ horum sæpe sunt crudelissimæ; immo nos ipsi vidimus (quod *in nostris Epidemiis* observatum est) successisse ulcera telephia, & quæ non minora minusque mala essent quam quæ impura lues Venerea infligit: quod & annotat Paræus. Multo plura liceret ex Fernelio desumere dum docet exanthemata & ecthymata pestem

Hippoc. lib. 2. de morbis.

1. Cap. libelli de puerorum papulis.

(*i*) Exanthema.
(*k*) Bullæ.
(*l*) Epidemicus.
(*m*) Endemius.

Lib. 2. de abditis rerum causis. ſtem ſæpe tamquam παραπύμφυς (*n*) præcedere, & in iis aliquid cælitus impreſſum eſſe, non ex reliquiis ſanguinis menſtrui eſſe, ſed neceſſario a cæli morbo id pendere.

At ſi quibus ea fere exanthemata apparent, quæ in aliis morbis malignis viſuntur, non propterea terreri oportet: quum mille modis efflorescere *In Coacis.* poſſint: Hippocrates ita ſcribit: *Quibus ſalſuginoſa ſputa & tuſſis ſupprimitur, iis corpus a puſtulis rubeſcit.* Et in Prorrhetico: *Mulieribus quidem in capitis doloribus alia quidem fiunt quæ & viris, verum punctura prurigi-* *Lib. 2. Prorrh.* *4. Epid.* *noſæ, & affectiones atrabilariæ mulieribus minus quam viris, ſi non menſes penitus aboliti fuerint.* Et alio loco: *Puſtulæ ex laboribus non valde fortibus perveniunt ad ſeptimam, aliquantulum lividæ*; φλυκταίνας vocat eas puſtulas. *7. Epidemiorum.* Et *in Aphor.* vere exanthemata ulceroſa ait in cute apparere. Et *in Epid. Timonactis filio ferme bimeſtri exanthemata in cruribus, coxis & lumbis, & imo ventre, & tumores valde rubicundi* (8): *his ſedatis convulſiones & comitiales fiebant, ſine febribus multis diebus, & mortuus eſt.* Et inter ceteros locus eſt inſignis apud eumdem de quodam Andrea acute febricitanti. *Hip. 7. Epid.* Inſignis ardor & aduſtio: *circa 25 diem puſtulæ per totum corpus prurigi-noſæ, calidæ, veluti igne ambuſtæ*, Græce ἐξανθήματα πυρίκαυστα, convaluit. Credibile eſt tales puſtulas non fuiſſe malignas, ſed ſequi & humorum aduſtionem & febris incendium. Et *in Coacis*: *Quibus in febribus continuis puſtulæ per totum corpus erumpunt, letale, ſi non purulentus abſceſſus fiat, maxime autem circa aurem his fieri ſolet.* Et alio loco, *Euphranoris filio puſtulæ velut culicum morſus apparuerunt, verum modico tempore, poſtridie* *In Coac.* *febricitavit.* Et *in Coacis*: *Puſtulæ ſerpiginoſæ ſupra inguina, ad laterum mollitudinem, & pubem orientes, alvum male affectam ſignificant.* Et de tabidis: *Puſtularum eruptiones velut ferro lancinatæ, habitus tabem ſignificant.* Item, *Circum oculos puſtularum eruptiones in virium refectionibus, alvum humectant.* Nos vidimus mulierem quæ ex eo certo colligit ſe concepiſſe quum exanthemata apparent in corpore. Atque hæc exanthemata in toto corpore, aut maxima ex parte apparebant. Sed alii ſunt loci in *Lib. de vuln. ca.* quibus Hippocrates obſervat eruptionem puſtularum: ut in morientibus præ vulnere capitis puſtulæ in lingua apparent: mulieri anginoſæ, quum convulſa interiiſſet, ſexta die ſignum circa manum ſublividum apparuit. *Ad finem 5. Epid.* Denique ſi in febribus aut continuis, aut intermittentibus ſectio venæ differatur, & ſerum redundat, quum illud impenſe calefactum eſt, & refrigerium deſiderat, tum in vaſis fervens puſtulas & exanthemata excitat.

(9) Sed exanthemata, & rubiolæ, & morbilli præſertim quum ſunt venenati, horrenda adferunt ſymptomata. Febris adeſt aſſidua, nunc ad manum mitis, nunc acerrima & adurens, vocis raucedo, oculorum aliquando caligines, & mox ardor eorumdem, corporis totius deflagratio, jactationes, laſſitudo ὀστοκόπος, ἀλυσμὸς (*o*) uterque, membrorum veluti quaſſatio & confractio; aliquando faucium exulcerationes, ac veluti anginæ metus, propenſio in ſomnum, ſed eum turbulentum, oculi lacrymabundi

(*n*) Prodromos. (*o*) Oſſa frangens, inquietudo.

mabundi & lucem refugientes, inappetentia ſumma, multorum & variorum vomitiones, alvi adſtrictio aliquando, aliquando fœda illuvies, corporis pruritus, & veluti acicularum puncturæ, tuſſis: & prout venenum magis has aut illas partes appetit, ita varia excitat in variis partibus ſymptomata. Vidimus qui quererentur de ſcapulis & dorſo, ac ſi ruptio compagis ipſius ſpinæ eſſet, & velut membranarum ἀπόσπασμα (p), & velut ἀνεύρυσμα (q) membranarum. Obſervarunt enim quidam eodem modo dilatationem in membranis contingere, & tendinibus, quo in arteriis: ut in arteriis proprie aneuryſma dicatur, in venis σπαδὼν & κίρσος (r), in membranis ὑμενεύρυσμα (s), ſic enim liceat verbum confingere ἀπὸ τοῦ εὐρύνειν τὰς ὑμένας (t). Niſi forte veteres, qui aſſerunt membranarum & nervorum diſtenſiones & divulſiones eſſe aliquas, & ἀνευρύσματος (u) nomine includi, deceperit vocum Græcarum ignorantia: vertunt enim nomen ἀνεύρυσμα, enervationem, quod nomen ducatur ἀπὸ τοῦ νεύρου (x), quum contra ſumatur ἀπὸ τοῦ εὐρύνειν, id eſt, aperire, dilatare: quod arteria dilatetur. Sed ſit ita, relicto verborum aucupio, quemadmodum venæ, vel vi congeſtionis dilatantur, unde κίρσος (y) dicitur, quem κίρσον in venis pulmonum fieri Hippocrates *libris de morbis* ſcribit, vel per venenati flatus repentinum affluxum, item arteriæ, vel congeſto ſanguine arterioſo, aut imprudenter arteria aperta, ita membranæ & nervi poſſunt aliquid pati quod venarum & arteriarum aneuryſmati proportione reſpondeat.

Ergo ut ad rem redeamus, exanthematon præſertim malignorum ſua ſunt pathognomonica: ea paullo ante expoſuimus: nec alienum erit huc adducere jam commemoratam hiſtoriam cujuſdam nomine Andreæ, cui 25. die morbi exanthemata πυρίκαυστα (z) apparuerunt: Et diebus præcedentibus hæc aderant: *os reſiccabatur*, *nullam potionem admittebat*, *multa injucunditas circa os erat*, *lingua ſicca*, *inarticulata*, *aſperitas efflorescebat* ὠχρόλευκος (zz), *vigil*, *anxius*, *exſolutus*, κεκλάσμενος *qitaſſatus & fractus*, & infinita alia, poſt quæ tandem puſtularum eruptio paruit. Et revera depingit vere ea omnia quæ erumpentibus puſtulis malignis apparere ſolent. 7. Epid.

Quod ad pulſum attinet, ille calori non eſt analogus: nam ſæpe frequens, parvus, nonnumquam intercalarem habet intermiſſionem. Atque hoc dicam: In rubiolis, & rubentibus puſtulis ubi potius quantitate res peccat quam qualitate, & ſanguinis fervor eſt, pulſus altus, magnus, plenus & frequens eſt, & tunc phlebotomiæ locus eſt. Sed quum vitium potius eſt in qualitate, demiſſus, languidiuſculus & frequentiſſimus eſt pulſus: quod notandum.

(10) Itaque

(p) Divulſio.
(q) Aneuryſma.
(r) Divulſio & varix.
(s) Membranarum aneuryſma, dilatatio.
(t) A dilatando membranas.
(u) Aneuryſmatis.
(x) A nervo.
(y) Varix.
(z) Igne ambuſta.
(zz) Pallidè albus, luteo albus.

(10) Itaque in ejusmodi eruptionibus cautos esse oportet. Si ante febrem appareant, continere se lecto oportet, ut εὐδιαφόρητον (*a*) fiat corpus, & nil movere, nisi forte blandum enema subjiciatur. Interea si qua urgent symptomata, ut vomitiones, tussis, & oculorum dolores, ea lenienda sunt. Bonum est dare id quod sudores provocet.

℞. *Scabiosæ, morsus, ana, man. j: radicis dictamni & foliorum ejus, ana, unc. j: lentium, pug. j: ficuum & passularum, ana, dr. ij: glycyrrhizæ, dr. jß: kermes, scr. j: seminis citrii, dr. j: radicis chinæ aut sarsæparillæ, unc. ß: radicis angelicæ, dr. j: fiat decoctio in aquæ melissæ & fluvialis, ana, quantum sufficit: (addes vinum album, si non adsit febris) in colatura dissolve, pulveris diamargariti frigidi, gran. iv: theriaces, scr. ß: sacchari parum: fiat potus.*

Valde confert sudorem provocare, ut malignæ qualitati humoris via pateat.

Si sub finem febris talia appareant, & satis legitima quantitate ut absceſſum faciant, theriacalis aqua remista aliis aquis cardiacis conferet. Si in vigore febrium, a calidioribus cavendum; sed si infra subsistat ea excretio, non alienum quoque erit cardiaca temperata dare, addito decocto chinæ (11).

Epithemata regioni cordis applicari possunt; non probo ad regionem hepatis, quod impediatur motus naturæ, & excretio materiæ virulentæ.

Quod ad sectionem venæ pertinet, innocue potest celebrari ante jam factam eruptionem. Nam quum apparet jam, nisi forte videas tantam esse plenitudinem, ut ea sibi quasi viam obstruens, & naturam premens, liberum exitum præpediat, non alienum erit venam tundere. Quum tamen malignitas summa est, & languida facultas vitalis, cum meditatione omnia agenda sunt. Annotavimus *in nostris Epidemiis*, in eadem familia liberos multos exanthemata passos, quibus quum nil tale expectaretur, data medicata potione ii melius habuere, & perfectius curati sunt, quam quibus dare medicamentum, ne excretio impediretur, religio fuit. Immo, dato medicamento (nisi forte validius fuerit) & aperta vena, eruptio citatur, & accersitur. Quidam primarius Medicus affirmat se sine ullo damno cuidam famulæ jam apparentibus pustulis larga copia venam aperuisse, sanguinemque plena manu detraxisse, quum suffocationis esset periculum. Cur non idem in ceteris factitari poterit, præsertim si quid sit quod urgeat? Pulsus id testabitur. Qui si parvus & frequens, cunctantius id fiet; si plenus, altus, & magnus, audacius: nec imbecillitate pulsus terreri oportet, si ea ab oppressione sit. Sæpe enim tanta est oppressio, & ob plenitudinem conculcatio, ut sese pulsus non explicet. Sed an imbecillitas pulsus sit per se, an ex eventu, proprium est prudentis Medici diligenter inquirere.

(*a*) Facilè evaporabile.

ANNO-

ANNOTATIONES.

1. *Tamen apud Hippocratem* 1. Prognoſt. πόνος ἀντὶ τοῦ ἀλγήματος καὶ ὀδυνῶς (*b*) *ſumitur.*

2. *Apud Hippocratem* 2. Epid. ſect. 3. *ita legitur*, fiebant in febribus circa 7. 8. & nonam τριχίσματα κεγχρώδεα (*c*) culicum morſibus maxime ſimiles; hæ perſeverabant ad criſin uſque: Nulli maſculo eruperunt: Nulla mulier obiit cui id contigerit. Et gravi auditu præditæ & ſoporoſæ erant. *Legatur locus totus quia præclare facit ad tractatum de exanthematis.*

3. *Quis enim dubitat quod non ſit aliquis morbus ipſius habitus corporis, non repetita a corpore interno origine?*

4. Ὑδρῶα (*d*) *Celſus puſtularum nomine comprehendit. Plinius vocat papulas ſudorum: Avicenna plantam noctis. Manard.* Ep. 2. lib. 7.

5. *Epiſt.* 2. *lib.* 7. *Manardus docet ſub nomine impetiginis & papulæ tractari eum affectum quem lichenem vocant: ita tamen ut papula ſit quid levius quam impetigo.*

6. οὐκ ἀφίσταται (*e*), *idem eſt quod alio loco*, ſect. 1. lib. 2. Epid. *dicit abſceſſus fieri ὑμιὸρόπως καὶ μὴ ἀναξίως τῆς περιβολῆς: Vide pag.* 117. 118: *Interpres vertit, non pro ratione excretionis aut morbi dignitate fit abſceſſus.*

7. *An aër potius qualitatem invehat, quam copiam augeat. Eſt enim illud animadvertendum qua ratione tempeſtas, & aëris conſtitutio humores & ſpiritus afficiat. De ſpiritibus quidem nemo ambigit, ſed de humoribus major dubitandi occaſio. Tamen hoc exiſtimo fieri bifariam, aut potius tribus modis: primum a parte, quia aliquis, ſed is paucus ſuccus ratione tempeſtatis gigni poteſt, præſertim ſi corpus ſuſcipiens aptum ſit, & paucus hic ſuccus alium auget, & veluti creat contagione quadam, quæ opinio Galeni eſt in hoc loco citato. Secundo modo afficiendo partes: nam Auſtrina tempeſtas nervos afficit & cerebrum, quæ affectio peculiarem ſucci generationem facit. Tertio, per modum impreſſionis: nam fit impreſſio caliginis, aut ſqualoris, aut ichoris, &c. & id eſt aliquid divinum eſſe. Potulenta quidem & eſculenta afficiunt corpora ut aër, ſed ea diſtinctio: nam aër promtius & facilius, alimenta longiore tempore; ſed impreſſio etiam contumacior.*

8. *Notandum quod talis eruptio fuerit ſine febre, & quod tam ſævi & peſtiferi affectus ſuppreſſionem fuerint conſecuti.*

9. *Sed & notandum quod obſervavimus in noſtris Adverſariis, nimirum puellis quibus* ἀξιολόγως (*f*) *non facta eſt excretio, dolores & tumores articulorum contingere pæne immedicabiles: nam materia iſta benigna non eſt, & prius fere oſſa alterat quam proviſum fuerit. Nil enim in fronte hoc malum portendit. Teſtis filiolus I. Puthomme Notarii, & Damiſellæ de Monmor filiola:*

(*b*) Labor loco doloris & affectionis doloroſæ.

(*c*) Aſperitudines miliaceæ.

(*d*) Sudamina.

(*e*) Non abſceſſus fieri.

(*f*) Notabilis, effatu digna.

liola: *item filius D. de la Terrasse. Quod & Ambrosius Paræus* in Tractatu de exanthematis *annotavit. Simile quid animadvertit Hippocrates* sectio. 3. lib. 3. Epid. particula 22. 23. & sequentibus, *loquens de constitutione quadam pestilenti in qua ignis sacer formidabilis in senes, præsertim in eorum capita, sæviret. Inter cetera adscripsit: Erat autem fluxio quæ collecta erat (Græce τὸ ῥεῦμα συνιστάμενον (g)) non puri assimilis, sed alia quæpiam putredo, ipsaque fluxio multa & varia. Et* in comm. *Galenus ait, a communi putredinis causa unumquodque putrescens, propriam & peculiarem putredinis speciem obtinet.*

10. *Ac tum maximè id est faciundum quum* φλυζάκια (*h*) *apparent, Gall.* comme des eschauboulures. *Aliquando enim simplex incendium & ardorem sanguinis declarant, aliquando aliud quid. Unde annotavimus aliquo loco observasse multos qui gravissime, immo letaliter ægrotaverint, quibus ineunte morbo talia eruperint.*

11. *Si exanthemata apparentia* κρίνοντα (*i*) *sunt, id est febris aliquam afferunt imminutionem, quiescere Medicos oportet. Si* κρίσιμα (*k*) *sunt & apparent* ἀναξίως τῆς περιβολῆς (*l*), *id est, non est digna excretio ea quæ fit ad circumferentiam corporis, quandoquidem natura* περιβάλλει, *id est, rejicit in habitum corporis, quod aliter dices moliri* τὴν περιβολὴν (*m*), *tunc naturam juvabis. Juvabis aut medicamento in cutim pellente, aut medicamento eccoprotico, aut phlebotomia. Si enim febris magna est, & non sese frangit, ac mitescit aliquantula ea excretione* καὶ τῇ περιβολῇ (*n*), *ad phlebotomiam veniundum est. Sed cave ne decipiaris quoad febrem. Nam aliquando augetur febris, sed id fit ratione suppurati materiei exanthemata facientis, aut ratione ipsius conatus, aut ratione impeditæ difflationis. Aliquando ita continua sunt exanthemata, ut videantur corpus incrustare, & tunc impeditur difflatio; & quod diximus tempore ipsius conatus febrem videri auctiorem, illud vulgo observatur etiam in sudoribus, pulsus enim elevatur, & citatur, natura velut sese ad munus commemorabile accingente. Et quod fit in sudoris excretione idem fit in exanthematis, ideo diligenter attendes ne decipiare. Item an fiat suppurati ratione: dum enim pus fit, dolor fit, & febris augetur. Porro ista formula loquendi, Abscessus sit* ἡμιῤῥόπως καὶ μὴ ἀναξίως τῆς περιβολῆς (*o*) *legitur* ad 2. Epid. sect. 1.

(*g*) Rheuma consistens.
(*h*) Pustulæ, papulæ ignitæ.
(*i*) Judicantia.
(*k*) Judicatoria.
(*l*) Pro dignitate morbi.
(*m*) Habitum corporis.
(*n*) Et habitu corporis.
(*o*) Semirepens & non pro dignitate morbi.

HISTORIA

HISTORIA SEXTA.

A Morrhæi Consulis pusio quadrimestris torminibus vexabatur, ut colligere erat: non longe post aphonos, oculos intorquebat, convellebatur. Mirum hoc, repente facies mutabatur, tamquam conantis aliquid excutere: deinde velut comprimebatur, tuncque occurrebat in os spuma, & spiritu veluti compresso diu, quasi ad se rediens, magnum spirabat, eorum more qui contentione animi aliquid intuentes spiritum cohibuere. Per totam noctem convellebatur tantum brachio sinistro, & illud convulsorio modo agitabatur. Deinde cessante hoc, idem brachium dextrum passum est. Et ex intervallis occurrebat spuma magna copia, & aphonos erat, & excreta spuma salivaque magna spiratio; tunc restituebatur. Epilepticum hoc fuit: provisum ventri: aliquid συγγενές (p).

COMMENTARIUS.

QUo tempore puellus iste ea passus est, dolores capitis multi grassabantur, & crudelissimæ hemicraniæ, & omne pæne genus morbi partes capitis exercebat: ut non sit mirum si in ista clade tenellum corpus pueri affectum fuerit. Aderant tormina, ut qui a ventre vapor efferretur, dolorem excitaret, & inde alia quæ sunt consecuta. (1) Sed quum cerebrum natura esset molle & delicatum, & ex eventu veluti cereum cranium molliculumque, non mirum si minima occasione perculsum fuerit. Procatarticum potuit esse a partibus inferioribus, deinde obfirmata sedes in capite ipso. Nam si venenata materia in cerebro coercita fuisset, credibile fuisset graviora symptomata sequi debuisse. Sed quum in ventre dolor ab humore acri, & æruginoso excitaretur, compatiendi lege facile cerebrum laborabat. Sic nos observavimus mollitudinem cranii & repletionem cerebri a multa aqua & humiditate excrementitia, maxima ex parte horum causam fuisse (2): nam nervi erant veluti impotentes, aquei, madefacti & effeminati, adeo ut epilepsia ista potius esset a copia humiditatis, quam a mala qualitate. Quod autem mirum fuit, est quod quum epilepsiæ magna forent argumenta, tamen alterutra tantum parte convelleretur. Sic non erat simplex convulsio, quod cerebrum oblæderetur, quod aphonia esset, quod spuma adesset, quod periodicum esset malum; nec omnino epilepsia, quod totum corpus non convelleretur, sed una pars post alteram, quum tamen nulla paralysis secuta sit. Quamquam *in primo Tomo Consiliorum nostrorum* annotavimus ex Hippocrate, epilepsiam definiri posse convulsionem a cerebro ortam, eamque circa tantum unam partem. Quis enim dubitat quominus prout humor

 convul-

(p) Cognatum est.

convulſionis auctor potius irrepit in eam, aut illam partem, a qua nervi divaricantur, ita in dextra aut in ſiniſtra parte convulſionem afferat? Sic iſtius puelli morbus velut ambigebat inter veram epilepſiam & convulſionem proprie dictam. Evaſit tamen, quod & alvus ſollicitata eſt blandis clyſmatis, & dolores torminoſi ſedati; ne exacerbati cerebrum percellerent, data theriaca quæ ſcaliſmum provocaret, ſuffitus ex maſtiche & olibano ad cerebri mollitudinem corrigendam (3): radix pœoniæ appenſa collo, quam fugare epilepſiam autumant: nec tantum tamen ei credamus, quin ad alia remedia confugeremus: nec enim facienda erat tanti eorum auctoritas qui de reconditiore radicis pœoniæ vi aliquid dixerunt, quam novorum remediorum inventione teneritudini ipſius puſionis providendum, quæ tanto morbo ferendo non eſſet.

ANNOTATIONES.

1. *Error in hoc maximus committitur in pueris, quod ſtatim ab uſu pultis & lactis nutrices eos dormire faciunt. Quid enim ad cruditatem generandam facilius? Hinc epilepſiæ & conſimilium morborum occaſio.*

2. *Caput & mollius & juſto craſſius habet: ut mirum non ſit ſi epilepſiæ obnoxius valde ſit, etiam ante* ὀδοντιασιν (q). *In ea enim familia non dentiunt ante decimum vel undecimum menſem: Ac verum illud Ariſtotelis* lib. de ſomno & vigilia: Quum ſupernarum partium magnitudo in prima ætate infernas excedat, non mirum ſi prima ætatula epilepſiæ obnoxia ſit.

3. *Circa ſilentium Lunæ Februarii idem malum repetiit fere auctius: & numquam tanta in pulſu mutatio obſervata eſt. Statim a paroxyſmo diffluebat multa ſaliva ab ore vi excernentis naturæ. Aëtius in ejuſmodi morbo pulverem ireos, aut cyperi capiti aſpergit, caput aut irino, aut anethino illinit: melle quoque ad litum utitur. Nec non delingendum mel dat, pœoniæ radicem appendit collo ut contingat ſtomachum.*

HISTORIA SEPTIMA.

LYſſæi Conſulis uxor ſeptimeſtrem fetum gerens tenaſmo tentatur, & fluxu velut dyſenterico (1): non multo poſt febris continua: triceſies de nocte deſidebat, ſed inanis erat conatus. De abortu metus fuit. Malum fovit maxime a regione hepatis colluvies humorum delabens. Rheobarbaro locus fuit: item & ſoli Caſſiæ. Varia clyſterum genera imperantur. Bis ſecatur vena, injectiones fiunt in rectum inteſtinum: omnique modo noctu diuque dolores leniuntur abortionis metu. Convaluit.

(q) Dentitionem.

COMMEN-

COMMENTARIUS.

IN *secundo libro nostrorum Epidemiorum* animadvertimus circa mensem Januarium maximam mulierum partem morbis affectam esse, immo & per totam hiemem, quum tamen præcessisset æstas & autumnus fere squalidus & siccus: immo per sex fere menses pluviarum carentia fuit. Citavimus ex Hippocrate exsistere aliquando tempora in quibus fere mulieres laborant: nam loquens de pustularum eruptione in squalloribus ait: *Nulli masculo tales erupisse vidi.* Et eo loco quæsitum, cur in squalloribus, & post squallores tanta morborum ilias, præsertim corpora muliebria afficeret: Deinde cur non potius viri, quum mulierum corpus frigidum & humidum in squalente statu, tamquam gavisurum modico contrariorum usu, melius habere posse videatur. Ubi notavimus ex sententia Hippocratis exsistere posse tempus in quo & mulieres, & juniores viri simul laborent: quod absurdum videtur, quum contrarium utrorumque sit temperamentum. Sed Galenus docet aliud esse laborare per generationem proprii humoris, aliud per suppressionem. In siccitatibus corpora juvenum propensiora sunt ad morbos quos serum malum parit, quia & ratione temporis, & sui proprii temperamenti talem humorum ichorem & serum generant: sed mulieres tales morbos incurrunt, quia corpus habent minime perspirans. Morbi autem occasionem dat non tam generatio ipsa, quam suppressio. Tempus enim ex se parens est sæpe mali seri: quod dum supprimitur ob difflatum prohibitum, tunc dicitur morbus generari per suppressionem: sed quum corpus est ipsum biliosum ad τὸ ποιητικὸν (*r*), accedit ἐπιδεκτικὸν (*rr*): ut corpus juvenum laboret utraque ratione, & ratione τοῦ ποιητικοῦ, & ἐπιδεκτικοῦ (*s*): mulierum vero potius ratione τοῦ ποιητικοῦ (*t*). Huc enim pertinet locus præclarus, quem jam ante expendimus, ubi Galenus ait disputans de squalida & pestilenti constitutione: Quum aliis atque aliis in pestilenti statu alius atque alius abundaret succus, a statu aëris hunc, supple succum, auxit; id est, & qualitas nova inducebatur, & substantia ipsius succi augebatur, producta ac promanante longius putredine, ab ipsius aëris morbo & vitio. Quamquam illo loco diximus id fieri κατὰ τὸ συμβεβηκός (*u*).

Sect. 3. lib. 2. Epid.

Sect. 2. lib. 2. Epid. part. 78.

Ad part. 55. sect. 3. lib. 3. Epid.

Ergo mirum fuit Medicis, cur eo statu potius mulierum genus morbis tentaretur. Sed unum notandum est: maxime eæ mulieres afficiebantur, quibus viscera calidiora sunt, ut ea ratione ad masculorum juniorum temperamentum accederent.

Quicumque tunc morbi vagabantur, a quodam indomito fero erant, ut jam dictum, de repente suum virus & ferociam exerente, alias in caput, unde incredibiles alterutrius partis dolores in capite vidimus cum lenta fe-

(*r*) Vim efficiendi.
(*rr*) Vis suscipiens.
(*s*) Principii efficientis & corporis suscipientis.
(*t*) Principii efficientis.
(*u*) Secundum accidens.

In Epid. bre, & pulſu inſigni in temporibus, quem Hippocrates πηδησμὸν τῶν φλεβῶν ἐν τοῖς κροτάφοις (x) vocat; in aliis ophthalmiæ ſiccæ; in aliis prurigines in aurium profundo moleſtæ; in aliis ventris inferioris diſpoſitiones inflammatoriæ falſo colicum dolorem referentes. Et maxime corripiebantur corpora δυσδιαφόρητα (y). Quod autem malignum foret id ſerum, declaravit ſubita morbi adorſio: nam citius dicto, & ita repente invadebant. Itaque illa ἐπισημασίη ἀθρόα (z) virus & ferociam deſignabat: ut aliis ex locis explicatum eſt.

TEXTUS. *Tenaſmo tentatur, & fluxu velut dyſenterico.*

De tenaſmo pluribus non dicam: ſolum afferam aliquam diviſionem. Alius dyſenteriæ comes eſt, alius anteſignanus: alius heres, alius nec ſequitur, nec præcedit, ſed ſequitur. Qui hanc mulierem affligebat, erat comes fluxus dyſenterici: cujus cauſa non tam erat ulcus inteſtini, quam cacochymia & ſeri mali copia, quæ dum pertranſiret inteſtina, eorum membranas offenderet, & ſua acrimonia deraderet: accedebat irritatio ſphincteris, & veluti ἐπιφλόγισμα (a), ut minima occaſione cogeretur ad deſidendum. Locus eſt præclarus apud Galenum ubi explicat quomodo inappetentia dyſenteriis eſt tamquam ἐπιγένημα (b), aliquando comes; Ita autem ſcribit: *Dyſenteriæ fiunt ex humoribus acribus. Primum ſumma occupantur, deinde profundiora, & ulcera mala fiunt: quo maxime tempore ventriculus offenſus lege ſympathiæ cibum faſtidit. Et tunc eſt velut* ἐπιγένημα, *& malum eſt ut ſignum, & ut cauſa.* Deinde ſubdit, *Fiunt quidem ab initio dyſenteriarum faſtidientes ægri ob malos ichores fluentes ab hepate, a quibus raduntur inteſtina, præſertim ſi amaræ bilis naturam habuerint. Nam ſuperfluitas horum ad ventriculum defertur.* Centies enim docuimus quemque humorem habere duas partes, tenuiorem, a qua in longinquioribus partibus excitantur varia ſymptomata, craſſiorem, a qua in parte cui inhæret ſurgunt alterius generis ſymptomata.

Ad Aphor. 3. lib. 6.

Febris.

Cap. 7. lib. 2. de compoſitione medica, ſecundum locos. Galenus ampliſſime loquens de hepate, & ejus affectionibus, docet vitio hepatis multos laborare diverſo modo. Nam alias ejus propria ſubſtantia afficitur, ut quum intemperies eam afficit, & proprium ejus parenchyma, & ex Eraſiſtrato Galenus aſſumit; alias venæ ipſæ quæ a gibbis ad ſima tendunt; alias materies, & colluvies circum partes eas multa eſt, unde morbi foventur: nam quum ea materia putreſcit, tum febris accerſitur putris. Et eodem loco fuſius explicat varietatem excrementorum, ſive venæ obturatæ fuerint, ſive hepar ipſum affectum ſit, ſive collectio ſit humorum: quæ omnia non explicabimus, quoniam in immenſum oratio proveheretur: ſufficit locum deſignaviſſe. In noſtra muliere corruptorum humorum cumulus erat, ut jam de hepatis propria affectione dubitaremus: ideo ſecta vena eſt bis. Mirum tamen quibuſdam videtur

(x) Pulſum inſignem, ſaltum venarum quæ ſunt in temporibus.

(y) Ægrè perſpirantia.

(z) Invaſio violenta & confertim erumpens.

(a) Incendium.

(b) Supergeneratio.

videtur quod fluente alvo vena aperiatur: nam vel id quod fluit ſymptomatice fluit, nimirum ob perennem generationem, aut laxitatem partium, aut facultatis retentricis imbecillitatem; vel acervatio erat humorum corruptorum, quam natura amolitur per fluxum alvi. Si prius, non eſt locus phlebotomiæ, ideo Hippocrates dicebat. *Si ſanguinem vis detrahere, ventrem confirma.* Si poſterius, naturæ totum munus ſinatur: nam ſic evacuatur febris cauſa (2). At ſæpe jam antequam natura ſponte alvum ſollicitet, aut copia ipſa materiæ ſibi viam fecerit, maſſa ſanguinis infecta erat diffuſo ſero, & tenuiori materia a craſſiori in imis corporum reſtagnante defecta, unde niſi perflaveris ſanguinis maſſam, major corruptio ſequatur. Morbi non cito fiunt, ſed ſenſim: & quum ſeſe proferunt, jam labes pervaſerat multas partes. Unde quibus primo morbi die ſanguis a natura alienus detractus eſt, an credibile eam corruptionem uno die contingere potuiſſe? Itaque ad evitandam febrem, aut ſi adſit, jugulandam, modo non ſit ſymptomatica, ſolum aperienda vena eſt. Dixi, modo non adſit ſymptomatica, quoniam ob vigilias, & inanes de ſurgendo conatus, & motum ipſius pravæ materiei, ſæpe incaleſcit corpus: at tali calori non debetur phlebotomia, ſed quies, & ſymptomaton remiſſio. Verum cum eſſentialis febris putredine diffuſa ac communicata vaſis, tam neceſſaria eſt phlebotomia, ut ſi ea prætermiſſa fuerit, grave ſit peccatum. Nec argutulus dicat male nos dixiſſe, non ſecandam venam ſi ſymptomatica febris. Nam, dicet, ſi inflammatio interna, quæ adeſt febris ſymptomatica eſt, numquid omittes phlebotomiam? At hoc loco febres revera exſiſtentes, ſive ob inflammationem, ſive ob putredinem, in cenſu verarum febrium habentur. Sed & notare oportet ad tollendam febrem ſi ea aliquid commemorabile habeat, plurimum conferre phlebotomiam præcautionis ergo. Nam ſi inſignis febris ob vigilias & motum tetræ materiæ ſurgat, quæ ad fluorem acceſſerit, metus eſt periculi. Adde quod febris ipſa corpus infirmat; & alimentum corrumpit, unde cacochymia accumulatur. Itaque cautos eſſe admodum Medicos oportet, ne temere phlebotomiam celebrent, aut imprudenter omittant. Atque huic noſtræ ægræ plurimum ea contulit. 4. Acuto.

Malum fovit illuvies humorum a cavis hepatis illabens.

Et allapſus affluxuſque humorum, & colluvies mediis inteſtinis ſparſa tamdiu malum fovit. Nemo enim dubitat, quin dum repurgat natura meſenterium, & cava hepatis, quicquid capitur alimenti corrumpatur, naturaque ſolum neſcio qua benigniore aura fruatur: contactu enim decurrentis a meſenterio materiei chylus a ventriculo defluens contaminatur. Sic nos credebamus non eſſe tam ipſa inteſtina læſa, quam partes ſuperiores aut læſas, aut colluvie plenas ac infectas. Sæpe enim figuratum & ſatis laudabile διαχώρημα (c), id eſt quod ſecedit, & tamen inteſtina ex ſe integra ſunt. Sicut non eſt neceſſe ut in excremento color aliquis ſit, ut inde ſignificetur bona diſpoſitio ventris inferioris. Verba Galeni hæc Cap. 11. lib. 1. Criſeon.

(c) Excretio.

hæc ſunt: *Hippocrates ne meminit quidem coloris excrementi, quoniam non magnam vim habet ad inferioris ventris diſpoſitionem bene judicandam. Nam quod id excrementum ſit bene concoctum, ſufficiunt hæc ſigna, molle, figuratum, &c. Fieri enim poteſt, ut venter circa proprium munus robuſtus ſit, ſed vel propter vehementem adjacentium partium caliditatem exſugatur, atque exſiccetur, quod bene coctum fuerit, aut propter diſtributionis imbecillitatem humidius quam oporteat, egeratur: & cetera.* Quod autem dixit colorem excrementi magnam vim non habere ad ventris inferioris diſpoſitionem ſignificandam, id forte mirum ſit. At color bonum vel malum ſignum eſt ex eventu: nam a cyſti maxime hic color pendet. Si ſaturatus bile ſit excrementi color, ejus nimietas pendet: ſin decolor & albicans, obſtructio ſignificatur. Ergo ut ventris inferi bona œconomia ſignificetur, nil color facit: modo enim coctio bona ſit, & ſubſtantiæ ratio qualis eſſe debet adſit, ſatis eſt: immo inteſtina, quæ inter partes ventris inferioris habentur, non coctionem juvant, ſed diſtributionem, ſi modo vera quæ *in libris de uſu partium* demonſtrantur.

Rheobarbaro, Caſſiæ, Clyſteribus fuit locus.

Remediis multis tentata res eſt, & quum non viderentur proficere, ſecuti ſumus conſilium Celſi: *In acutis cito mutatur quod non prodeſt, in longis quos tempus ut facit, ſic ſolvit, non ſtatim condemnetur, ſi quid non profuit. Minus vero removeatur, ſi quid paullum juvit, nam profectus tempore expletur.* Maxime vero in clyſterum uſu morati ſumus. Ac primum injecti ſunt clyſteres ex lacte, incoctis ficubus, chamæmelo, tapſo, roſis, diſſoluti vitelli ovorum, non ſaccharum, ne irritaretur inteſtinum: facile enim id eveniebat.

Celſus.

Alia inſtituuntur enemata, coquuntur radices althææ, ficus, roſæ, tapſus, diſſolvitur pulvis ovorum in furno induratorum.

Alia inſtituta ex decocto capitum papaveris albi.

Tandem acceptum eſt decoctum capitis vervecini ad obducenda inteſtina.

Frequentia apozemata.

Caſſia exhibita eſt, & valde profuit: quod forte mirum ſit. Nam inteſtinis ita irritatis, bilioſo ichore plenis, immo & veluti effeminatis, lenientium medicamentorum uſus non eſt tutus: tamen plus viſa eſt contuliſſe, quam quodvis aliud. Nam quum caloris ingentis opinio eſt, quum humor qui defertur eſt valde acer & mordax, potius conferet caſſia cum tamarindis, quam quodvis aliud medicamentum: lenit, mitigat: Et ſi parum laxaverit inteſtina, facile poſtmodum robur eorum conciliabitur.

Sedi ſæpe applicatum unguentum populeonis, mucago ſeminum pſyllii, cytoniorum: Facta injectio ex aquis refrigerantibus, & collyrio albo Rhaſis.

Abortionis metus.

Omnis enim vehemens conatus abortum minatur (3). Quod quum mulieribus tenaſmum patientibus eveniat, non mirum ſi metus ſit ne fetus elidatur. Quæ omnia facilius repetentur ex *Aphoriſmis Hipp.* Hæc ſufficiant ad prædictam hiſtoriam. Idibus Aprilis 1576.

ANNO-

ANNOTATIONES.

1. *Ad hanc historiam referenda est historia Florentii De Baillet, servi, dysenteria cum multa cacochymia & tenasmo laborantis: nullum pæne clysterem admisit: ne quadrantem quidem horæ in lecto continebatur. Nos usi cassiæ, amygdalatorum, lactis vaccini & similium σὺν Θεῷ* (*d*) *curavimus. Incredibile est quantum bolus cassiæ frequenter repetitus profuit; quod tamen est contra communem usum. Id Hollerius feliciter usurpavit, & nos sæpe idem felici successu usurpavimus.*

2. *Atque urinæ ipsæ satis legitimam medendi offerunt occasionem. Nam si crudæ, fuerint & tenues, nec tam secandæ venæ & purgandi, sed maxime purgandi occasio erit. Sed contra confusæ, ac turbatæ & humorales, ut ita dicam, audacius purgabis. Vide Hippocratem* part. 43. lib. 4. Acutorum, & Historiam P. Toysonii.

3. *Ideoque Hippocrates* Aph. 31. lib. 5. *ait*, Mulierem gravidam capi ab acuto aliquo morbo letale esse: & *Aphorism.* 30. Mulierem utero gerentem sanguine misso ex vena abortire, & magis si fetus sit major: & *Aphor.* 34. Gravidam abortionis periculum incurrere si alvus plurimum profluat. *Defraudatur enim fetus genio & desidendi frequentia eliditur.*

HISTORIA OCTAVA.

D. *MEMMÆI hortulanus paullo ante solstitium hibernum in febrem continuam incidit: ea nil in fronte habebat, multa in recessu. Per totum morbum fere deliramenta & manuum saltus tremulus, balbutiebat: terrificum omnibus hoc fuit. Ad claviculas dolor subobscurus & levis. Morbus diu siccus mansit. Exacerbationes nocturnæ. Non meminerat eorum quæ fiebant. Urinæ crudæ, boni coloris, ad sanorum urinas accedebant: dato medicamento alvus ducta est illo minime sentiente. Febris conclusa erat, nec ad manum mordax. Ægrotare se nesciebat; sanguinis detractus laudabilis, deinde aliquantum corruptus. Tandem evacuatis multis per alvum, & expectoratione multa ad vicesimum quartum diem præter communem opinionem restitutus est σὺν Θεῷ.*

COMMENTARIUS.

ILlud τὸ θεῖον (*dd*), quod in constitutionibus & statu temporum observari solet, meo quidem judicio & ad partium diathesin, & ad humorum conditionem referre oportet. Si enim flante austro nervi imbecil-

(*d*) Deo auxiliante.

(*dd*) Divinum.

liores redduntur, si præeunte hieme austrina & pluviosa & ὑδέρῳ (*e*), vere autem sicco, squalido & aquilonio, mulieres fere abortiunt, tum peculiari humoris generatione, tum partium generationi dicatarum affectione, non mirum si morbi generantur & vagantur ἢ εὐστατεῖς ἢ κακοήθεις (*f*), aut alterius moris: unde in quibusdam temporibus morbi potius sæviunt in cerebrum, in aliis in thoracem, in aliis in habitum corporis, prout aër ad hanc aut illam partem afficiendam aptus & affectus fuit. Cur enim aliis temporibus σπλῆνες, id est, lienares morbi vagarentur, aliis φάρυγγες, id est, faucium labores, nisi peculiaris esset συντιμωρία inter τὸ ποιητικὸν, & ἐπιδεκτικόν (*g*). Quod etsi plerisque inutile ad contemplandum videtur, nobis non ita placet: si quidem & ad diagnosin, & ad prognosin, & ad præcautionem pertinet. Ut studium sit earum partium quibus talis τῶν ὡρέων κατάστασις (*h*), ne male exerceamus & fatigemus corpus medicamentis, re incognita. Quum enim aut catarrhi suffocantes, aut sudor Anglicus, aut siderationes partium ob peculiarem aëris affectionem & siderum aspectum, vagantur, quis adeo hebes ut horum contemplationem omittat, & non inquirat unde & quomodo ista lues oboriatur? Et si in constitutione austrina veluti liquefacto cerebro multa pituita occurrat in os, nonne potius ad corroborandum cerebrum confugiet, & ad illud asserendum, quoad fieri poterit, ab injuriis externis, quam ad medicamenta phlegmagoga? Ita hercle. Ut non mirum sit si in humorum magna cruditate, calor febrilis accensus immiserit tetros vapores qui cerebrum, jam imbecillius redditum ob vim tempestatis, deterius affecerint quam ante affectum fuerit. Jam annotavimus *in primo lib. Epidemiorum meorum* exstitisse jam ter aut quater constitutionem temporis hieme in qua omnes ægri de dormiendi impotentia conquererentur: & tamen hieme somni sunt longissimi: quod fit aut quia peculiaris est temporis dispositio quæ id faciat, aut quia quum hieme revocetur calor intro, magna est calidarum exhalationum copia, hæ autem somnum prohibent: accedit & noctium longitudo. Quum enim omnia quieta sint, & absint familiares, non ita facile molestiæ nocturnæ falluntur ac leniuntur. Ac jam affero illis temporibus hibernis observasse me majorem dormiendi difficultatem quam in plerisque morbis æstivis: in quibus tamen natura, ob bilis dominatum, major est τῆς ἀγρυπνίας (*i*) occasio. Et ut libere dicam, in corporibus siccis & squalidis, & jam morbo attenuatis (autumnales enim & hiberni morbi maxima ex parte longissimi sunt) tanta est ἀγρυπνία (*k*), ut somnum conciliare difficile sit. Id facit siccitas, squallor partium, & seri maligni dominantis sub finem autumni & principium hiemis dominatus: quod diligenter notandum. Et si ad hypnotica paullo vehementiora confugeris, celeriter delirandi occasionem attuleris: sic non nisi caute illa præscribi oportet.

Cur Hieme in morbis est ἀγρυπνία.

Ea

(*e*) Tepida.
(*f*) Constantes & maligni moris.
(*g*) Consensus inter principium efficiens & excipiens.
(*h*) Constitutio temporum.
(*i*) Vigiliarum.
(*k*) Pervigilium.

Ea in fronte nil habebat, &c.

Id quod contingit in lignis viridibus; quum multa eſt cruda materia, nec calor analogus eſt, plus excitat vaporum quam diſcutiat. Unde quæſtio eſſe poſſet an hieme ita audacter ratione febris mittendus ſanguis. Immo febrem augeri par eſſet, ut materia facilius diſcuteretur, & calor in crudo ſucco emicaret. Si quis attendat quoque calorem contra naturam omnia corrumpere, & plus obeſſe alimentum corrumpendo, & ſuccos crudos male alterando, quam diſcutiendo, in alia forte erit opinione. *Per totum morbum ſaltus tremulus manuum*: obſcuris verbis id explicatum eſt, ſed elucidabitur ſequenti oratione: ſymptoma hoc quod eum fere per totum morbum comitabatur, terrori fuit: verebamur ne ab infirmitate eſſet, & ſic malum foret & ut ſignum, & ut cauſa; ſed quia pæne ab initio morbi prehendit, non ita ſuſpectum fuit. Hoc autem attendere oportet, ne falſo infirmitatis metu perſuaſi & inducti omittamus legitima remedia. Ac primum quid ſit illud videndum. Hippocrates ita ſcripſit *in Coacis*, οἱ πρὸς χεῖρα ἀναίσσοντες κακοί; *Si ægri ad manum Medici ſubſultant, malum.* Illud πρὸς χεῖρα (*l*) bifariam interpretari poſſumus, ut & contrectante Medico ſubſaltent, & videas manum ipſius ægri intremiſcentem revelli. Unde dubitant an ſit quid convulſivum, an aliquid tremulum, an aliquid mixtum. Tremor proprie eſt motus depravatus facultatis animalis partim a voluntate, partim a gravitate partis editus: argumento eſt quod niſi coneris movere membrum, non tremat: ſed quum conaris dimovere, viciſſim facultas & vincit & vincitur, & in iſta contentione fit duorum contrariorum motuum perpetua quædam ſucceſſio. At in ægro noſtro motus perpetuo tremulus apparebat, & veluti palpitans. Galenus fuſe de tremore diſputans occurrit eorum objectioni, qui tremorem a ſolo morbo eſſe contendunt, nec voluntatem concurrere; quod ut probent, proponunt exemplum eorum quibus perpetuo caput tremulum eſt, & tamen nulla eſt movendi voluntas. Reſpondet huic objectioni bifariam: primum quod in cuſtodienda quavis particula recta etiam voluntas agat, & contentio ſit muſculorum, alioqui pars corrueret: poſterius ſi in culcitra molli reclinetur caput, non amplius tremet, quia ab actione facultas ceſſat. Itaque concurſus eſt & morbi, & facultatis in tremore. Et tremorem non quid diſſimile eſſe ſtatuit pulſui formicanti: in hoc nulla ſenſibilis quies eſt inter duos motus contrarios: & arteriæ motus in minima ſpatii intercapedine agitur; eſt enim facultas proſtrata, & quæ tamen aliquid conatur ac molitur. Et quum non ſit ſenſibilis quies inter duos motus (quod apparet in naturali motu cordis) eſt tamen quædam ſubſidentia ſatiſcente facultate, quæ ſubſidentia mediæ cujuſdam quietis rationem habet. Et quemadmodum in formicante pulſu viciſſitudo motus non ab una proficiſcitur natura, ſic fit ob pugnam virtutis & ponderis ipſius corporis in tremore motus quidam contra naturam partim a facultate & voluntate, partim a morbo. Nec hic diſtinctiones illas repetere convenit

Hipp. in Coacis.

Cap. 1. l. 2. de ſympto. cauſis.

(*l*) Ad manum.

Cap. 4. & 5. lib. de convulsione & rigore.

quas Galenus assignat inter motum convulsivum, concussivum, & tremulum, item inter resolutionem & rigorem & tremorem & palpitationem: sæpe enim confunduntur. Unde initio hujus tractationis motum illum contra naturam quem in ægro nostro observavimus non satis aperte nominavimus. Nam modo tremulus, modo palpitans, modo saltus quidam tremulus & jectigatio, modo quid mixtum dictus est iste motus: quasi vero parum intersit inter hæc. Revera motus erat tremulus, & non a solo morbo erat, sed a facultate. Solum animadvertere illud oportet, quod contra Praxagoram & Herophilum Galenus constituit & conclusit. Herophilus tremorem in nervoso semper genere constituebat, quod reprehendit Galenus, non quin ad nervosum genus pertineat, sed quod non solus nervus tremat, sed ea tota pars quæ προαιρετικῶς (*m*) movetur: item quod facultatis ipsius non meminerit quæ maxime ad tremorem concurrit: nam & sine ea contendente tremor omnino non fit, de tremore qui proprie dicitur, audiendum est. At Praxagoras tremorem ad arterias referebat. Uterque Galeni judicio male. Propositum erat de tremore multa dicere, sed quoniam qui Commentaria in librum Coacarum animadversionum edit, multis locis de eo abunde dixit, supersedendum est. Dicendum breviter de isto tremore qui in principium morbi incidit, & qui non debuit a purgando & evacuando deterrere. Omnis tremor continentem causam habet virium infirmitatem. Et quum ex tribus corpus constet, spiritu, humore, parte solida, spirituum dissipatio, aut collectio tremorem facit, ut in gravi animi affectu contingit: Interdum eum accersit humorum & spirituum dissipatio, ut in fame, vigiliis, usu Veneris contingit: In acutis morbis aliquando fit copia humorum, ut Pythionis historia admonuit: Interdum qualitate humoris, licet is quantitate sit paucus, interdum partium solidarum siccitate & marasmo, ut quum phrenitin, aut causon tremor excipit: Id etiam in morbis longis cernitur, facultate vieta ac languida reddita. Id quod beatus ille pater in monasterio S. Claræ declaravit; post semestrem enim morbum tremulus interiit. Atque ut brevi finiam, Pythionis historia revocabit in memoriam illud totum quod in morbo ipsius hortulani evenit: *Pythioni primo die tremor a manibus, febris acuta, nugabatur.* Galenus explicans causam istius tremoris mihi videtur deceptus esse. Nam quum tremorem istum magni faciat, & quod primo die inciderit in ægrum, propterea credat a plenitudine esse (nil enim præcesserat quod vires convulsisset, alioqui in narratione ipsa Hippocrates haud prætermisisset) miratur cur venæ sectionis non meminerit, quum necessaria hic videatur. Morbum quippe plenitudo commisit, ut ex ipso etiam tremore collegit, qui plenitudinis signum est. Tamen paullo post dum explicat cur tremerent manus ita scripsit: *Probabile est in primis thoracis regionibus, ubi est continens thorax ad ultimas cervicis vertebras, affluentiam humorum constitisse aliquando, non multum tamen ut quæ dyspnœa excitandæ non esset satis. Nec enim valide refert ad respirationem primum intercostale* (*Græce* πρῶτον μεσοπλεύριον.) *Sed quum esset vitium*

Hæc ex Com. in particul. 2. sect. 1. l. 3. Epid.

Historia 1. sect. 1. lib. 3. Epid.

Com. in part. 4. ejusdem lib.

(*m*) Ex electione.

vitium in nervorum radicibus qui ad manus pertinent nervique degravarentur, tremor manuum consecutus est. Nam ex primo intercostali & vertebris ei superpositis nervi musculos manum moventes enascuntur. Hujus rei hoc est argumentum, quod tremores una cum sputis quæ successerunt permanerent, & etiam quod, ubi aliquod signum in sputis coctionis apparuit, non amplius fierent tremores morbusque tolleretur quum judicium consequeretur per sudores. Pythion duplici affectione laborabat, febre essentiali, & thoracis affectione. Sic duplex crisis fuit, una thoracicæ affectionis per sputa varia & sanguinolenta, quum tamen nec esset pleuritis, nec dolor lateris, nec peripneumonia: alioqui historiam ut febris continuæ & essentialis non enarrasset. Et idem ipsum est ac quod scripsit *in lib.* 4. *Aphor. Excretiones in febribus*, &c. Altera crisis fuit ipsius febris per sudores, & apostasin & stranguriam. Febris quidem longius tardiusque post alteram affectionem desiit, nam urinæ manebant crudæ. Apostasis autem & stranguria consecuta sunt, quoniam diu mansit morbus crudus. Unde in eam sententiam Galenus ex Hippocrate citat: *Si quis diu urinas tenues & æquabiles reddat, & reliqua salubria sint signa, abscessus portenditur in locis septo transverso inferioribus.* Porro materia in primo intercostali conclusa erat, propterea non deterius habuit æger licet primo die nil expectoraverit: non urgebat enim malum. Aliter vero fit in vera pleuritide & peripneumonia: augetur enim respirationis usus, majorque difficultas ducendi & educendi spiritus: Quod non contingit occupato primo mesopleurio. Et hic præclara quæstio moveri potest: si frustra in parte aliqua fit concoctio, si universi corporis manet cruditas, quid juvit ista expectoratio, & tremoris solutio? Revera si morbus unus est, & materia uniusmodi fusa per venosum genus, licet ejus pars aliqua privato naturæ beneficio mitigetur & coquatur, hoc nil perinde facit ad solutionem, quam si naturæ nulla esset molitio. Sed si duplex est focus materiei morbificæ, si duplex affectio, e re naturæ & ægrorum est, si saltem una materia naturæ gratiam recipiat: id quod in Pythione accidit. Et in hemitritæo, quum duplex focus, duplex materia, si biliosus humor mitescit, saltem commodo ægrorum fit si tertiana intermittens quotidianæ conjuncta desævit. Sic in morbis complicatis uno manente, alterum commode desinere potest. Ad rem redeamus. Quorsum Galenus ad solutionem tremoris istius phlebotomiam desiderabat, quum particularis esset affectio, & a congestione materiæ nullum dolorem excitantis ad primum μεσοπλεύριον (*n*): Et tamen ita Galenus ea de re scripsit, postquam tremorem istum a plenitudine esse statuit: Itaque potuit auxilio missi sanguinis succis revulsis qui hoc loco affluebant, affectio coctionis initium habuisse sexto die (eo enim die processit ἀνακάθαρσις (*o*). Quomodo autem ita juverit sectio venæ, ob tremorem cujus causa particularis erat, non video. Ratione quidem febris juvare plurimum potuit: at ratione istius materiei prementis & obstruentis juvare non potuit, quum nulla inflammatio esset ut colligere.

(*n*) Intercostales. (*o*) Anacatharsis.

gere ex ſcriptis licet: immo ſola per os excretio, & coctio materiei juvare potuit nulla ſectione venæ celebrata. Atque quum ægro noſtro ſecta vena bis aut ter eſſet, laudabiliſque effluxiſſet ſanguis, nihilo pæne minor factus eſt tremor. At juvit expectoratio lenientibus cibis & arteriacis procurata. Doctiſſ. Hollerius explicans *Aphoriſm. iſtum*, οἱ πρὸς χεῖρα ἀναλίσκοντες (p), veram effigiem iſtius morbi in Hortulano & Pythione exprimit, & non tam τρόμον (q) vocat quam σπασμότρομον (r) nomine compoſito ἐκ τοῦ σπασμοῦ καὶ τρόμου (s), quemadmodum affectio iſta non ſimplex eſt, ſed aliquid habet promiſcuum ex convulſione & tremore. Porro iſte σπασμότρομος (t) a ſimplici tremore differt, quod tremor ſimplex ceſſat ſi pars reſideat ac conquieſcat: ſed ἐν τῷ σπασμοτρόμῳ (u) manu etiam ſubnixa ac quieſcente, tremulum quid & convulſivum apparet: id quod in ægro noſtro contigit. Et idem auctor ſubdit, Vidi quibus *in longis febribus autumnalibus, a copia crudi humoris non tam ſiccatis quam humore madentibus nervis*, id eſt σπασμότρομος, καὶ τρομῶδές τι (x), *id citra periculum acciderit.* Plura legere poſſis de iſtis rebus loco citato, ſi quando de iis deliberandum ſit. At morbus ægri noſtri autumnalis erat, & ut colligi potuit, multa cruditas fuit in univerſo corpore. Et prout τῇ ἀνακαθάρσει (y) thoracem expurgavit, minui cœpit illud ſymptoma.

Hollerius.

Tandem ſive ratione particularis in thorace congeſtionis, ſive etiamnum redundantiæ ſuccorum in univerſo corpore oppreſſio fuerit, ex ſuperioribus colligere eſt tremorem eſſe a plenitudine, quod & Hippocrates confirmat qui ἀκράτειαν τρομώδεα (z) hæmorrhagia etiam profuſiore ſolvi ait: quod ad locum præſentem pertinebit. Et *eodem libro* Galenus convulſiones quoque quæ ſtatim ab initio oriuntur, a plenitudine eſſe contendit. Sed & locus eſt valde notandus apud Hippocratem ubi animadvertit manuum torporem & ſegnitiem ſequi ob venarum in thorace varicoſam diſpoſitionem, præſertim ſi malum ad humerum tandem pervenerit: ut ſæpe manui ipſi remedium applicandum non ſit, licet pars ipſa laboret.

Part. 59. lib. 3. Prorrh. Comm. ad part. 68. ejuſdem lib. Lib. 1. de morbis.

Cetera quæ in hiſtoria continentur narranda non ſunt, per ſe enim ſatis facile intelligentur.

(p) Qui ad manum ſubſiliunt.
(q) Tremorem.
(r) Tremorem convulſivum.
(s) Ex convulſione & tremore.
(t) Tremor convulſivus.
(u) In tremore convulſivo.
(x) Tremor convulſivus, & quidpiam tremulum.
(y) In Anacatharſi.
(z) Impotentiam tremulam.

CONSI-

CONSILIUM I.

De Melancholia. Ad D. Jaulnay Medicum.

BRevibus quidem verbis magnum morbum, quo jam dies aliquot nobis mulier, domesticæ calamitatis tædio affecta, conflictatur, explicasti: in quo partim desiderio nostro satis esse factum putamus, partim aliquid aliud expectamus, ut ordine & methodo meliore nostra hæc procedat commentatio. Sed quoniam nobis cum artifice res est, minus laborandum putamus, quum concepta in nobis de tua eruditione opinio satis nostrum desiderium lenire possit ac elevare. Melancholicam affectionem esse belle quidem definivisti, προκαταρτικὸν (*a*) explicasti, sed quum mœror & ægritudo in censu externarum causarum ponenda sit, potuit explicari an corpus natura in talem affectionem propendeat, an aliquid sit συγγενὲς (*b*), quod corporis character, moles, color, pilus & anteactæ vitæ ratio aperire potuerunt, ut minimo mœroris vento tanta impressio facta sit, ut aut externæ causæ ratio ineunda solum sit, aut jam cum ipsis naturæ principiis, ut sic dicam, pugnandum foret. Omittis an sectio venæ celebrata fuerit, an non, quod tamen hoc primas tenet. Sed quid nobis de morbo videatur, quoque præsidio oppugnetur, si & morbi, & ægræ indoles ingeniumque patitur, paucis aperimus.

Pathemata melancholica quum alias ægre cognoscantur, maxime in mulieribus id fit: non quod non facile se suis signis prodant ac promittant, sed primus morbi fons non facile aperitur. Et in hoc Medicorum viget industria. Si Hippocrati unus uterus morborum muliebrium parens, quid est quod aliunde fontem & sedem inquiramus? Sæpe deliria melancholica vidimus quæ nos ad furorem uteri cum Aëtio revocaremus. Et nuper occurrit Hippocratis locus quo adumbrat affectum melancholicum cujus causa in utero exsistit, vocat autem, Bilis atra in uteris.

Sic tum est videre an menses respondeant, an cerebrum per προτοπάθειαν, an per συμπάθειαν (*c*) laboret. Si quid ingenio valemus, morbus illius mulieris videtur accedere ad eum quem Hippocrates φρεντίδα (*d*) vocat: cujus si ideam descriptam inspexeris, & methodum medendi, & remedia in parato habebis. Quoniam enim anxietas ægritudoque hanc corporis affectionem ægrotationemque induxit, quod ἄσση καὶ ἀλύκη (*e*) in corpore dicitur, idem φρεντὶς (*f*) in animo exsistit.

Corpus

(*a*) Causas procatarticas.
(*b*) Cognatum.
(*c*) Primariam affectionem, an per consensum.
(*d*) Curam, animi ægritudinem.
(*e*) Fastidium & inquietudo.
(*f*) Cura & ægritudo.

Corpus purgabis, etiam liberaliore manu. Si id ægræ difficultas & pertinacia non permittit, fallenda eſt. Confectio hamech hic primas tenet.

Aperietur vena brachii: ſi menſes reſiſtunt, ad malleolum deſcendes.

Diæta humectante & refrigerante utetur: Applicentur cucurbitæ hypochondrio ſiniſtro, & femoribus.

Conciliabitur ſomnus. A narcoticis & meconio abſtinendum.

A ſyrupo roſarum pallidarum abſtinendum, niſi magna dominantis ichoris argumenta adſint.

Cucuphas ex calidis non uſurpabis: nam hi melancholici, præſertim ſi dominatur bilis, febre quadam capitali laborant.

Nec tandem ad feſtucas hellebori albi tranſgredi alienum erit.

Balneum loco & tempore conferet.

Cetera tibi tua ſingularis & eruditio & diligentia ſuppeditabit.

CONSILIUM II.

De Lue Venerea.

NObili viro ulcus erat in pene, maxime ea in parte qua ſitum eſt corpus velut nervoſum & tubuloſum: primis diebus rati non eſſe a maligno, vulgaribus & blandioribus remediis curationem tentavimus: nil profectum eſt: tandem vicit ea opinio, ut crederemus Neapolitanum eſſe quid: nam Dyſepuloticum erat. Dato medicamentulo, repente puſtulæ apparuerunt, alias Venerem reſipientes, alias non: nam quædam ex his ſuppurato aliquantum laudabili deſiſtebant: aliæ cruſtoſæ evaſerunt: paullatim creverunt, & pullularunt. Et primum quærebatur, num puſtulæ Neapolitanæ ſuppurent 1. Ne hoc fraudi ſit, ſciendum veras & luis Venereæ proprias puſtulas ſuppurati & expurati expertes eſſe. Sed ſi confuſus eſt humor puſtulam committens, ut aliquid habeat benignioris humoris (qualis communem ſcabiem committit) fieri poteſt, ut ſuppuratum promoveatur: vel, ne quis decipiatur, ſi quod pus apparet, illud non eſt verum & laudabile, ſed ſanies quædam quæ ſuperficiem puſtulæ tenet, non autem a profundo manat, ut in furunculis & puſtulis malignis evenire ſolet. Præter puſtulas iſtas aderat dolor ad ſiniſtrum hypochondrium, quod tandem occupavit nothas coſtas. Scapulæ dextræ quoque dolor aderat, ut brevi partes ſolidas occupatum iri crederemus. Nam eſt ubi tantum humores venenum occupavit, & tunc nil commemorabile eſt; eſt ubi carnem, & tunc puſtulæ erumpunt: eſt quoque ubi partes ſolidas, ut nervos, tendines, oſſa, denique partes quæ ex ſemine ſunt: ubi duo triave ſunt notanda. Cur ita in ſeminales partes agat. Cur potius oſſa media intumeſcant quam eorum capita: Tertio, an quid ſit analogum inter articulares dolores & luem Veneream nervos occupantem. Sed hæc breviter perſtringo.

Quod

Quod ad primum, major eſt analogia inter ſemen corruptum & ſemen laudabile & ſanum, quam inter ſemen, aut quid aliud (2): Et quum ſemen ſanum minima etiam mole quid maximum ſit, & vires multas magnaſque contineat: ita ſemen morboſum minima quantitate, facultates magnas, & ad corpus labefaciundum vires complectitur: unde hyſtericæ a ſuppreſſo ſemine multo deterius habent, quam quæ tales fiant a menſtruo ſuppreſſo. Quo enim quid benignius & præſtantius, eo deteriorem labem contrahit, & efficaciorem, quam ſi corrumpatur aliud quod tantam præſtantiam & bonitatem non habeat. Quum quis congreſſus eſt cum impura, per communicationem tantum ſpiritus & auræ venenatæ ab ulcere in ſinu pudoris concepto, quod prius ſemen corruptum inflixit, elatæ, & aura iſta maligna maleficaque, quam ſpermaticam ſeminalemque vocare poſſumus, poſtquam leviter reliquos humores affecit, jam in proprium legitimumque partium alimentum, quod ſemen eſt, & ſeminis proxima materies, agit atque illud inficit, unde tanta malorum ilias. Nam ſupponamus cancrum eſſe in partibus iſtis naturalibus mulierum, qui cancer alterius ſit generis & moris ab eo cancro quem lues inducat, non ea ſurgent mala, quæ oriri ſolent a concubitu, & contactu cancri Venerei: adeo analogiſmus in iis malis excitandis magni eſt momenti. Si Venereum venenum vere eſt venenum, cur more aliorum venenorum non afficit cor, & exſtinguit, aut ſaltem ſyncopas, aut alia id genus invehit? Sed venena diverſorum ſunt generum, quædam ſunt magis humoralia, alia minus. Quæ magis humoralia, etſi poſſint cor afficere ipſum, tamen in congeneres humores magis agunt, ut ſanguineum venenum in ſanguinem, venenum ſeminale in ſemen. Alia non ita ſunt humoralia, ut quæ a venenatis animalibus manant: ea enim ſpiritu potius agunt, & dum diſſipant ſpiritus vitales, mortem accerſunt. Sic in peſtilentibus morbis (quod forte pauci notarunt) quidam alioqui valde ſani & hilares intra quadrantem horæ pereunt, alii peſte correpti nonniſi diuturniore tempore, immo alii evadunt. Unde hoc? Quia venenorum peſtilentium aliud magis humorale, & internum; aliud aëreum magis, ſpirituoſum & externum: aliud mixtum. Quod externum eſt in peſtilenti exhalatione & exſpiratione conſiſtens, quia ſpiritus eſt & aura, & nil fere materiale habet; ideo agens primo quoque tempore in ſpiritus vitales, quibuſcum aliquid habent συγγενὲς καὶ ὁμόφυλον (g), mortem infert repentinam. Quod vero internum magis, & materiale, non tam necando eſt ſatis: & tunc puſtulæ, anthraces, tubercula in inguinibus progerminant: corruptus ſanguis effluit. Et niſi jam a diebus aliquot mala iſta impreſſio in humoribus fuiſſet, non tam cito attractus aër peſtilens ea omnia corrupiſſet. Sic videmus alias puros magis a peſte tolli, alias magis impuros: ideo ad præcautionem peſtis Galenus jubebat præpurgari corpora & ſiccari. Quare id? Quoniam ſi ad aëris peſtilentis contagionem accedat & magna humorum eluvies, omnia deteriora futura ſint. Quum enim non adeſt iſta colluvies humorum,

(g) Cognatum & gentile.

rum, unum nobis vincendum eſt tantum, nempe exſpiratio tetra & peſtilens: ſed ſi corpus impurum eſt, quoque impreſſio in eos fit, unde magna ſymptomatum fetura ſurgit. Atque ut brevi finiam, Luis Venereæ venenum materiale eſt magis, & non tam afficit cor quam hepar & partes vicinas, præſertimque in ſpermate & materia pituitoſa figit ſedem.

De ſecundo dicamus ex quorumdam opinione: cur tophoſa potius oſſa in medio fiant, non in ſuis capitibus. Quidam eam reddunt hujus rei rationem: In medio oſſium plus medullæ eſt quam in partibus, aut ſuperioribus, aut inferioribus: immo ea medulla creſcit decreſcitque pro lunæ temporibus: quum enim ea plenior eſt, oſſa medulla exuberant; quum vel nova exoritur, vel ſeneſcit, minus habent medullæ. Hæ autem mutationes vel augmenti, vel decretionis medullæ, magis in mediis oſſium cavernis, quam in capitibus finibuſque cernuntur. Et quum medulla, vel id quod ei analogum eſt, tamquam quippiam oſſe ipſo mollius, idoneum magis ſit ſubjectum quod admittat venenatam luis Venereæ qualitatem, & eamdem aliis partibus communicet: qua parte plus illius mollioris ſubſtantiæ eſt, eadem & magis ſe venenum ipſum figit atque firmat. Integra autem plenaque luna, oſſium inanitates replentur magis, ut mirum non ſit, ſi in mediis ipſis oſſibus ſæpius tophi & durities tophaceæ appareant. Hæc inquirenda pluribus relinquimus aliis.

Tertium ex iis quæ propoſita ſunt eſt de analogia materiæ Venereæ, & ejus quæ arthritin facit. Paullo ante diximus ſubjectum luis Venereæ eſſe tandem proprium partium ipſarum alimentum cujus reliquiæ ſunt ſemen ipſum: unde ea ſurgit proportio inter ſemen corruptum, & ſemen ſanum. Item materies ipſa veluti mucaginoſa, lenta & glutinoſa conſtituta eſt, in quam hydrargyrus ipſe, tamquam verum alexiterium agit. Declarat ſumma digerendi vis unguenti Neapolitani, item & provocatio ſalivæ uberrimæ: in qua una luis Venereæ fugatæ ac ad extremum verſæ ſpes & fiducia poſita eſt. Ecquod eſt ingenium & mos illius humoris qui arthritin committit? Efferus & implacabilis eſt, de nocte ſuas habet exacerbationes, omnium remediorum vires fere eludit, tophos & tubera in articulis excitat, immo & partes ad atrophiam ducit: orgaſmum habet: de nulla parte ſecurus homo eſſe poteſt: furibunde involat modo in has, modo in illas partes: nec tantum hoc eſt acceptum ferendum diatheſi partium ipſarum, id eſt, articulorum, quam internæ virulentiæ ipſius humoris. Scio quidem articulum læſum, imbecillum ac infirmum ſuum alimentum corrumpere, eo modo quo & aliæ partes dolore tentari ſolitæ, ſed id eſt tantum cauſa adjuvans. Nam etſi humor ipſe in articulum nondum infirmum irruerit, non deſinit tamen ibi dolorem excitare: ſed non tam contumaciter. Ergo ſive periodorum vices, ſive exacerbationum nocturnarum analogiam ſpectes, ſive ingenium humoris, ſive contumaciam & naturam humoris humana remedia reſpuentis (nam & calida & frigida non admittit, & quibus dolor arthriticus lenitur, iiſdem mox exaſperatur, & exadverſum) magna eſt proportio inter & affectum ipſum, & naturam humoris affectum parientis: immo vero arthritis ſæpe lui Venereæ ſuccedit: paucoſque videas qui lue Venerea

exercitii

exerciti fuerint, præsertim si inveterarit, qui non & articulares dolores tandem experiantur: quod attribuunt quidam usui hydrargyri & solennium remediorum, quibus in ea curatione locus esse solet, sed male id quidem: nam id potius ab ipsius humoris venerei, & morbi natura & indole pendere censendum est.

Unde & hoc loco quærere non alienum videri possit, an non ad arthritin curandam eadem curandi ratio adhiberi possit tuto & jure, quæ & ad luem veneream. Si tanta affinitas utriusque affectus & humoris, si ii maxime articulari morbo cruciantur, quibus μυξῶδες καὶ ἁλμῶδες (*h*), ut quodam loco loquitur Hippocrates, cur non illita hydrargyro provocatio salivæ ab arthritide recidua asserat? Nam quod objici possit de articulorum imbecillitate, sive ea sit contracta a natura, sive acquisititia, & quæ potissima causa est, & morbi, ut sic dicam, dispositiva, postquam colluvies ea humorum evicta fuerit, quæ tamdiu fovet morbum, robur articulis conciliari fortassis poterit. Sed hæc cursim dicta sint.

Restat ut breviter minutulis velut interrogatiunculis & quæstiunculis de curatione luis Venereæ dicamus. Primum, an non alia curandi methodus securior, & promtior esse possit. Secundum, an non plena periculi non præsentis, sed futuri, salivæ provocatio. Tertio, an non graviter peccetur ab iis qui quum vident corpus pustulis Venereis efflorescere, salivam eliciunt & summa vi provocant. Omnino enim tuta videtur curatio si motum naturæ sequamur, ut non addicamur tritæ cuidam imperitorum Chirurgorum methodo, quam rationi ipsi.

Ac dum tertiam hanc quæstionem persequimur, primæ quoque satis facimus: eodem enim pertinebunt. Ac primum perniciosis valde morbis liberantur plerique profusiore alvo, quum in colluvie humorum restagnantium in mesenterio primum mali semen poni videatur: quod declarat Gonorrhœa. Non enim tam id fovet quod in longinquioribus partibus redundat, quam quod in primis viis, in quibus corporis veluti sentina est: accedit quod communis omnium ea sit assertio, quod in impuro concubitu, pernicies primum hepati communicatur, ut multis & rationibus, & experimentis roborare solent. Quæ autem commodior via ad expurgandum hepar quam renes, alvus, & habitus ipsius corporis nullo provocato sielismo cum dispendio partium nobilium, cerebri, pulmonum, ventriculi & cordis? Gibbum hepatis provocatione urinæ repurgabitur, & sudoribus si ita res feret, simum alvi subductione commodissime, ut omnium veterum auctoritas confirmat: ergo in hac una aut triplici purgatione, quæ eodem pertinet sine sputatione, consistendum videtur. Si in sero præsertim virus primum consistit, aut ut liberius dicamus, in proportionata & analoga semini tamquam corpori ad virulentiam eam magis idoneo materia, istis purgationibus habemus & consequimur quod optamus: nam elicitis sudoribus per cutis spiracula facile id quod turget evacuabitur. Si in seminali quadam materia, si eo usque progrediatur purgatio donec habitus & moles corporis collabatur, ei materiei satis esse fa-

 ctum

(*h*) Mucosum & salsuginosum.

ctum videbitur: accedit, quod venenata vis ſuis alexipharmacis oppugnanda ſit. Si enim inter omnes conſtat morbum iſtum in venenata vi & aura potius conſiſtere, quam in alia ulla re manifeſta: quærendum ſuum remedium, nec tentanda ea evacuatio, quod plerique facere ſolent, ad extremum uſque promota. Sed inter ceteras rationes, hæc maxime una plurimum roboris habet quod hic ut in aliis morbis motus naturæ ſequendus videatur. At jam uſu probatum eſt naturam omni ratione conari hoc virus depellere in corporis ſuperficiem; admoto duobus aut tribus locis pyrotico, ſi ſinatur ſanies quædam effluere, ſpes aliqua affulgeat ſanitatis, quod audio factum eſſe felici ſucceſſu.

Non tamen ſudorifica & alexipharmaca omiſſa ſunt. Immo commodior & tutior videretur via, ſi imperata diæta quadraginta dierum ſenſim procuraretur evacuatio illius materiæ, & domatio iſtius veneni repreſſioque, quam ita fœda triſtique ſalivatione miſere æger fatigaretur. Et id quod me magis movet eſt iſta ulcerum fœtidorum & putrium ob uſum hydrargyri provocatio & eruptio. Quid enim impedit quo minus aut in aſpera arteria, aut in pulmonibus tale ulcus excitetur? Quod ſi eveniat id mihi videtur nulla pæne arte curabile, quod eo medicamentorum vis integra pervenire non poſſit: niſi forte objiciat quis, affatim provocata ſalivatione nil pæne ſubeſſe quod tetrum iſtud ulcus fovere poſſit, quum proprium ejus curandi ſit alexipharmacum hydrargyrus.

Sed & ut concedam experimento probari ea ſalivæ provocatione relapſus magnam tolli occaſionem, duo tamen ſunt quæ me ab uſu hydrargyri revocare poſſunt. Prius eſt ulcerum eruptio ita malignorum, & nervorum labefactatio. Nil enim æque nervoſo generi ac cerebro bellum indicit ac argentum vivum: id declarant tremores qui ab ejus exhalatione excitantur. Poſterius eſt, ſi prolapſio materiei Venereæ magna vi liquefactæ, ac excitatæ uſu argenti vivi in inteſtina dyſenterias crudeliſſimas & funeſtas excitat, quid non efficiet deterius multo in partibus ſuperioribus, quæ ut ſitu, ita dignitate præcellunt aliis? Si hepar imbuitur primum, cur non id omni ratione repurgas aut per habitum, aut per ſeceſſum? Sic omnino ἀναχάθαρσις (*i*), quæ per os fit provocata ſaliva, placere non poteſt. Si ad pituitam quæ circum ventriculum latet, & quæ facile & virulentiam concipit recurras, illa & vomitione, & ſubductione excerni & elui poteſt: nec propterea provocanda iſta ſalivatio quæ tantis moleſtiis ægrum cumulat. Objiciet de capite in quo fere pedem figere ſolet ea lues. Hoc verum quidem aſſerimus; & ut cerebrum maxime pars eſt ſpermatica, & ab eo tamquam a fonte prolificum ſemen multum profluit (ut Scytharum ſterilitas fidem facit) ita virus iſtud & facile & prompte in eo cerebro ſeſe obfirmat: id μαδαρώσεις & ἀλωπεκίαι (*k*) facile confirmant. At, dicet, provocatio ſalivæ tutiſſime cerebrum expurgat. At conferendum eſt unum incommodum quod affert hydrargyrus cum ea commoditate

(*i*) Anacatharſis.

(*k*) Glabricies & capillorum defluvium.

tate quam procurat ſalivatio. Jam diximus inimicam eſſe cerebro & nervis hydrargyroſin: & excitatis ulceribus fuſiſque magna vi humoribus non poteſt non in ſympathiam trahi cerebrum: ſed tuto alia arte evacuari poteſt: multa habet emiſſaria. Præterea, lethargici, & comatoſi in quibus multa materia eſt frigida, curantur ſæpe alvi profuſione; item & ophthalmiæ; cur non & eadem commoditas cerebrum a virulentia aſſerere poteſt? Plura in eam rem afferri poſſent.

Secundo loco quærebamus, an non provocatio ſalivæ plena eſſet periculi non tam præſentis quam futuri: Sed dum alia duo capita promiſcue tractaverimus, hujus ſecundæ quæſtionis definitionem quoque adduximus.

Reſtat tantum ut concludamus in vetere hoc morbo, & jam partes ſolidas obſtinate adorſo, litui ex hydrargyro locum eſſe, nec tam contumax malum facile ceſſurum, niſi majoribus remediis tamquam vectibus quibuſdam ad amoliendum convellendumque utamur. Sed ita ſe in omnibus gerere & ex eo quod aliquid efflorueriſ in cuti, linendi occaſionem captare, illud captioſum eſt, & ignorantiæ plenum, & ad Empyricos potius pertinet quam ad Methodicos, & eos quos non tam lucri cupiditas movet, quam conſervandi ſui innocentis officii ſtudium & cura. Et quum ea curandi ratio tanti ſit, non ita ex præjudicata quorumdam opinione pendendum eſt, ſed videndum quid, & quando, & quomodo agendum: alioqui vix crudelitatis, inhumanitatis & inſcitiæ crimen effugiemus.

Sed & ad ſuperiorem de uſu hydrargyri in illinendo toto corpore diſputationem pertinet hæc quæſtio plurimum adjumenti allatura: an puſionibus lue infectis tutus litus hydrargyri univerſalis? De particulari quidem facile admiſerim, forte puſtularum ea ſit pervicacia ut nulli alteri cedant remedio. Sed quorſum univerſalis litus? ut provocetur ſaliva? At expuere nequeunt; ut ſudent? at provocandi ſudoris tutior alia eſt ratio. Si dum corpore illito fuſio & dilapſio humorum conſequatur, ſi ſurſum repat humor, & per os expuendi impotentia & inſolentia non excludatur, multum inde detrimenti eveniet. Satius eſt itaque foras venenum pellere, & quo natura vergit eo ducere: immo & forte hoc in adultioribus locum habebit. Verum antequam huic Conſilio finem imponamus, quæſtionem lectoribus voluptatis ſimul ac utilitatis plurimum allaturam movere quoque non erit alienum, An non tutus ſit vini uſus in lue Venerea, & in Gonorrhœa præſertim? in hac quidem, quoniam cruditas tollenda eſt, quæ fovet & alit eum fluxum. Et quum venenum ſibi ſedem in humore pituitoſo crudoque deligat, quæ cruditatem oppugnant, quæ coquunt, alimentum diſtribuunt, & digerunt, ea mirifice conferunt ad præcautionem & curationem: hujuſmodi autem vinum eſt. At tollendus omnis exceſſus, mediocritas tenenda. Atque in lue Venerea, modo ne ſit ingens capitis dolor, cur æger vino eſt abſtinendus? vires retinet, quibus maxime opus eſt: venenum oppugnat. Et quum opiatis calidis, & acriuſculis utamur, cur tantopere vinum fugimus calidiuſculum alimentum? Ne hic prævertat opinio præjudicata, hæ & ſimiles rationes pondus aliquod ad id efficiundum quod volumus ſunt habituræ. 1576.

ANNOTATIONES.

1. *Virulentia, ſive lues Venerea eſt virulentorum phymaton in corpore perennis propagatio ex conſpurcatione ſanguinis & humorum ex impuro concubitu: vel Virulentia eſt phymaton virulentorum perennis in corpore propagatio, quam affert ſanguinis & humorum ex impuro congreſſu conſpurcatio. Vel, quam affert humorum & viſcerum conſpurcatio ex contagione ab impuro contracta concubitu.*

2. *Notare unum oportet quod valet ad therapiam in hoc morbo, nempe non ſolum animadverti debere naturam ejus qui inficitur, ſed ejus etiam quæ infecit. Nam quæ ſucculentæ ſunt & ſanguineæ, hæ non fovent aluntque tam acerbum & pertinax virus. Contra melancholicæ & quæ ſeroſiore abundant ſanguine, & quibus cutis expalleſcit, hæ teterrimis ſcatent ulceribus & ſanatu difficilibus. Sic oportet eos qui ab his virus contraxere, multo ſedulius curare.*

3. *Abſurdum eſt & a ratione alienum meo quidem judicio, quod viri quidam doctiſſimi etiam ſcriptis editis cenſuerunt, non poſſe fieri decocta ex vino aut ſaltem ex vino ſolo, ſed infuſionem fieri debere ex aqua, mox hanc diutius excoquendam eſſe addendumque in fine vinum quod hoc cenſeant ineptam eſſe materiam infuſioni, quodque tamdiu excoqui nequeat, quamdiu oporteret ad eliciendam virtutem medicamenti. Certum enim vinum eſſe optimum medicamenti cujuſvis vehiculum, & in Chymicis extractis experientia comprobatur, nihil eſſe aptius ad extrahendas medicamentorum facultates ipſo vino, aqua vini, aceto, quod igneis & calidis ſubtilibuſque partibus penitiora quæque permeans intimam quamque facultatem eliciat, & in ſe concipiat. Verum quidem eſt non longam pati coctionem, ſed aut longa infuſione ligni ſancti, radicis chinæ aut ſarſæparillæ in eo facta id compenſari ſolet, aut in duplici vaſe debet excoqui. Hac arte parato decocto multi deſperati perfecte curati ſunt, noxamque partibus ſolidis ab argenti vivi uſu impreſſam emendare & tollere comprobatum eſt. Adde ad has vini dotes & hanc, quod vinum ſuccos bonos ingeneret*, ait Galenus *Comm. in hunc Aphoriſm.* ἀλύκη &c. (*l*).

CONSILIUM III.

Pro Theſaurario Arthritico.

QUoniam dum diſputaremus de therapia Arthritidis pituitoſæ neceſſario incidimus in diſputationem de doloribus noctu ingraveſcentibus, non alienum ab inſtituto erit ſi nonnulla quæ animo concepta habemus ſuper

(*l*) Implaciditas & faſtidium ſui.

ſuper ea re eloquamur ac exprimamus, hæc enim intellecta deſcriptaque plus voluptatis afferent quam animo retenta: deinde vero ad remedia quæ præſcripta fuere nobili viro veniemus. Quæſitum eſt ergo cur dolores articulorum de nocte exacerbentur? quidam ad pituitæ motum confugiunt, qui noctu magis quam interdiu cieri ſolet; ut enim ſecundum anni tempora humores generaliter moventur, ita certis horis diei, quadam ad tempora univerſalia ἀναλογίᾳ (*m*), hic potius humor quam alius movetur ac ſe profert. Ac primum non omnino arthritis ab humore pituitoſo eſt, quemadmodum in alio opere a nobis demonſtratum eſt. Et licet concedamus hinc pendere arthritin, hæc fortaſſis ratio non ſufficit. Hippocrates *Epid. quinto* ita de motu materiei purulentæ: *Tempore nocturno, profecto in omnibus ſuppurationibus, & his quæ circa oculum ſunt, dolores ad noctem*: quod cur fiat alterius eſt inſtituti. Scimus enim quod quidam morbi & γίνονται καὶ παροξύνονται (*n*) aliis atque aliis temporibus. Ut ne evagetur oratio noſtra, cujuſdam Medici primarii hæc ratio aſſignatur exacerbationis iſtius nocturnæ. In uno quoque animante calor quidam fixus eſt, & calor fluens: fixus remanet donec aut σφακέλῳ, aut νεκρώσει (*o*) partis temperies depereat: at fixus alias paucior eſt, alias plenior & uberior exſiſtit. Et talis calor affluens a corde in quo nectar eſt ζωτικὸν & συῤῥοὴ (*p*), ut loquitur Theophraſtus, alium calorem ἔμφυτον (*q*) excitat, juvat, illuſtrat, & ad τὴν ἐνέργειαν (*r*) invitat. Quamdiu calor ille in parte manet, nec imminuitur, nec alteratur, tamdiu pars naturaliter ſeſe habet: contra ſe habet, ſi alio modo calor affectus eſt: unde in febribus eſt partium quidam κόπος (*s*) inexplicabilis, quoniam calor eſt alteratus aut aliter quam e natura affectus. At in arthriticis paroxyſmi cauſa refertur ad caloris illius influentis & vernaculi fugam & revocationem ad ſuum fontem cor. Illud enim in confeſſo eſt noctu partes interiores calidiores eſſe, exteriores vero refrigerari, aut ſaltem minus habere caloris nativi; contrario autem modo interdiu affectas eſſe. Inter vigilandum enim, & præſertim die ipſo calor nativus ad habitum funditur, & occurrit lumini & calori diuturno tamquam rei cognatæ: calor enim noſter ad calorem diurnum tamquam ad τὸ εὐφρόσφυτον (*t*) recurrit: itaque quum extimæ partes deficiantur ac deſtituantur iſto calore per tenebras a circumferentia ad nativi caloris τὴν πηγὴν (*u*) revocato, facile humor tumultuatur ut pote non rectus ac temperatus a calore iſto nativo omnia ſub ditione ſua tenente (2): atque hæc cauſa eſt cur de nocte arthritis potius exacerbetur quam tempore alio. Contra ſi interna phlegmone eſt, dum calor intro repit & acceſſionem calori nativo adjungit, febris major fit, & dolor a phlegmone excitatus invaleſcit. Tamen adverſum ea quæ a nobis dicta ſunt aliquis objiciat, ſi alii dolores interdiu exci-

(*m*) Analogia.
(*n*) Generantur & exacerbantur.
(*o*) Sphacelo, aut mortificatione.
(*p*) Animale & vivificum.
(*q*) Ingenitum.
(*r*) Energiam.
(*s*) Laſſitudo.
(*t*) Ingenitum & naturalem.
(*u*) Fontem.

excitantur ab aliis humoribus pro dominatu] cujusque & ἰδιοσυγκρασία (x), quæ cujusdam motus interioris causa est, cur non eadem ratione humor arthritin committens, qui ut plurimum pituita est, tragœdias turbasque excitet noctu peculiari suo motu, ad id nil pæne conferente isto aut accursu, aut recessu caloris? Suo enim nativo calore illustrantur aliæ partes dum alii humores interdiu moventur, & dolorem proritant. Quæ quum ita sint, tantum plausibilis videtur ratio superius allata, & quæ non ita firmis rationibus est stabilita, ut non eam vehementior quædam rationum philosophicarum aura percellat, atque convellat.

Verum his omissis capita curationis perstringamus. Æstate maxime a vino abstineat, hujus loco utatur decocto betonicæ, radicis chinæ, sarsæparillæ aut aqua decoctionis seminis coriandri. Quod si urgeat necessitas, utatur oligophoro, idque hieme (3). Elixis carnibus utatur sive jusculis: aut saltem utatur re aliqua jurulenta (4). Piscium usus non confert, nisi saxatilium & friabilium. Prandium liberalius esto. Venere utendum parcissime. Laconicum conferet ex herbis post scribendis. Femora & aliæ partes dolentes illinentur oleo catellorum, deinde integentur pelle arietina recens detracta. Hora somni utetur opiata sequenti: Illinetur spina mastichino & oleo myrtillorum: Caput lavabitur lixivio parato ex cephalicis. Si dolor ad ischion maneat, vesicatorium applicabitur ex fimo columbarum & pipionum cum gravellata simul mixtis cum jusculo ranunculi: aut cortex viburni applicabitur: Pyroticum adhibitum ad eam partem quæ Græcis ἴνιον (y) vocatur conferet (5).

℞. *Conservæ enulæ campanæ, & acori, ana, dr. ij: conservæ florum betonicæ, cichorii, & anthos, ana, unc. j: carnis citri conditi, & myrobolanorum emblicarum, ana, dr. ij: myrrhæ, mastiches, ana, scr. j: cum syrupo de stœchade fiat opiata: utatur in introitu lecti.*

℞. *Seminum cytoniorum & psyllii, ana, unc. ß: radicis altheæ, unc. ij: seminis ejusdem, dr. ij: extrahantur mucagines in aqua rosarum & plantaginis.*

℞. *Prædictarum mucaginum, unc. iv: succi plantaginis, unc. ij: butyri recentis ustulati & unguenti populeonis, ana, unc. j: olei violacei & rosati quantum sufficit pro linimento.*

Valet Cataplasma vulgare ex pane dissoluto in lacte caprino, cum oleo rosato & vitellis ovorum: aut illud:

℞. *Stercoris bovis gregarii, lib. j: vini albi, unc. ij: olei chamæmeli, rosarum, & violati, ana, unc. j: axungiæ cati, unc. jß: misce: fiat cataplasma ad movendum articulum calide.*

Sequuntur herbæ ad hypocauston seu laconicum.

℞. *Altheæ totius, ebuli totius, ana, man. ij: foliorum malvæ, violarum, parietariæ, ana, man. j: foliorum betonicæ majoris, absinthii, consolidæ, salviæ & calamenthæ, ana, man. j: ivæ arthriticæ, man. ij: florum chamæmeli, meloti, anethi, & origani, ana, pug. ij: rosarum, stœchados, schœnanthi,*

(x) Idiosyncrasia. (y) Cervix.

thi, ana, pug. j: seminis anisi & lauri, ana, unc. ß: coquentur in aqua fluviali adjecta quarta parte vini albi: immergantur lapides candentes.

℞. Cassiæ fistularis, unc. ij: aquæ solatri, & plantaginis, ana, unc. j: aquæ ex radicibus bryoniæ extractæ, unc. ß: olei rosati & violacei, ana, quantum sufficit: fiat linimentum.

℞. Emplastri diachylon ireati, œsipati & ceræ novæ, ana, unc. ij: pulveris thuris, mastiches, & myrrhæ, ana, dr. j: pulveris boli armenæ & lapidis calaminaris, ana, dr. ij: cum oleo rosato fiat massa emplastri ad roborandos articulos. 6

℞. Salis torrefacti pulverisati, lib. j: pulveris mastiches, unc. ij: pulveris rosarum, betonicæ, & ivæ arthriticæ, ana, unc. j: misce simul & incalescant in sartagine: fiat pulvis quo blanda manu articuli contrectabuntur.

℞. Gummi pini, resinæ pini, emplastri diachylon ireati, & de vigo sine mercurio, ana, unc. j: picis navalis, unc. ij: sulphuris vivi, unc. ß: cum oleo irino fiat massa emplastri: extendatur super alutam, & admoveatur ossi sacro & ischio utrique.

℞. Succi salviæ, vini albi, ana, unc. ij: gummi pini, unc. ß: mastiches tenuiter pulverizatæ, unc. ij: ceræ novæ, unc. iij: olei chamæmeli, quantum sufficit: misce omnia diligenter & coque ad consumptionem vini & succi salviæ, & fiant magdaleones ad usum dictum.

Ad eumdem scopum id quod sequitur est institutum.

℞. Succi granorum rhamni (burga spina vulgo dicitur) lib. j: sacchari, unc. xij: fiat syrupus coctus perfecte: aromatizetur cinnamomo & caryophyllis: dosis sit unc. ij. cum dr. jß rhabarbari pulverisati.

℞. Pilularum sine quibus, dr. jß: cocciarum, dr. j: de hermodactylis & aggregativarum, ana, scr. ij: agarici recenter trochiscati, dr. ß: turbith electi, scr. j: seminis ebuli, dr. j: excipe cum syrupo de stoechade: fiat massa utenda præsertim hyeme.

Sequuntur & aliæ utendæ semel hebdomade paullo ante cœnam.

℞. Aloes, dr. jß: rhabarbari, unc. j: agarici trochiscati, dr. ß: pilularum aggregativarum, scr. ij: omnia excipiantur sequenti decocto.

℞. Agarici fœminæ, dr. j: turbith, scr. ij: foliorum salviæ, majoranæ, ivæ arthriticæ, ana, dr. ß: seminis coriandri, schœnanthi, ana, scr. j: fiat omnium decoctio in duabus partibus aquæ, & una vini albi, quoad redeant ad unc. ij: adde mastiches, nucis moschatæ, caryophyllorum, ana, scr. j: salis gemmæ gr. vj: inspissentur super cineres calidos: eo liquore, loco syrupi, inspissetur & formetur massa præcedens.

ANNOTATIONES.

1. *Admirabilis est arthritidis ipsius generatio & morborum nervos & membranas partesque nervosas occupantium. Ad id enim maxime videtur facere ipsius nervi σύνθεσις, & συμπάθεια* (z), *cum iis quæ sui sunt generis, & propter*

(z) Colligatio & consensus.

propter continuationem nervorum & eorum exquisitum sensum. Accedit & quod nervi medulla longe sit alia temperamento a temperamento ipsarum membranarum nervos investientium. Sic quod remedium est ipsius medullæ cerebri, idem potest esse incommodum naturæ ipsarum membranarum. Id quod ipsi cerebro contingit. Nam ipsum natura habet temperiem humidam non modo in pueris, sed etiam in perfectis. Id quod plane Galenus ad Aphor. 24. lib. 3. *ubi locus male est explicatus a Leoniceno.*

2. *Atque unum notandum est quod pertinet ad cognitionem naturæ somni nocturni. Illud enim experimento constat eos qui cum suis vestimentis super lectum dormire volunt, præsertim si nocte id fiat, rigescere, & nescio quam lassitudinem persentire cum molesto punctionis inexplicabili sensu: quod non ita evidenter interdiu evenit: quod temporis nocturni naturæ & temperamento tribuendum videtur; una enim cum recessu, & inclinatione solis, fit nescio quæ mutatio in humoribus, recessus, & per quamdam ἀντιπερίστασιν* (a) *eorumdem reciproca successio, quæ potissima videtur esse causa. Quid si dicamus arthritin quamdam esse febrem articulorum, & particularem esse febrim, velut κοπιώδεα* (b)*; unde videmus eos qui horrent & rigent dolorem nescio quem inexplicabilem persentiscere in nervoso & musculoso genere. Sed notandum unum de fuliginoso excremento quod Galenus* Comm. ad Aphoris. 15. lib. 3. *ait naturæ operationem subterfugere, quum nec assimilari, nec agglutinari possit corpori quod nutritur. Et illud est forte excrementum fuliginosum quod suppressum dolores excitat & varia symptomata.*

3. *In articularibus morbis ab iis diureticis est abstinendum quæ impense calefaciunt, & sanguinem fundunt.*

4. *Forte in cura arthritidis unum omittitur, quod tamen facile esset. Nam Plinius cap. 9. lib. 28. ait inter exempla exitisse quosdam qui lac asininum bibentes liberati sunt podagra & chiragra: id quod non est præter rationem: nam acrimonia seri tantorum dolorum causa esse solet. Quod si aut proba victus lege, aut asinæ lacte, aut alia arte corrigi emendarique potest, huic quædam a sævis iis doloribus immunitas consequatur necesse est.*

5. *Notatu dignum plerosque vertiginosos, arthriticos & cephalalgicos a molestiis morbi, saltem incrementis, vindicari adhibito ad eam partem ruptorio quæ ἴνιον* (c) *dicitur, ac præsertim ad extremum ejus, quod est initium ejus scrobiculi qui in fine occipitis est qua multi nervi decurrunt. At revera nulla pæne molestia nulloque incommodo id fieri potest, & hinc profectus maximus consequitur.*

6. *Notandum hoc quod sequitur ex Galeno* ad part. 66. lib. 3. de articul. Frequenter in ossibus, membranis aut nervis mucaginosus humor colligitur. Carnosa autem pars propria sui ratione mucosa non fit. Pituitosus & mucaginosus humor collectus ægre exinanitur, quum nec perfusione, nec cataplasmatis nec medicamento attrahatur, aut discutiatur, nisi prius attenuatus, & in vaporem resolutus. Et quoniam lentus humor ægre in vaporem

(a) Circumobsistentiam contrarii.
(b) Lassitudinariam.
(c) Cervix.

vaporem discutitur, ideo ægre quoque evacuatur. *Et hæc illius humoris glutinosi contumacitas, dolorem semel obortum fovet diutius atque alit.*

7. *Folia commendari solent ad sacros ignes, & totus rhamnus dicitur vim habere siccandi & digerendi. Forte in eum finem succus granorum ejus datur ad serum corporis consumendum.*

CONSILIUM IV.

De Epilepsia.

A Morrhæi Consulis filiolus jam ante morbi sui historia enarrata innotuit: nunc auctarii vice capita aliquot deliberationis institutæ adjicientur: horum enim intelligentia latius manans ad alios pertinere potest. Epilepsia mater puerorum vulgo dicitur, quod ejus rudimenta quasi etiam a matre rubente ducta esse videantur. Et quod convellantur sæpe & facile id non tam productive fit quam susceptive: id est, non tam ob humoris ad id pariendi idonei copiam fit, quam ob nervosi generis imbecillitatem (2); quoties autem partes aliquæ aut natura, aut alia ratione sunt imbecillæ, minima occasione offenduntur; accedunt & dentitionis molestiæ, & febres ardentes quæ humores irritant, animant atque acuunt. Annotavimus in historia de eodem puero, in ea familia dentitionem non nisi ad mensem undecimum apparere, quod quum συγγενὲς sit, tamen aut imbecillitatem summam declarat, aut insignem duritiem aut mollitiem gingivarum. Et quum ad mensem quintum eæ molestiæ convulsionis apparuerint, id factum est bifariam, aut quod summa sit aptitudo ad epilepsiam in eo puero, aut quod tametsi in ea familia tarda sit dentium eruptio, tamen natura non desiit aliquid aggredi; & quum materia indisposita esset, & pars, inanis iste conatus molestias suas habuit. Nostra hæc fuit deliberatio. *Vide pag. 112.*

Cuique ætati sua est sanitas, suus & morbus: id summus Hippocrates abunde persecutus est. Sanitas quum omnium partium ea est conspiratio ut & humorum & spirituum & partium solidarum ratio probe sit constituta, morbus vero contra. Morbus aliquando ratione unius partis evenit, aliquando totius corporis. Partis, quum pars aliqua momentanea laborat cui corpus consentit: hujusmodi sunt cor, hepar & cerebrum. Hoc, ait Hippocrates, maxime ad sapientiam facit, & omnis intelligentiæ internuntius esse dicitur. Afficitur aliquando per se, aliquando ex eventu, in pueris utroque modo laborat. (3). Per consensum ratione lactis acriusculi, vermium, & torminum. Per se ob mollitiem, & facultatis animalis imbecillitatem: ideoque quum congener sit, minus formidandus Medicis videtur. Sed in hoc puero aliquid præter rationem apparet quod aut peculiare vitium, aut cerebri, aut totius corporis, aut

aliquid συγγενὶς (*d*) declarat : cerebrum aut humidius, molliusve, aut affectum graviditatis tempore. (4) Mater enim metu sæpe consternata est, hoc autem valde afficit : accedit ad eam opportunitatem cæli inclementia. Si umquam enim alias cerebrum in omnibus fere epidemice afficitur, & dormiendi impotentia est. Et ut malo occurratur, hæc consulta sunt.

Nutrix repurgabitur semel mense : & si res tulerit, vena aperiatur. Temperandum a cibis qui crassum succum & flatum generabunt : elixis utetur. Jusculorum usus non erit multus nisi lac deficiat. Abstinebit vino, utetur aqua coriandri aut simili decocto. Fricabuntur membra pueri blanda manu, & a cunarum magna agitatione abstinendum.

Puer purgabitur diluto rhei infusi in decocto radicis pœoniæ, betonicæ, buglossi, florum cordialium addito semine citri. Non lactabitur ita sæpe & sine ordine, si patitur quies pueri. Pultis loco panata dabitur in qua dissolventur aliquando grana aliquot radicis pœoniæ & corallii rubri. Fontinellæ capitis applicetur pannus lævis & molliusculus, & in duplatura inspergetur pulvis majoranæ cum semine nigellæ, aut suffietur pannus vernice & ligno aloes. Appendebit collo nodulus solemnis. Utetur opiata ex conservis cephalicis, addito mithridatio cum pulvere pœoniæ.

ANNOTATIONES.

1. *Duodecimo ætatis mense interiit. Aperto cadavere ingens aquæ copia in cerebro reperta est : nervi optici erant valde angusti, alii nervi erant duplo fere majores.*

2. *Nosse autem oportet imbecillitatem partis non esse sufficientem ad generandam passionem in intermedio tempore paroxysmorum : id est, in tempore ipsius quietis : in quo nil infestatur, etiamsi nativa imbecillitas sit continua. Quod a Galeno hic dicitur ad omnes morbos redeuntes extendi potest.*

3. *Galenus Com. ad Aphor.* 28. *lib.* 6. Necesse est cerebrum natura imbecillum si epilepsia corripi debet. *Et ad finem Commentarii* : Multi habent parentes podagricos, aut aliis morbis obnoxios in quibus vitiatum semen erat, atque ideo natis vehementiorem fecerunt partium imbecillitatem.

4. *Circa materiam de epilepsia hæc quæri jure possunt : Si materia epilepsiam committens ea est quam confinxit Galenus, cur innumeri catarrhosi, & quibus multa pituita plenum est cerebrum epileptici non fiunt? An quia est dispositio aliqua, an non? Et si est dispositio, an prius inducta est, an simul cum materia inducitur? Si materia id facit, quare non omnes epileptici fiunt? An quia materia aliam acquirit qualitatem? Qui subtili sunt ingenio & delicato cerebro, ii facile in epilepsiam cadunt, item qui crasso & obeso sunt corpore, & obtuso ingenio. An id eadem ratione? nequaquam : exquisitus sensus id facere potest : Omnis pars delicata & exquisito sensu prædita non facile cumulum fert humorum, & tetra adversaque anathymiasi promte feritur. Immo etiam*

solo

(*d*) Cognatum.

solo jejunio facile nervi laborant. Et melancholicis, quia assiduis agitati curis spiritus & sanguinem inflammant, cerebrum a sua mole facile obruitur.

5. *Si ἔκλαμψις* (*e*) *causa est cur juvenes liberentur epilepsiæ molestiis, cur abstinentia vini confert? Cur phlebotomia confert? Nam illud ad coctionem & illustrandos spiritus facit: hæc refrigerat, & nervos debilitat, immo cerebrum debilius facit. Fateor quidem phlebotomiam conferre si certum sit a copia sanguinis, & nimio ejus fervore malum repetere: sed si localis in cerebro sit dispositio, pace aliorum dicam conferre non videtur. Quod ad usum vini refert, non ita lædere videtur ut quidam putant: nam alimentum est, & alimentum medicamentosum. Si ideo nocet quia vapore lædit cerebrum, innumera remedia calida dantur & cephalica quæ calore & tenuitate partium caput feriunt, ideo quæ ratio vinum interdicit, eadem & id genus remedia interdicere deberet. Hoc forte negotium quibusdam daret. Item vinum mirificas dotes habet: a cruditatibus vindicat: hæ autem sæpe incubonis & epilepsiæ parentes esse solent. De vini dotibus hæc Galenus*: Calefacit vinum corpus totum, & cito movetur ad partes omnes: *accedit quod χυμὸς χρηστὸς ἐργάζεται* (*f*), Com. ad Aphor. 56. lib. 7. *Sed est locus apud Galenum* Com. ad Aphor. 5. lib. 5. *ex quo possis arguere epilepticis, præsertim a materia frigida, & succo crudo, juvantissimum esse vini usum: loquitur de convulsione, quam ut inducit vinum, ita eamdem dissolvit. Verba hæc Galeni*: Vinum copia substantiæ nervis convulsionem affert: rursus autem qualitate sanat eam quam fecit dispositionem, nervos calefaciundo exsiccandoque. Et si hoc aliquando non facit, mortem sequi necessarium est. Hæc ratio ad epilepsiam transferri quoque potest.

CONSILIUM V.

Ad Dominum Lescotium. De Melancholia hypochondriaca.

VIvere quidem magnum quid est, at bene vivere melius & optabilius est: bene autem vivit qui integra sanitate fruitur: & qui probe munia & corporis & animi exercet, nec facile de sanitatis statione depellitur, integre sanus exsistit. Si æger animus est perturbationibusque facile decutitur, sanitas corporis fere lubrica est: si laborat imbecillumque est corpus, vix libere suas functiones exercet animus: quamquam sæpe valet ingenio, cui vis firmitasque a natura negata est: quorum enim felicitati ingenii natura prospexit, in iis fere corporis firmitatem neglexit. Et

Raro utrumque Deus cuiquam largitur, ut idem
Sit sapiens & sit robusto corpore pollens.

Quod si alterutrius optio fiat, malim tamen valere animo quam corpore: Utriusque tamen summe & impendio magis sanitas optanda est: fe-

(*e*) Elucescentia.

(*f*) Succos bonos & utiles operatur.

re enim utriusque est tantus consensus, ut unius sanitas ad alterum fere redundet: id declarat ingenium humoris melancholici; etsi enim per se corpus afficit eique vim infert dum viriditatem decutit, tamen & animum facile attingit: unde quum melancholico humore corpus tenetur, animus inficitur ac fascinatur. Et hic non tam corpori, quam ægro animo medicina quærenda est: quamquam morbi pertinacia sæpe remediorum vim eludit. Id vero crebrius fit in iis quibus corpus molliusculum datum est: hi enim facile a perturbationibus se vinci sinunt (2): eam non tuentur constantiam quæ homini vere ἀνδρὶ (g) convenit, ut in quadam æquabilitate vitam exigat. Inconcussus manet omnes perturbationum radices elidens. Qui molles sunt & muliebres, minimo etiam vento rapiuntur, & coloris in facie magna & subita est mutatio. Si qua est coloris suavitas, hæc mox in auriginem, fœditatemque commutatur. Contra animi æquabilitatem coloris in facie viriditas (quod politico more Hippocrates vocat χλώρασμα λαμπρὸν) (h) perpetuo consequi solet. Sed ne hic Phormio Græcus coram Annibale dicat, capita aliquot conservandæ sanitatis perstringemus. Hæc non homini, sed Calliæ scribentur. Primum est ut intestino & gentilitio, ut opinor, lactium incendio occurratur: id enim morborum iliadem afferre solet, quod pluribus non explicandum. Nimietas omnis vitanda est: & ut satietas fraudi est, ita quoque abstinentia & inedia impense nocet: frugalitas media esto. Illa morbos a repletione parit, hæc humores adurit, & corpori squallorem inducit: id autem naturæ tuæ adversum est. De vino nil loquor, quod te victus cultusque quotidianus moderate eo uti docet: omnino autem abstinendus non es, quoniam coctioni & humorum distributioni operam dicat: jucundiorem vitam facit sed breviorem: idem facit quod calx arborum radicibus affusa, celerius maturescunt fructus, at arbor facile tabescit. Frigidæ potus solus non convenit, vias enim obstruit, obstructio alimenti distributionem impedit: hoc autem tabum ac marcorem corpori conciliat. Hinc videmus multos copiosiore alimonia utentes etiamnum elanguescere ac extabescere. Alimenta humidiuscula convenient. Assa non ita erunt ex usu, bilem quippe ingenerant. Multa de industria prætermitto quæ etiam lippis patent. Acetaria omnia obsunt, etsi enim lentam cibi cupidinem acetum sollicitat, dum humores subigit & fermentat, noxium est valde. In usu capparum, qui frequens proderit, perexigua aceti affusio esto. Interdum clysteribus blandis uteris; apagesis frequentiorem medicamentorum usum. Purgatio quidem, ait Celsus, interdum necessaria est, frequens periculum affert: assuescit enim non ali corpus, & ob hoc infirmum erit, quum omnibus morbis obnoxia maxime sit infirmitas: ac cavendum ne in secunda valetudine adversæ præsidia consumantur. Detractio sanguinis, nisi si quando res urgeat, spiritus exhaurit, vires exsolvit, oculos hebetat, corpus siccat, maturam senectutem reddit. Idem meo judicio evenit hominibus quibus sæpe secatur vena, quod & arboribus quæ insitionem

(g) Viro. (h) Splendidam viriditatem.

tionem patiuntur; silvestres luxuriant magis & plures producunt fructus: at insitæ non ita sunt feraces, διὰ τὴν ἕλκωσιν (*i*), ut loquitur Theophrastus. Insitio enim quæ cum vulnere fit, ipsa ipsas mutilas & imperfectas reddit. Frequens vero venæ apertio vi ob insitionem illatæ respondere videtur. Cassia cum tamarindis tibi erit benignum medicamentum: vel ejus loco uteris eo syrupo quem non ita pridem tibi concinnavimus. Crudus non dormias, nec immoderatæ exercitationi te dedas. Piperatis, salsis & acidiusculis carebis: alterant enim hæc sanguinem. Et quoniam aliquando ipsæ voluptates & veneres videntur illiquefactæ ad animos nostros perfundendos, ἐν τοῖς ἀφροδισίοις (*k*) restrictus esto: hinc corporis tabes, & animi ἀτονία (*l*). Somnus statim a cibo fugiendus, diuturnior quoque: ut enim moderatus corpus exhilarat, ita immodicus idem exsolvit. Non placet eorum vitæ ratio qui in pastibus nullam servant legem: sæpe de industria non cœnant, & prandio liberaliore omissam cœnam compensant: immo, quod omnino sanitati officit, cursu, luctaque unius diei integri, omisso & prandio sibi famem opsonant, ut in cœna avidius ciborum desiderium expleant. Hippocrates ea de re librum integrum fere scripsit. Ut mirum non sit si plerique incogitantes filum vitæ, cujus amœna est fruitio, præcidant. Et ut tandem finiam omissis multis leviusculis Celsi quemdam vitæ canonem præscribemus. Sanus homo, &c. Hæc quum facere possis quid obstabit quominus fiant?

ANNOTATIONES.

1. *Melancholici* (*cujusmodi erat is æger de quo hoc loco agitur*) *perpetuis querelis Medicorum aures verberant: sed quum assiduæ querelæ hunc finem habeant, ut tandem queri pudeat, hoc in melancholicis non est audiendum. Manardus* Epist. 5. lib. 4. Epist.

2. *Huc pertinet locus præclarus* cap. 1. lib. 5. de locis affectis: Quibus vitale robur infirmum est, animi vero perturbationes ob ἀπαιδευσίαν (*m*) fortes, iis facile animæ essentia dissolvitur. At vir magnanimus, nec ob tristitiam, nec ob perturbationem fortiorem succumbit, ut pote cui animæ robur validum, animi vero affectiones non ita sint vehementes. *At præstaret Græcam litteram afferre.*

3. *Cicero coloris suavitatem vocat in Oratore. Et opponi potest verbum* ἀπανθεῖν καὶ παρακμάζειν, *id est, vigorem amittere & defloresscere. Unde ad eum sensum Cicero dicit, formæ dignitas aut morbo defloresscit, aut vetustate.*

(*i*) Propter exulcerationem.
(*k*) In Venereis.
(*l*) Dissolutio.
(*m*) Imperitiam.

CONSI-

CONSILIUM VI.

De Pulmonis vomica.

JO. Taſſini Hiſtoria prima narrata eſt, & ea aliquid commemorabile habuit: non enim certo tam inſolentis morbi & ſymptomaton cauſa teneri potuit. Sed exitus morbi qui eum uno poſt anno prehendit, & de medio ſuſtulit, unam ex conjecturis veram eſſe comprobavit. Vomicam aliquam ſubeſſe conjiciebamus a qua vapor teter efferretur, vehementium ſymptomaton auctor. Rationes quæ adducebant ut crederemus vomicam eſſe a qua vapor ſurſum elevaretur, expoſitæ ſunt. Nec ego umquam putaſſem elatum a pure materiave purulenta vaporem tanti eſſe 1. Ad menſem Auguſtum dolore capitis incredibili tentatur, febris aſſidua, jactationes, verebamur ne in ea incurreret in quæ prius ceciderat. Multum ſanguinis e naribus fuderat antequam morbo prehenderetur. Statim injectum enema, miſſus ſanguis. Eodem die datum medicamentum: alvus liquidiſſimis excrementis fluxit: nec quicquam compactum apparuit. Ingens erat incendium, & vires naturæ dejectæ erant. Dolorem lateris querebatur, & ad regionem hepatis: iis locis pungentem ſe dolorem & lancinantem percipere ac ſentire narrabat: de vomica conjectura augebatur. Sæpe vox deficiebat, ac ſi aut pulmo confoſſus, aut perforatus, aut adhærens eſſet. Nil purulentum expectoravit. Non poterat multum & affatim bibere, quia deficiebat ſpiritus: & potus velut in cavum deſcendere videbatur. Septimo die tandem cum ſudore pingui interiit. Aperto cadavere deprehenſus eſt pulmo adhærens tum in parte dextra, tum ſiniſtra coſtarum: membranæ utrimque ſublivebant: circum gibbum diaphragmatis pars pulmonis tota in pus & ſaniem fœtentem liquefacta erat. Magna quoque puris materia transfluxerat in hepatis regionem, & ibi concluſa erat: nova ibi vomica concluſa videbatur: at non erat. Totum corpus internum fœtens admodum erat; hepar ſanum & lien: inteſtina alieno maxime colore. Anno præterito quo graviſſime laboraverat, ut ante diximus, purulentas habuerat dejectiones. Ac credo idem hoc poſteriore morbo naturam moliri voluiſſe, ſed vias non fuiſſe idoneas & faciles. Credo quod ſi uſtus fuiſſet, aut ſectus, magna ſalutis ſpes affulſiſſet (2). Nec mirum ſi periclitatorum cæca medendi ratio, ſæpe Methodicorum & Rationalium præceptis & ratiocinationi anteeat. Et quum ſummus Hippocrates paſſim hoc remedium in libris περὶ ἐμπύων (n) uſurpet, numquid ſatius eſt aliquo remedio cruento & ancipiti certiſſimam mortem, ſi aliter facias, & id remedii genus omittas, redimere? humanum eſt & officii plenum aliqua ratione ægrorum miſerorum dolores elevare, atque id magis ſi cum aliqua ſalutis ſpe.

ANNO-

(n) De ſuppuratis.

ANNOTATIONES.

1. *Verisimile est in febribus putridis a loco & foco ipso vaporem excitari ignitum cor appetentem & ferientem, qui donec discussa fuerit materiæ pars a qua est elevatus, alit febrem. Ut enim in ægro nostro deprehensum est, a certo foco, nempe a vomica, suscitabatur vapor qui & ἀφωνίαν* (o), *& febrem excitabat, & veluti miraculo quodam paroxysmus solvebatur: deinde redibat terrifico modo. Magna est vis vaporis maligni præsertim ubi est ἐξοχὴ τοῦ σηπεδόνος* (p), *ut aliquo loco loquitur Galenus.* In Coacis Hollerii *multa continentur quæ ad demonstrationem hujus difficultatis bibendi, nullo in faucibus tumore exsistente, pertinent.*

2. *Hinc putris erat pulmo, imminutus, semilacer, & adhærescens: in tali casu oppugnare oportet putredinem per siccantia. Et tamen vulgus Medicorum fere humectantia consulit, sic dum habet rationem cujusdam extenuationis, liquida putrefactiva præscribit. Galenus multo melius* capite ultimo lib. 4. de locis affectis, *quum in eo casu desiccantia, & aromatica præscripsit. Vide diligenter locum istum.*

CONSILIUM VII.

De Tumore hypogastrii.

IN tribus maxime rebus disputatio versata est: primum ut tumoris ventrem occupantis & propria sedes & causa quæreretur: deinde legitima medendi via consuleretur: tertio, de futuro eventu; an novum aliquem morbum minaretur, an suppurato, aliave ratione tumor solveretur. Difficultatis cardo in eo vertebatur quod quum decem ante mensibus & difficultas spirandi summa esset, & tumor in regione lienis perciperetur, nec non dolor ad mammam usque sinistram exporrigeretur, nunc mutata sede ac solio sub umbilicum tumor latitet prementi manui sese offerens. Prius hypochondrium sinistrum proprie dictum occupabat, nunc vero eam partem quam Hippocrates proprie ἧτρον, & hypogastrium, nos abdomen & sumen appellamus, invasit. Et quod mirum fuit, repente devolutum est id quod ad lienem manui durum occurrebat: ut jam aliquis suspicari possit, aut lienis extremum obduruisse, aut corpus ipsius, si Diis placet, laxatis veluti vinculis illuc provolutum. Sed doloris vacuitas satis declarat nullam esse relaxationem, immo sunt argumenta lienis & bene habiti, & situm positumque suum retinentis. Ceterum, quum durities, sublimitasque ventris (quæ μετεωρισμὸς (q) Hippocrati dicitur)

 aut

(o) Aphoniam.
(p) Excellentia putredinis.
(q) Meteorismus.

aut hypochondriaca ſit, aut hypogaſtrica, aut hyſterica, nullo exſiſtente argumento, aut hypochondriacæ, aut hyſtericæ, reliquum eſt ut ſit hypogaſtrica, & proprie κατὰ τὸ ἧτρον (r). Contrectanti hypochondrium utrumque molle ſatis, & æquale apparet: ſic & jecur & lien omni culpa vacant. Menſtrua purgatio convenienter ſatis fit, ſic uterus in vitio non eſt. Reſtat ut tumor in meſenterio ipſo ſit, aut in epiploo. Si quis contingat, fere ſeſe prodit, ut credibilius ſit ad epiploon quam ad meſenterium tumorem pertinere. Indolens eſt tumor, durus, digitis non cedens, inveteratus, ſic ſcirrhi magna ſuſpicio eſt. Quod pertinet ad repentinam eam a ſiniſtro hypocondrio ad umbilicum devolutionem, id novum non eſt, quum & Hippocrates ſcribat: *Tumorem in hypochondrio affligentem, ſi recens fuerit, & ſine inflammatione, ſolvit murmur circa hypochondrium: maxime vero ſi cum fæcibus & urina excernitur. Si vero non tranſeat, juvat eum ad inferas partes devolvi.* Id quoque explicat Hippocrates: *Lien elevatus & impletus diſtribuit id quod continebat per venas corpori, & maxime in omentum & locos circa ventrem & crura.* Et quum ægra noſtra ſatis intemperanter aquam hauriat, & pravo utatur victu, non mirum ſi ſplen facile colluviem ſuſceperit, cujus partem in omentum depoſuerit. Et quum ſæpius diarrhœa ac cholera morbo tentata ſit, declarat id interceptionem aliquam chyli, qui moram trahens corrumpitur, & dum per id tempus id quod tenuius eſt excernitur, id quod remanet vel intextum partibus, indureſcit facile ac lapideſcit: unde in iis partibus & ſteatomata, & ſcirrhi, & cancri denique ipſi ſectione corporum deprehenſi ſunt. Nunc curationis capita perſtringantur. Ex intervallis corpus repurgetur, præſertim ſenna, ne educta tenuiori parte humorum, corpus illud indureſcat: frequenti uſu enematon ex capitibus vervecinis decoctis cum multa mercuriali & malvis. Uſus fotuum remollientium non ita frequenter convenit, ne ſcirrhus irritatus cancrum accerſat. Spes nulla ſuppurati eſt. Ita enim tumor ſubter umbilicum raro in pus vertitur, contra in ſuperioribus partibus ob loci calorem: Galenus: Et quum abſit febris minor ſuppurati ſpes eſt ut *ex loco Progn.* patet. Quod ſi educi poſſit aut clyſteribus aut profuſione urinæ craſſæ, & veluti γονειδὲς (s), id moliendum. Ita enim Hippocrates obſervat in Perintho excretam urinam, quæ contenta haberet genituræ ſimilia, aliquando abdominis tumores ſolviſſe (3). Quotidie mane illinetur pars butyro recenti vino albo eloto, addita portione medullæ cruris bubuli, aut vitulini. Quod ad præſenſionem attinet, niſi ægra moderato victu utatur, verendum eſt ne in hydropen incidat: Facilis enim cumulus erit humorum, & carnium conſumptio, unde hydropis metus.

Part. 25. lib. 2. Prognoſt.

1. de morb. mul.

Comm. ad part. 41. lib. 1. Progn.

Ad particulam 35. lib. 1. Prognoſt.

(r) Secundum inferiorem abdominis partem.

(s) Genituræ ſimilis.

ANNO-

ANNOTATIONES.

1. *Et quod mirum fuit id quod viſcus ipſius lienis adaugebat repente ad inferiores partes eſt devolutum. Tunc major extenuatio corporis erat juxta illud Hippocratis : Queis lien efflureſcit iis corpus minuitur. Nunc autem ipſa coloris ſuavitas, & ipſa* εὐεξία (*t*) *reſtitui incipit. Quintus Serenus* capite de tumore Lienis *hoc verſibus bene expreſſit : legentur quum locus poſtulabit. Lien attrahit humiditatem ſua raritate, & ob carnem ſuam criſpam & tortitiam, ut loquitur Aphrodiſæi Interpres. Veteres aquam in liene poſuerunt per ſynecdochen, ab eo quod conſequitur : quia hydrops ſæpe a liene eſt. Meſenterium a lumbis ducit originem ; ſi ea parte fluxio fit, hinc rudimentum hydropis eſſe poteſt.*

2. *Bene cum ægra actum eſt, quod tumoris materia relictis hypochondriis in imum ventrem partem minus nobilem depoſita fuerit. Ut enim ex tumoribus is periculoſior qui hypochondrium dextrum occupat, indulgentior vero, Græcis* ἐπιεικέστερος, *qui ſiniſtrum opinione Galeni : ſic qui relicto utroque inferiores partes laceſſit, minus formidabilis eſt.*

CONSILIUM VIII.

De Febre lenta & Hydrope.

ÆGer iſte febre lenta tenebatur, cum lentitudine totius corporis ; offenſio vocis, & veluti παφλάζων (*u*) erat, ſemiſopitus, ægre movebatur, inappetens omnium ciborum, leucophlegmaticus, (*i*) quæ omnia facultatum omnium imbecillitatem ſignificare ſolent. Vixit ſemper valetudinarius, quod aut vitio diætæ factum eſt, aut gentilitium fuit. Ejus ſorores & fratres fere omnes, antequam conſtantem ætatem attigiſſent, perierunt. Facies etiam ſano peſſimi erat coloris, naſo erat velut gutta roſea latentis elephantiaſeos ſignum. Virium ita effetarum cauſa erat obſtructio, aut partium corruptio, aut ſpirituum diſſipatio, aut cruditas ſumma, aut cacochymia, & penuria alimenti laudabilis quo ſpiritus illuſtrarentur ac recrearentur : magna horum pars concurrerat. Revera & intemperanter vivebat, & eodem modo ſeſe habebat quo & mulieres quæ malacia laborant. Et quum cibum appetiviſſet, eum oblatum averſabatur : id fatiſcentis facultatis naturalis appetentis ſignum eſt Galeno : & ut loquitur Hippocrates, ἀπονενοημένος εἶχεν πρὸς τὰ σιτία (*x*). Sed & aliquid gentilitium erat ex parte patris. Mater longæva vivit, & fieri potuit, id quod ex parte matris vivacis in eo inſitum fuit, cauſam fuiſſe cur ita a

 graviſ-

(*t*) Bonus habitus.
(*u*) Balbutiendo loquens.
(*x*) Deſperatus circa ciborum ſumptiones.

gravissimorum morborum periculis emerserit: ejus enim morbi insolentes fuerunt, & Medicis pæne admirabiles ferunt visos esse eosque terruisse. Credidimus ab imbecillitate cerebri facultate retentrice imbecilla factam fuisse magnam pituitæ prolapsionem, quæ pulmones partim obstruxisset, partim in ventriculum recepta ἐκλύσεις (*y*) quasdam & subversiones stomachi attulisset. Talis occursus & διάχυσις (*z*) pituitæ & veluti σύντηξις (*a*) eum reddidit velut παφλάζοντα (*b*). Hujus vocis quæ sit energia *libro* 2. *Epid. meorum* annotavi. Videbatur esse lethargus ex pulmone, de quo Hippocrates: cujus essentia consistit in anathymiasi crassorum & malorum vaporum a pulmone pituita putri pleno elevatorum. Tamen non fuit magna δύσπνοια (*c*), unde colligebant in pulmone vitium non esse.

3. *de morbis.*

Febris erat lenta symptomatica, qualis in vitio partium ipsarum hepatis præsertim solet esse: unde Hippocrates in uteri corruptione non requirit magnam febrem, πῦρ (*d*), inquit, βληχρὸν (*e*) est. Quod notandum ne febris simplicitate, & εὐηθείᾳ (*f*) quæ apparet, decepti, aut in diagnosi, aut in prognosi labamur. Medicus primarius requirebat febrem majorem quæ solvendo, & coquendæ cruditati satis esset: quod Hippocrati apoplexiis febris succedens ἀνάλογος (*g*) sæpe materiam coquendo conferat. An tamen febris aliquid proficiat in morbis, aliis jam locis explicatum est.

1. *de morbis.*

Ceterum quum noctes insomnes haberet, & jactationis plenas, ausi sumus venam aperire: fluxit sanguis corruptus. Et quoniam videri potuit quibusdam in tanta cruditate & rudimentis hydropis minus securam esse phlebotomiam, defendimus hoc nostrum factum auctoritate Tralliani quam expendit Langius. Trallianus in curando anasarca venam reserat, non ratione quidem frigiditatis, sed quoniam detractio copiæ confert, ut quum ignis suffocatur a lignis viridibus, ligna detrahuntur: sic detractio sanguinis levat naturam parte oneris detracta. Tamen, ut ingenue dicam, ista ratio Tralliani & similitudo, pace ejus dicam, inutilis est: non enim animadvertit in cruditate opus esse multo calore & spiritu: at per phlebotomiam ejus fit evacuatio: unde quibus in ista cruditate mittitur sanguis, omnibus corporis lentitudo & immobilitas quædam advenit: id quod experientia docet. Et in *lib.* 2. *Epid. meorum* annotavi de Domino de Cossigny, cui in consimili pæne cruditate, & corporis catarrhosa dispositione secta est vena: ac statim immobilis & fandi impotens factus est. Salubre quidem & præclarum est remedium venæ sectio loco facta: at intempestiva homini necando, aut morbo protrahendo satis est. Et in nostro ægro pœnituit me facti, quod eventus aliter rem esse docuit quam nos

Trallianus. Langius epistolarum lib. 2. pag. 170. An in Hydrope secanda vena.

(*y*) Solutiones.
(*z*) Diffusio.
(*a*) Colliquatio.
(*b*) Balbutiendo loquentem.
(*c*) Respirationis difficultas.
(*d*) Ignis.
(*e*) Lentum.
(*f*) Bonitate.
(*g*) Analogus.

nos existimavissemus. Et revera nos dehortabatur cruditas, sed cacochymiæ magna suspicio, & dolor nocturnus ad id incitabat. Ac mirum fuit quod statim a venæ sectione dolores quieverunt, & fuit ἀναιδησία (*h*), & fandi impotentia, & τῆς γλώσσης ἀκράτεια (*i*), quod & ab infirmitate erat, & a copia pituitæ quæ a cerebro liquescente manans proluebat radicem linguæ & quodam modo afferebat παράλυσιν (*k*). Caput in superficie adeo erat siccum & squalidum ut exustum plane videretur & extabescens.

Istius lentitudinis causa relata est maxime ad hepar & partes naturales, in quibus quum plurima foret cruditas, & febris lenta, plus excitabatur crassorum vaporum quam dissipari posset. Propterea si major fuisset febris, spes esset aliqua dissipatum iri crassos istos vapores qui spiritibus viam obstruentes corpus ita ignavum & lentum reddebant. Videmus enim quum ligna viridia sunt, & ignis paucus, plus excitatur fumi quam si res ita non esset. Quamquam & accusabatur & pulmo & caput.

Consultum est ventriculo fotibus ex nardino oleo: nam Galenus syncope opitulari ait litum nardini olei & similium ad os ventriculi. Clysterum frequens injectio ex cephalicis & detergentibus. Bolus ex conservis anthos, rosarum, buglossæ & theriaca. Purgatio ex rheo cum aloe. Decoctum origani, betonicæ cum semine, & radicibus pœoniæ sub forma oxymelitis. Duodecim post diebus interiit veluti paraplecticus.

ANNOTATIONES.

1. *Antequam sic affectus esset, pedes intumescebant & detumescebant: post remansit major pars materiæ in ventre. Locus est præclarus* lib. de affectionibus: *Hippocrates dum rationem reddit cur initio detumescant & intumescant pedes, deinde non sit fugax tumor, quoniam initio vapor sanguineus est causa hujus rei. Sed quia successu temporis pituitescit magis materia, ideo manet. Vide id quod Christoph. a Vega annotavit* in lib. 2. Prognost.

2. *De hoc Lethargo vide* lib. 2. Epid. meorum.

3. *Febres quæ sequuntur vitium* τῆς ὅλης οὐσίας (*l*) *partium maxima ex parte sunt lentæ, symptomaticæ & periculosæ, & incautis Medicis ægros necant.*

4. *Consimilis est morbus descriptus a Manardo* Epist. 5. lib. 14.

(*h*) Insensibilitas.
(*i*) Linguæ impotentia.
(*k*) Paralysin.
(*l*) Totius substantiæ.

CONSILIUM IX.

De Φιμώσει (m).

FIlio H. M. Consulis contigit affectus qui Græcis φίμωσις dicitur: a causa procatarctica fuit: nam quum pruritui satisfacere volens partem defricaret, ulcusculum contigit: neglectum vero, diuturnitate cicatricem callumque contraxit: hinc restricta coactaque cuti, glans detegi non potest. De ea affectione ita strictim dicendum, Φίμωσις ἢ περιφίμωσις (n) indifferenter & ad viros & ad mulieres pertinet. Id aut causa, aut natura contingit. Si in viris glans non detegitur, sed præputium undique fere coalescit, φίμωσις dicitur. Si ita glans denudata deducto retrorsum præputio ut tegi nequeat, περιφίμωσις dicetur: quamquam & φίμωσις Manardo vocatur. In mulieribus aliquando sinus pudoris ostiolum non est perforatum, & si id a natura est, ἡ γυνὴ ἄτρητος (o) dicitur: Imperforatas Avicennæ interpres vocat. Si vero casu evenerit, in muliere quoque φίμωσις appellatur: Barbari id vitii capistrationem vocant. Et quum naturalis est meatuum præclusio φιμώσεως nomine donatur, quacumque in corporis parte eveniat: Sed κατ' ἐξοχὴν (p) de præputio dicitur. Porro ἀπὸ τοῦ φίμου (q) etymon est φιμώσεως; φίμος autem significat nexum summi oris perarum & sacculorum, quum toto superiore ejus ambitu in angustum collecto funiculo religantur. Guido Cauliacus præputii clausionem vocat. Paullus Ægineta omnium plenissime egit. Atque ad φίμον (r) in mulieribus laudat insessus emollientes ex hydrelæo, & decocto fœnugræci, item cataplasmata instituit. In viris sæpe fit aut ob cicatricem quæ in præputio concrevit, aut ex carnis incremento, unde coalitus secutus fuerit. In hoc adolescente suspicio magna fuit ulceris, quamquam & a natura visa est hæc pars aliquantum imminuta. Ad finem glandis ulcus erat ἰχωρῶδες (s). Detersum est & curatum. Tandem spongiolæ sunt inditæ angusto meatui, ut is magis pateret: parum profectum est. Cogitabatur de amputatione, aut incisione recta præputii flaccidioris & oblongioris. Res in aliud tempus dilata est. Nil molestiarum afferebat, at metus erat ne non corrumpere virginem posset: nec id abs re, angustus enim valde meatus est. Dum hæc agitarentur, occurrerunt duo eamdem φίμωσιν gestantes, qui in palæstra venerea se non minus strenuos & aptos, quam reliquos affirmarent: & alter jam quinos liberos ex uxore susceperat.

(m) Phimosi.
(n) Phimosis & periphimosis.
(o) Mulier imperforata.
(p) Per excellentiam.
(q) A clausione.
(r) Clausionem.
(s) Ichorosum, saniosum.

CONSI-

CONSILIUM X.

De Catarrho.

NIl tam vulgo jactatur quam catarrhi nomen: nil cujus & cognitionem, & curationem nemo non profiteatur: nil in quo magis peccetur, & imprudentius quisque labatur: immo & imperita garrulaque quæque anus & perichitator quilibet in catarrhis sistendis magnum quid pollicetur: & quo quis indoctior, eo curandi catarrhi peritior censetur (1). At hic video passim unumquemque turpiter labi & decipi: & miseros ægros, innocentes tamen, tantæ aliorum ignorantiæ pœnas luere (2): nam quum materia alias sit tenuis & effera, alias mitis & crassiuscula, non parum interest ad salutem quo quis remedio utatur. Et turpius hic peccatur, quoniam frigus omnis destillationis auctorem statuit: Errandi hæc occasio inde nata est, quod tussim excitet frigidæ auræ adspiratio. At hæc ratio languidior est & enervatior (3). Et dum falso hoc utuntur fundamento, quicquid superstruitur vacillat ac corruit; hinc manavit quorumdam Neotericorum error, qui a frigido destillationis causam arcessentes, vinum, idque generosum tussiculosis præscribunt. At hic error, ut apud Homerum *Iliad. α. v.* 3.

Πολλὰς ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν.

id est, *multas fortes animas ad inferos præmisit.*

Sed ut his prætermissis sanitatis tuæ ratio ineatur, capita hæc breviter perstringam.

Non solum præcautio, sed & curatio necessaria est. Præcautio quidem ut longe ante obviam eamus iis quæ fera in pulmones destillatio afferre solet. Curatio, ut quod præsens est tollamus. Symptoma enim præsens est, tussis partim sicca, partim humida, cujus causa destillatio est. Destillationem autem fovet morbus quidam & diathesis morbosa in cerebro jam firmata: Id Galeno dicitur διάθεσις ῥευματικὴ (t). Est enim perennis generatio humoris efferi in cerebro qui malus ut signum, & ut causa; ut signum, nam significat imbecillitatem quamdam in cerebro, & latens vitium cujus occasione illud excrementum, & serum acre succrescit, facultatem expultricem irritans: ut causa, quoniam non solum male afficit partem a qua manat, sed eas per quas influit, in quas labitur: Unde ejusmodi fluxionis comes est sæpe exulceratio faucium, gurgulionis marcor, pulmonum pruritus quidam, ut placet Hippocrati, vasorum erosio, aut apertio, hinc excreatio cruenta, aut varix in pulmone (ita enim Hippocrates φλεβῶνα ἐν τῷ πνεύμονι vocat) hinc tabes. Nec tabis nomen ita turbare debet: reperio enim apud Hippocratem eis tabem quamdam esse familiarem quibus pulmones calidiores sunt: at talem tabem, præsertim si

(t) Diathesis rheumatica.

ſi ejus cura ſtatim habeatur, annuam, ſed curabilem ſtatuit Hippocrates: nec enim ab ulcere eſt, nec a venenata aura. Omiſſis multis quæ hic narrari poſſent, id totum in quo laboratur ſtatuo eſſe ferinam deſtillationem a capite jam vetere infirmitate prædito: nec ſolum hic accuſo caput, ſed & partium inferiorum cuidam intemperiei conulendum puto. Omitto multa quæ a primariis Medicis præſcripta ſunt: nonnulla tantum adjiciam, ut multorum virorum de tua ſalute ſatagentium conſpirationi tam efferus cedat morbus (4). A medicamentis validioribus abſtinendum: alioqui curſus materiei tam efferæ citabitur magis. Nec ſi dolor capitis oboriatur, propterea ad pilulas veniundum: has cave, & angue pejores vitabis, præſertim aloen ipſam quæ eſt ἀναςομωτική (*u*). Nec facit illud quod ex 5. *Meth. med. ex* Galeno quis objicere poteſt, qui catarrhoſis colocynthiden præſcribit: agitur enim de evellenda materia contumaci. At hic potius temperandum (5) eſt.

Uſus ſyrupi diacodyonis, & de papavere conferet.

In auctiore tuſſi pilulas de cynogloſſo non formidarem.

Conſerva roſarum, violarum, & caro cytoniorum, conſerva nenupharis ſæpe ore teneatur.

Æſtate uteris julepo roſato in rem præſentem parato.

Valebit plurimum ſyrupus ex floribus & germinibus ſalicis, foliis urticæ mortuæ, ſummitatibus viminis rubri, burſa paſtoris, plantagine, addito capite unius papaveris & radice altheæ.

De nocte hordeatis locus erit addito ſemine lactucæ in decoctione.

Gargariſmus ex plantagine, roſis & additione foliorum hyoſcyami valebit: immo inter cetera id mihi placet.

Balneum aquæ dulcis temperatum & egelidum, vitando omnem exſuperantiam.

Lac aſinæ.

Parabuntur pilulæ albæ, hypoglottides dictæ, addito ſemine papaveris.

Mane juſcula cum decocto pulli & pedum vitulinorum, aut capreolorum additis paſſulis, glycyrrhiza & hordeo mundato.

Si cauteria brachio non juvant, applicabitur in occipite.

ANNOTATIONES.

1. *Locus hic præclarus de deſtillationibus, & ſæpe memorandus, ad part.* 18. *ſect.* 3. *lib.* 6. *Epid.* Deſtillationes a capite in pulmonem malignas puta, ſi ſubtiles & corrodentes fuerint. Has nec in pulmone tamdiu morari, donec concocta craſſeſcant, convenit, ut ſunt aliæ fluxiones a tenui quidem materia, ſed non corrrodente & ægre matureſcente, nec rurſus ſtatim eas acres expelli neceſſe eſt. Intus morantes non facile coquuntur, & pulmonem lacerant. Si excernantur, etiam tuſſes moleſtas excitant, a quibus caput repletur, & hoc rurſum deponit in pulmonem, & a tuſſis vehementia

(*u*) Ora aperiens.

vehementia vas rumpitur. Id fit in tenuibus humoribus qui ſpiritum excludentem eludunt. Sic morantes & dum excluduntur, nocent.

2. Ad finem capitis undecimi lib. 5. pathologiæ *Fernelius unum commemorabile annotavit quod pertinet ad dignoſcendum an aliquo tuſſiente affectus cauſa ſit in pulmone, an in capite.*

3. *Catarrhus omnis aut ab externo eſt aëre, aut a nobis ipſis, ut quum meracum bibimus, aut ab intemperie partium. Is autem morbus non eſt, ſed conſequens morbum. Aut enim cerebrum laborat ut pars ſimilaris, vel ut pars organica: ut ſimilaris, ut quum calidius, frigidius: ut organica, quum plenum eſt. Quo enim modo ſe habet diarrhœa ad ventrem, eodem & catarrhus ad caput* cap. 4. lib. 3. de ſymptomatum cauſis. *Hippocrates* lib. de loc. in homine *catarrhum ait fieri a carnibus frigidis, & a calidis: a frigidis per compreſſionem: a calidis per colliquationem. Et* Comm. ad Aphor. 13. lib. 3. *tuſſes & coryzas ſymptomata eſſe ait repleti multum capitis. Duretus interpretans* Meth. medendi Hollerii *de tuſſi multa eaque præclara dixit. Unum eſt maxime difficile & quod Medicos torquet, quid ſit iſta tuſſis quæ vulgo Quinta dicitur. De hac abunde* in 2. lib. meorum Epidemiorum. *Dubitatur enim an iſta tuſſis ſit a capite, an a pulmone, an a partibus vicinis veluti fuſis & liquatis: non quod ſit vera ſyntexis: omnes enim vulgo ad caput ipſum recurrunt. Galenus* Comm. quodam in Epidemia *alias partes quam caput accuſat: ſed id obſcure facit. De ea re diximus* lib. 2. mearum Ephemeridon. *Revera inexplicabilis eſt modus quo fit catarrhus. Nam quid eſt quod quis in cellam vinariam, aut locum ſimilem deſcendens ſtatim deſtillatione laborat? Ubi erat tam multus humor liquatus? Itaque quærenda eſt hujus rei cauſa ſubtilius.*

4. *Nam eſt ubi locus eſt validis medicamentis, eſt ubi non. Unde Celſus* cap. de phteiriaſi palbebrarum *ita ſcripſit* lib. 6. Medicamenta intus lenia danda ſunt ne quid acrioris pituitæ concitent, *&c. Et in ophthalmiis & capitis dolore ſæpe nocent pilulæ. Quam ob cauſam iis qui deſtillationibus ſunt obnoxii, & in metu tabis conſilium eſt Hippocratis, ut incraſſentur impinguenturque: Ita enim fiet ut quum hæmoptoici fiant benignitate frequentioris alimenti, ſanguis bilioſus contemperetur: quod diligenter annotandum eſt. Nam in excretione ſanguinis per os plerique Medicorum exactam diætam præſcribunt. Sed & annotavimus unum valde commemorabile* ex cap. ultimo lib. 4. de locis affectis, lib. 2. meorum Epid. *nempe perperam eos agere qui humectantia impendio magis uſurpant in morbis thoracis: corruptionem ipſius pulmonis afferre videntur. Unde nimius potus, & rerum liquidarum uſus implere pulmones videtur, & ſanguinem ſeroſiorem reddere.*

5. *Tamquam a cauſa ſit frigida omnis diſtillatio, calefacientibus remediis, & pilulis liquantibus omnes pæne Medici utuntur: Item ægri ipſi perpetuo fovent caput linteis ad ignem admotis: contra aliquando caput refrigerare oportet, & humorem a capite ſtillantem incraſſare. Quod Aëtius adſcripſit, dum loquitur de oxyrrhodini uſu in ferina deſtillatione, ait tenuitatem deſtillationis inſpiſſat, exurentem & acrem qualitatem in capite refrigerat, tuſſim ſedat, ſomnum inducit, hoc pauci Medici animadverterunt.*

6. *Poſtquam primarios Medicos conſuluit, iiſque viſum eſt ex uſu eſſe le-*

nientia, mitigantia, catarrhum compescentia, tandem nostro consilio syruporum incrassantium usus visus est necessarius. Lutetiam venit tussiculosus, curis implicitus: debebat enim sistere se coram Senatu examinis ergo. Et quum hinc illincque animus curis agitaretur, bene cœnatus meminit superioris istius Consilii: e Pharmacopolio syrupum de papavere quærit: eo copioso usus est, tum ad catarrhi levationem, tum ad somni conciliationem: Sed suæ imprudentiæ pœnas non longe post pependit: obmutuit enim, & ἄφωνος (x) mansit per duas horas integras: etiam valde agitatus vocem non recuperavit. Huic febris apparuit ingens (ante enim ἀπύρετος (y) non erat) sequentibus diebus veluti balbutiens, & parum attonitus redditus est, multorum obliviscebatur: καταφορικὸς (z) interiit. An usus istius syrupi tantopere obfuit? an materia suppressa quæ καταφορὰν (zz) invexerit? an bonum in catarrhis venenatis & subtilioribus dare narcotica? an non, dum symptomati occurrimus, causam morbi fomitem adaugemus? Etenim in talibus fluxionibus serinis fit quædam διάχυσις (a), & retinens de Natura synectica, & talis humoris suppressio quum aliquid venenati habeat, perniciosa est. Commode per halitum & sudorem exhalaret & digereretur: sed si hydroticis utimur, metus est ne corpus calescat, & humores commoveantur.

CONSILIUM XI.

Ad fœtorem oris.

IN fœtore oris curationis capita hæc sunto. Pars unde prima mali labes diligenter repurganda: toti consulendum. Gargarismis os colluendum. Mane præsertim sialismus provocandus iis quæ temperata sunt: salvia vino macerabitur. Aurum, id est, nummus aureus ore continebitur. Theriaca aut mithridatium quotidie mane devorabitur. Pilularum usus ex rhabarbaro frequentissimus. Tabellæ. Pimpinella macerata in vino: eadem ore contenta. Frequens usus syrupi rosarum pallidarum: vini absinthitis frequens usus. Carnium usus paucus. Vitanda allia, & quæ odore ingrata sunt. Granatorum, & limonum usus jucundus Pomorum aureorum cortex conditus. Usus coriandri. Masticatio nucis moschatæ miro profectu indulgetur. Aqua cisternæ cum rosa ad collutionem oris.

℞. Radicis acori & coriandri præparati, ana, dr. j: dictamni, dr. j: absinthii pontici, scordii, ana, pug. v: buglossi, pimpinellæ, pilosellæ, melissæ, stœchados, ana, pug. ß: florum cordialium, pug. ß: fiat decoctio in qua infunde rhei, dr. ij ß: cinnamomi & nucis moschatæ, ana, scr. ß: expressioni adde, vini albi, cochl. j: syrupi rosarum pallidarum, dr. x: fiat potus.

℞. Coriandri.

(x) Aphonus.
(y) Sine febre.
(z) Cataphoricus.
(zz) Cataphoran.
(a) Diffusio.

℞. Coriandri præparati, unc. ij: pulveris panis tosti, dr. vj: fœniculi dulcis conditi, unc. j: glycyrrhizæ, unc. ß: fiat mixtio.

℞. Tabellarum aromatici rosati & diarrhodon Abbatis, ana, lib. ß: utatur.

℞. Mithridatii, dr. iij: conservæ rosarum, buglossi & violarum, ana, unc. j: utatur mane & hora somni.

℞. Rhei, dr. ij: nucis moschatæ, gr. viij: pulveris aromatici rosati, gr. vj: agarici trochiscati & aloes lotæ, ana, scr. j: cum vino albo infusionis zingiberis & cinnamomi fiat massa utenda ad iv pilulas sæpe ante pastum.

Aquæ Imperialis usus convenientissimus, & vinum absinthites.

ANNOTATIO.

1. *Cum a toto corpore sudor graveolens manat, quod symptoma ut plurimum biliosis & rufo capillitio cuteque subalbida præditis contingit, hac ratione corpus odorum & bene olens redditur, præsertim æstate, quo tempore cutis spiracula & pori patent propter ambientis aëris caliditatem, coquunt radicem cardui benedicti in vino albo, quotidie mane propinant tres vel quatuor uncias, statim a potu hujus decocti urina crassa & fœtens redditur. Vel, accipitur terebenthina Veneta ad quantitatem olivæ cum pari portione mellis, coquitur modice, deglutitur, vinumque insuper bibitur. Alii magno profectu myrrhæ & serpilli pares portiones terunt, & ex iis pilulas formant, quarum duas mane devorandas præbent, insuperque vinum bibendum exhibent. Hæc præsidia non modo ad totius corporis fœtorem, sed etiam ad oris graveolentiam arcendam valent.*

CONSILIUM XII.

De febre continua cum gravibus symptomatis.

VAndolii Historia, & illius qui interiit, cujus mentio facta est *in lib. 2. Epid. meorum*, notanda est & aliquid affine habet cum iis quæ *in Prorrhetico* scripta sunt, quum docet Galenus quomodo multa etiamnum evacuatione facta morbi tamen remaneant. Verba autem sunt hæc, Nempe, quum affectio fit & nondum facta est, separata causa ipsam efficiente, sedatur; si vero completa ea fuerit, etiam si evacuata fuerint illa humida (1), Græce τὰ ὑγρὰ, quæ affectionem procreaverint, nil in sanatione rationis amplius exsistit: Græca verba sic habent, quoniam interpres obscurus est, πλέον οὐδὲν εἰς ὑγίας λόγον: Nihilo magis proficitur quod ad rationem ipsius sanationis pertinet. Quamquam nec nobis placet omnino nostra versio latina: verba enim Græca majorem habent ἐνέργειαν (*b*). De Vandolio res ita habuit. In omni re erat nimius, indulgebat Veneri etiam crudus:

(*b*) Energiam.

curis & sollicitudinibus sese conficiebat, & ut tædia suscepta leniret aliquantum, cibis multis & meraco omnem molestiarum pressum elevaturum sese credebat: Siccum valde & αὐχμηρὸν (c) caput habebat, & ab infirmitate ardoreque concepto per diffusionem quamdam καταῤῥοῦς (d): Cruditas toto corpore multa erat, & partium latens vitium ob causas prædictas. Is febricitare cœpit: rem parvi fecit, sibi ipse Medicus fuit, & inscio Medico tabella magni scutiferi diagrydii, quantitate evacuationem magnam vulgi opinione moliri solita, alvum subducere morbumque tollere studuit. Laxatur alvus intempestive, irritatur destillatio; tussis assidua, febris continua, sudores fere perpetui. Sudorum ista frequentia ab instituto Medicos revocavit: nil enim tentare audebant, quum copiosus esset sudor, & corpus valde sudandi assiduitate debilitaretur (2): In multo hoc sudore spem salutis ponebant. Febris non frangebatur, aut id nos latebat. Secta vena; non abunde detractus sanguis. Septimo die restitutus videbatur. Octavo, febris magna non ad sensum quidem, sero deliria, jactationes, verborum absurditas (3), sudor nullus, lingua sicca & τραχεῖα καὶ (e) fuliginosa: sitis non erat ἀξιόλογος (f): mente parum constabat, ad se aliquando redibat. Exacerbata omnia. Inflammationis, & in gibbo hepatis, & in cerebro magna argumenta decimoquarto die cum sudore diaphoretico interiit.

Nec enim credibile est tantam esse initio mutationem ut resolutio jam adsit. Et quæ per excretionem seu expressionem fit, aut natura, aut arte tentatur. Nec pluribus de eo modo dicendum. Unum tantum obiter monendum: An præsentibus sudoribus initio morborum cessandum, & non aut vena aperiunda, aut corpus purgandum? Omnes enim ab opere cessant. Ego vero existimo etiam moliendum aliquid, quod inanis sit naturæ conatus causam morbi per cutim emoliri volentis: nam sæpe ingens est intus æstus juvans eam excretionem; interea natura satiscit, & nil salutariter excernitur, quia nondum cocta ac mitificata est materia. Et quum principium morbi in isto provocando sudore natura exigit, locus non est solennibus remediis, & ita omnia in pejus ruunt, ægrique male res eunt. Hoc Vandolio contigit: satius enim fuisset naturam nihil moliri quam frustra aliquid moliri. Et nos quum faceremus Medicinam cuidam mulieri regionem hepatis dolenti, nos non revocavit ab una, atque altera venæ sectione sudor: immo inanis iste sudor cessavit refrigerato per phlebotomiam corpore, & levata oneris parte natura, (quod observandum est in Medicina facienda, attamen id caute faciendum.) Incendium erat internum quod sudandi occasionem incitabat. Sed dicet quis, si initio morborum ars alvum etiam copiose fluere facit, vomitiones excitat, & natura idem præstat, cur non & sudores proliciet? Eadem enim utriusque rei ratio esse videtur.

(c) Squallidum.
(d) Rheumaticam.
(e) Aspera &.
(f) Notabilis.

ANNO-

ANNOTATIONES.

1. *Sudor omnis aut fit per excretionis modum, aut resolutionis, aut oppressionis: & hanc postremam explicant Galli quum dicunt*, une sueur d'ahan. *In Vandolio erat potius sudor oppressionis. Notavimus* lib. 2. Epidemiorum meorum, *quid sit corpus esse* ἐν τῇ τάσει καὶ τῇ λύσει (g): *ut epilepsia & convulsio omnis dicatur esse* ἐν τῇ τάσει (h), *paralysis vero & paresis* ἐν τῇ λύσει (i): *quod notandum est. Et numquid id quod de iis affectibus dicitur, idem de sudoribus dici possit, ut sudores qui sunt diaphoretici &* διαπνευστικοὶ (k), *dicantur esse* ἐν τῇ λύσει, *sive per* λύσιν τινα (l); *qui vero per excretionem fiunt* ἐν τῇ τάσει εἶναι (m), *sive* κατ' τάσιν τινα (n). *Quod ex Epidemiis Hippocratis colligi quodammodo potest.*

2. *Aphrodisæus* prob. 122. lib. 2. *quærit cur sudores ante paroxysmum sint graves & molesti, qui febrem sequuntur per relaxationem & remissionem effluunt. Quia qui antecedunt per violentam expressionem destringuntur: Ex Hippocrate* 4. de Morbis, *aliquis probaverit in febribus esse inutiles, quia aqua sanguinis exhalat. Aqua autem repugnat febri ex Hippocrate. Notandum autem, quod sudor omnis fit, aut per excretionem, aut resolutionem, aut oppressionem. Hæc postrema ratio in ægris sæpe observatur.*

3. *Circa sudores multa possent animadverti. Sed duo observari debent, prius, quod sudor tempore erumpens maxime faciat ad morbos judicandos & dolores sedandos. Posterius quod ubi cruditas est multa, sæpe sudores multi sunt. Circa prius peccari solet plurimum: nam quum & apozematis & medicamentis purgantibus alvum sollicitamus, & urinas provocamus, sudandi occasionem demimus. Quibus enim alvus humida est, humorque ad vesicam affluit, sudant minime: ideo natura revocatur ab excretione per sudores. De posteriore ita considerandum ex* Aphorismo 41. lib. 4. *nam in morbos casuri longe ante sudant, & is sudor est prænuntius morbi, quemadmodum, &* κόπος αὐτομάτος (o). *An non potius a cruditate est? & si est, num potius coquendum, quam vacuandum?*

CONSILIUM XIII.

De Ptyalismo.

CApita hæc fuerunt deliberationis: Cur quum macer sit, immo ad tabem vergat, tanta humiditate caput sit præditum ut ptyalismi finis non sit. Forte partes siccæ sunt humiditate nativa, humidæ excrementitia,

(g) In tensione & in solutione.
(h) In tensione.
(i) In solutione.
(k) Colliquativi.
(l) Solutionem quandam.
(m) In tensione esse.
(n) Secundum tensionem quandam.
(o) Lassitudo spontanea.

titia, ut in ſenibus contingit, ut jam ſenectutis ex morbo ſit rudimentum. Et eſt ſumma naturæ infirmitas, & facultatis retentricis imbecillitas, ut jam ſit ῥευματικὴ διάθεσις (*p*). An talibus uſus juſculorum convenit? humidi ſunt, dices, & catarrhoſi, ergo ſiccandi. Item ſiccum ſano propinquius, ut etiam ii qui corpus ſiccant diæta, aut alia ratione melius habeant quam alii. Et homines ſqualidi, ſicci & quaſi ſtrigoſi longius ſæpe vivunt quam contrarii. Et quum cerebrum ſit metropolis humidi & glutinoſi, an non ſervandum ſimilibus?

Hippocr. lib. de carnibus.

Ptyaliſmus aderat. Unde? Nam ptyalizant Hypochondriaci, quibus cerebrum inflammatum, quibus melancholia cerebralis eſt, quibus catarrhus perennis, aut ventriculus humiditate natat, aut corpus lienis aqua plenum eſt: Vel poſt morbos longos ut febres quartanas & quotidianas in quibus tandem ſuperveniunt ῥευματισμοὶ (*q*), ut ait Galenus qui ptyaliſmi ſunt cauſæ.

Lib. de Typis.

Dictum an ſputum omne ſanguinis, præſertim ſi a pulmone, eſſet κακόηθες, ut videtur Galenus docere: an tutus validiorum medicamentorum uſus catarrhoſis & pulmonicis, quod *in primo Tomo Conſiliorum* dictum eſt.

6. Aphoriſmorum.

Videbatur habere excretionem e pulmone & ſemiputrefactam, id eſt ſemicoctam (ἡμιεφθὲς enim apud Hippocratem pro non abſolute cocto & mitificato ſumitur) & effeminatam, Græce ἐκ τεθηλυσμένου, ut vocat Hippocrates, id eſt diſſipatam, divulſam, nil compacti habentem, & abominatur ſputum ipſum; Hippocrates vocat μυσάττεσθαι τὸ σίαλον (*r*), quod aut malitiam, aut malignitatem ſputi declarat, & rei quæ e pulmone excernitur. Ita enim Hippocrates loquitur *lib. 2. de morbis.*

Lib. de morbis.
Ibid.

CONSILIUM XIV.

De febre quartana cum graviſſimis ſymptomatis.

LUdovici du Bex Hiſtoria commemorabilis. Quum febre quartana laboraviſſet diu, & ea quaſi contabeſceret, colicis doloribus crudeliter divexatus & tandem collapſum prope abdomen eſt, & ita emarcuit ut ſceleton eſſe dixiſſes. Inter alia ſymptomata quæ contigere, & quæ Medicis negotio fuere, difficultas quædam potandi fuit: mirum hoc, appetebat cibos, & bene deglutiebat, ſed quum bibebat, ſecundo aut tertio hauſtu tanta difficultas, & moleſta tuſſis contingebat, ut ad nares reſiliret potus. Cauſa cognitu difficilis: nil enim in faucibus tumens apparebat, nullus aderat dolor. Ego id referebam ad ligulæ quamdam contractionem, & aſperæ arteriæ ſiccitatem, quæ efficeret, ut non ſatis obſequeretur

(*p*) Rheumatica diatheſis.
(*q*) Rheumatiſmi.
(*r*) Abominari ſputum.

queretur hauriendo liquori, ita ut in asperam arteriam de potu aliqua pars deflueret: id quod tussim & molestiam afferebat. Alius Medicus ad inflammationem id referebat: decipiebatur meo judicio. Et quoniam res ea est difficilis, legatur *Commentar. Hollerii in Coaca adversaria*: Eo loci abunde de ea re scripsit. Nos ita ægro & admotis & assumtis occurrimus humectantibus & lenientibus: & id profuit. Quum enim pinguior factus est, istud cessavit symptoma. Ita scriptum voluimus, quoniam res ea comtemplatione digna fuit.

CONSILIUM XV.

De ἀμβλυωπίᾳ.

NE malum in oculo obfirmetur, primo quoque tempore danda est opera purgando capiti. Hoc enim mali fomes censetur, non pars alia.

Decimo quinto quoque die deglutientur pilulæ in eum usum paratæ, quarum vis ut paullo major erit, ita rarius in usum venient.

(1) Interponentur pilulæ blandiores hora una ante cœnam leviorem devorandæ: nec ab officii publici munere erit feriandum.

Parabitur conserva mane & hora somni utenda ut robur cerebro addatur, & oculo vis vernacula restituatur.

Sed vitæ ratio primas hoc loco parteis sortitor, vel habeto.

Prandium liberalius esto, cœna frugalior & parcior.

Vini præsertim, ut pote cerebro, nervis & oculis inimici, moderatus usus esto: nec enim e re putatur esse si omnino circumcidatur.

Assorum quam elixorum usus frequentior esto, non tamen omnino a jusculis temperandum.

A luculento igne fugiendum, vel saltem oculis obex aliquis opponatur; spiritus alioqui visum impertiens dissipatur vehementioris aëris calidi repercussu.

Cibus simplex usuvenito, varietas vitator, donec lumini nativus splendor restituatur.

A lucubrationibus, quoad fieri potest, abstinendum, & lectione pertinaci. Ubi enim dolor est, quies & tranquillitas imperanda, nec e pedibus laboranti incedendum. Durum iis quibus carere libris vita carere est.

Magnarum cogitationum cursus reprimendus, magna enim cogitatio obcæcat, Plinio, abducto intus visu, propterea circumcidendam omnem negotiosam cogitationem vel actionem Celsus monebat.

Qui crudus dormit, præsertim statim a cibo, destillationes excitat atque alit.

In conviviis aliquando adesse, sæpius ab iis sese retrahere oportet.

Sobrietas hic primas tenet, sed inedia non toleranda, ut ii faciunt qui

ut

ut famem opsonent, pastum unum prætermittunt. Sic enim natura offenditur.

Tranquillitas animi, & incitatioris cursuum animi sedatio in primis quærenda (2).

Hæc facilius observaret qui suæ spontis est, & nullis obligatus est legibus, cui licet modo ruri esse, modo in urbe; non exacta observatio, sed mediocris quæritur. Verum oculorum dignitas satis exactam legem indicit.

Quod ad externa attinet, cucurbitularum applicatio frequens in humeris esto.

Clysterum magnus est usus, ne ventriculi offensio ulla a medicamentis consequatur, quamquam in blandis consistendum.

Procurant semper veteres alvi libertatem, quod ea unica sit morborum ocularium medela, qui alioqui alia remedia eludunt ni alvus aut sponte, aut arte solvatur.

Si malum contumacius erit, quod speramus non fore cum Deo, capietur occasio usurpandi illius remedii solennis, quod ut serius usurpatur, ita manifestiorem ceteris præstat effectum (3).

Si Deus nostris votis annuat, brevi oculi serenitas recuperabitur.

ANNOTATIONES.

1. *Quum quis queritur de imbecillitate visus, non ita multos esse oportet in purgando, nam aliquando potius est corpus reficiundum quam medicamentis agitandum. Quis enim dubitat quod aut in cerebro sit infirmitas, aut cruditas? Si sit alterutrum, benignius est tractandus æger. Unde Hippocrates.* Acut. 4. *in catalogo eorum qui purgari non debent, censet eos qui obscure vident: quamquam movere humorem, & non educere, sæpe magnorum symptomaton causa est. Alter error qui committitur est, quia nimis liberaliter utimur frigidis & repercutientibus in morbis oculorum. At vim, & id quod est æthereum exstinguimus & membranas magis frigefacimus, &c. Et si aër frigidus oculos lædit, cur non aquæ frigidæ? Item notandum est humorem qui ophthalmiam facit, ratione quidem crassioris & humidioris partis frigidum esse, ratione vero partis tenuioris acrem esse & mordacem. Sic unum & idem remedium non confert. Unde vulgi remedia sæpe plus prosunt quam methodicorum conquisita præsidia.*

2. *Locus hic notandus, vide locum bellum de animo & oculis apud Plinium in Epist.*

Plinius cap. 4. lib. 28. Idem Cap. 6. lib. 28.

3. *Ad superiora suo loco, suoque ordine adjicies duo, unum de decubitu, alterum de usu veneris. Decubitus supini conveniunt oculorum affectionibus: venus medetur lumborum dolori & oculorum hebetationi: quamquam de Venere dubitatur.*

CONSI-

CONSILIUM XVI.

De ἀποσιτίᾳ (s). Pro Magnifico Sederino.

QUm ventriculus langueat per cibi quamdam abſtinentiam & ἀποσιτίαν, non mirum ſi in dies iſta ἀποσιτία increſcat, & corpus contabeſcat. Admirabile enim illud eſt quod ſcripſit Hippocrates *lib. de Diæta acutorum. Quibus in more poſitum eſt bis die cibum capere, ſi forte illi non pranderint, infirmi fiunt, jacent & ad omne opus timidi, ſtomachi morſu tentantur: viſcera ſuſpendi videntur, mejunt urinam calidam & flavam, & ſtercus peruritur.* In Græco: (1) κρεμᾶσθαι δοκέει τὰ σπλάγχνα αὐτέοισιν (t): Iſte autem κρεμασμὸς καὶ μετεωρισμὸς (u), non aliunde eſt quam ob collapſum ſtomachi habitum, qui quum intumuit viſceribus eſt cujuſdam fulcri loco; viſcerum enim repletio eſt viſcerum rectitudo quædam (2). Unde fit ut quidam ſqualido habitu & melancholico quum tulerunt abſtinentiam unius diei aut plurium dierum, exiſtiment ſua veluti viſcera pendere, & mali Medici fruſtra eos medicamentis ſollicitant, potius vero adjectioni ſtudendum eſt, quam detractioni. Maxime vero peccant Medici ſi corporibus biliosis abſtinentiam præſcribunt: nam efferatur magis bilis in illis, urinæ redduntur tinctæ magis, augetur intemperies: dejectio exuritur, habitus corporis, & præſertim extimæ partes refrigerantur. *Nam in picrocolis vernaculus calor*, ait Galenus, *in id quod igneum eſt digreditur, propterea & temporum pulſus eſt manifeſtus: & extimæ partes refrigerantur quod venter humoribus*, Græce ἰχῶρες, *bilioſis repleatur, quorum morſu atque contriſtatione affectus virtutem diſſolvit, corporiſque extrema refrigerat.* Et quum ſolum enæorema ſufficiat in corporibus valde bilioſis ad criſin, hoc docet quod tales morbi non tam in materia multa, quam in pauca eaque qualitate neſcio qua affecta conſiſtat.

Part. 24. lib. 2. Acut.

Comm. ad part. 24. lib. 2. Acutor.

ANNOTATIONES.

1. Κρεμᾶσθαι (x). *Plinius cap. 5. lib. 28. videtur citare hunc locum, & ait non prandentium exta celerius ſeneſcere, legendum pendere & ſuccreſcere.*

2. *Quo pertinet illud Hippocratis* in lib. 3. de articulis *quum loquitur de fractura coſtæ. Si febris continua non prehendit eum cui fracta eſt coſta ſatius eſt eum non inanire. Inanire enim eſt* ἐπωδυνώτερον, πυρετωδέστερον, βηχωδέστερον (y): *moderata repletio ventris directio coſtarum eſt, evacuatio autem* κρεμασμὸν (z) *facit, &* κρεμασμὸς (a) *dolorem. Unde melancholici ſæpe*

 non

(s) Abſtinentia à cibo.
(t) Suſpendi videntur viſcera ipſis.
(u) Suſpenſio & meteoriſmus.
(x) Suſpendi.
(y) Doloroſum, febrile, tuſſiculoſum.
(z) Suſpenſionem.
(a) Suſpenſio.

non possunt explicare quamdam doloris speciem quæ non aliunde est quam propter istum κρεμασμὸν: moderata enim repletio δορθοῦμα (b) quoddam visceribus affert. Hoc valde explicat Hippocrates lib. de vetere med.

CONSILIUM XVII.

In quo continetur explicatio Aphorismi 34. lib. 6. Aphorismorum.

Iis qui calvi sunt varices magni non fiunt, quibus vero calvitio laborantibus varices superveniunt, rursus capillati fiunt.

DUo in Aphorismo explicando animadverti debent, primum quidem dictio ipsa, deinde verborum sensus & res subjecta. Nam & Galenus optimus Hippocratis interpres omnino Aphorismum istum ejurare videtur: tandem honorarii arbitri partibus functus, interpretationem verisimilem apponit: atque inde totius Aphorismi fundamentum omnino vacillare ac nutare ait, quod Hippocrates supponat τῷ φαλάκρωσιν (c) affectum esse sanabilem. Quod ut intelligatur verborum distinctio apponenda est; μαδαρότης & φαλάκρωσις (d) affectus affines esse videntur: uterque ad caput pertinet; nisi quis referat nomen μαδαρώσεως (e) ad palpebrarum morbos: sed tum confunditur cum nomine μιλφώσεως: φαλάκρωσις calvitium seu calvities dicitur, μαδαρότης defluvium capillorum: Calvities insanabilis est, madarosis sanari potest: hanc enim humorum pravitas committit, quam si correxeris, generando capillo occasionem porrexeris: at calvitium ab exhausto est potius & siccitate: senibus familiare est, quia cerebrum consumitur, id est, ut Galenus explicat, imminuitur, præsertim parte capitis anteriore: nec amplius cranium alluit, & propterea in syncipite potius calvities contingit, quam in occipite. Si quidem dum cerebrum siccatur; & quodammodo minuitur, pars anterior capitis non tam sæpe, nec tam facile irrigatur nescio quo rore, qui est velut capillandi occasio: unde qui calidiore & sicciore sunt temperamento calvescunt aliis celerius (2). Contra, Eunuchos, mulieres, & pueros calvos negat fieri Aristoteles, maxime ob humiditatem; Eunuchos quidem quoniam effeminantur: quamquam & in immodica humiditate, aut nulli, aut rari sunt capilli. Ex his itaque patet hoc loco improprie φαλακρὺς (f) vocari, sed eos intelligi vel quibus defluunt capilli, vel qui rarum habent capillum,

Comm. ad part. 1. sect. 3. lib. 3. Epid.

(b) Fulcimentum quoddam.
(c) Calvitium.
(d) Glabrities & capillorum defluvium.
(e) Capillorum defluvii.
(f) Calvos.

lum, quos Græci vocant ἀραιότριχας: & calvitium ita generaliter usurpatur. Unde Tullius in Tusculanis: Proinde stultissimum Regem in luctu sibi capillum evellere scripsit, quasi calvitio mœror levaretur; ubi nomen calvitiei generalius paullo sumi videtur. Nunc ad institutum [illegible] ue Aphorismi sensu nos convertamus. *Tullius.*

Varix & calvities affectus sunt longe diversi & semoti (4). Varix dilatatione venarum tibiarum aut crurum definitur. Calvitium capitis est affectus; est item & defluvium capillorum, nomine capitis sumto paullo generalius, ut fecit Celsus: sic sedibus affectis longe distinguuntur. At idem humor & defluvium capillorum parit, & varicem. Pravus enim quum exsistit, radices capillorum exedit, unde defluunt facile capilli, & glabrities contingit. Unde admirabilis est humorum aut ἀνωῤῥοπίη, aut κατωῤῥοπίη (g). Si enim viam sursum affectat humor, capillorum defluvii auctor est; si deorsum, implens dilatansque vasa, varicem infert. Et quod in arteria aneurysma est, idem in vena est παραδὼν ἢ κίρσος (h), varix Latinis. Ac de varice ita Galenus dum explicat quomodo varix solvat insaniam, Græce μανίαν, *varix ex crasso & melancholico humore fit, adeo quod natura pellente ad partes ignobiles eos qui maniam efficiunt humores, præsertim quum crassi fuerint & melancholici, sequitur passionum prædictarum generatio, & maniæ solutio*; ubi duo notanda sunt, prius quod humor varicem generans sit crassus & melancholicus; posterius, quod intelligatur de mania a succo melancholico simplici, non de furore qui a bile est (5): quamquam & meo judicio solvere potest maniam a succo melancholico a bile assata generato. Sed tamen hic nomine τῆς μανίας τὸν μελαγχολίαν (i) intelligendam putat. Itaque magna vis est derivationis humoris & revulsionis a partibus in partes alias, ut mirum non sit si varix obortus defluvii capillorum occasionem tollat. Humor enim concluditur venis varicosis, qui si in caput transferatur, radices capillorum sua virulentia consumens, capillos defluere faciat. Ubi duo notanda sunt & quæstione digna: prius an actu & sua mole humor crassus melancholicus varicem committens caput petat, & rursus a capite delabens ad tibias & crura sese cursumque suum inflectat: & qua id ratione videatur fieri. Posterius, an non defluvium capillorum peculiari capitis vitio contingere queat, ut quantusvis oriatur varix a tali morbo caput vindicare non possit. De posteriore dicemus primo loco. Galenus explicans *part. quamdam Epid.* ubi Hippocrates vult flatulentam dispositionem tamquam causam adjuvantem esse in propagando affectu in alatis, quos πτερυγώδεας Græci vocant, quod ubi est infirmior calor naturalis, flatuum sit proventus, & ubi flatuum proventus, major occasio ruptionis vasorum ac proinde spuitionis sanguinis, unum affert commemorabile, & ad institutum pertinens. Ac primum reprehendit eos qui pro πτερυγώδεας, legunt πιτυρώδεας, id est furfuroſos, ut sit hic eorum sensus, dispositio flatulenta juvat maxime ad genera- *Aph. 21. lib. 6.* *Comm. ad part. 13. sect. 3. lib. 6. Epid.*

(g) Sursum vergentia, aut deorsum vergentia.

(h) Varix.

(i) Maniæ melancholiam.

generationem furfurum in capite: nam si flatus est multitudo, declaratur flatulentus calidusque spiritus qui effert multos vapores sursum, hinc furfurum nata occasio. Tribus modis respondet, *primum mille videri minimè flatulentos, quorum tamen in capite porrigo est multa. Secundo, quod omnibus calida excrementa contrahentibus furfures multi nascerentur, quod falsum. Tertio; aliquando caput peculiari quodam vitio furfuraceum est, & porriginosum, quum alioqui humores naturaliter affecti sint.* Tertia hæc ratio est notanda: nam quod dicitur de porrigine, idem dicendum de capillorum defluvio: siquidem totius corporis humoribus bene alioqui temperatis, caput unum ita potest esse affectum, ut in eo redundent pravi humores καθαρώσεως (*k*) auctores: quod etiam in reliquis affectibus corporis considerandum. Nam frustra toti corpori consuleretur, si in una tantum parte dispositio, malumque inhærescat. At in eo casu qui dictus est, varix obortus nil ad defluvium capillorum tollendum conferret. Sic priori quæstioni factum satis.

De posteriore dicendum; videtur pæne impossibilis ea humorum melancholicorum metastasis, & revocatio ad inferiora, quum eorum motus piger sit, & crassitudo magna (6). Nam de humoribus melancholicis nos intelligere diximus. Ac Galenus *in Commentario* istam metastasin a capite ad crura fieri dixit. Et idem Hippocrates, quod mirum esse debet, vocis gracilitatem, id est hæsitantiam, ut quidam interpretantur, varice oborto in testiculo alterutro tolli scribit: immo negat posse solvi sine horum altero varicibus obortis tentato. Nam subjungit balbos, calvos, gracili voce præditos pati fortiter τὰ μελαγχολικὰ (*l*) (7): quod si verum, minime mirum esto si varicibus obnoxii esse debeant, & varix magnam ad firmitatem vocis opportunitatem afferat. Præterea eodem loco scripsit Hippocrates *dolorem in locis infernis fortem surditas tollit, item hæmorrhagia.* Et eodem loco: *Quibus tussis sicca, his non solvitur nisi dolor fortis ad crura, aut testem, aut coxas irruat.* Et rursus, *Hydropici fiunt* φαλακροὶ (*m*), id est patiuntur καθάρωσιν (*n*), quod fit aut per translationem, aut cerebro ipso jam aquescente, & hydropicam dispositionem suscipiente. Huc pertinet & Aphorismus solennis, *Quibus biliosæ dejectiones, superveniente surditate cessant, & quibus surditas, si illæ supervenerint, eamdem tollunt* (8). Bilem enim ad cerebrum tolli *in Comm.* Galenus scribit, quod an verum, considerare oportet: in hoc enim disputationis cardo vertitur. In quolibet humore quædam est pars tenuior, crassior altera: crassior non videtur ita facile ferri, nec id quod varicem committit, aut quod dejectionem biliosam multam, ad cerebrum rapi videtur: & vix aliquis translationem motumque sursum humoris præsertim pigri & crassi qualis committit varicem, fieri facile credat: ideo credibilius est ferri potius partem tenuiorem, & spirituosam, quæ ipsa orgasmum facere solet, & quæ præ se fert cacoëthiam virulentiamque si qua sit: ut si eam tenuiorem partem alterando

Initio sect. 5. lib. 2. Epid.

Sect. 5. lib. 2. Epid.

Aph. 28. lib. 4.

(*k*) Capillorum defluvii.
(*l*) Melancholica.
(*m*) Calvi.
(*n*) Calvitium.

alterando domet, atque demulceat, plurimum adjumenti attulisse videatur. Et ne videar hanc interpretationem finxisse, ea Galeni est *in Prorrhetico*: docens enim cur iis quibus suppressæ sunt hæmorrhoides, & cor doleat, & lumbi: non enim idem eodem in loco utrumque dolorem excitare videtur: Galeni hæc verba sunt: *Copia in venis acervata tenue quoddam serum*, ὀρρὸς *Græcis*, *in ventrem confluens cardialgias parit dum in os ejus ascendit*, *quod maxime sentit. Bona autem abundantiæ portio ad inferum repens locum*, *in quem & primum deferri consueverat* (*nam de hæmorrhoidibus sermo est*) *lumborum dolores efficiet* (9). Quod & humori capillorum defluvium parienti evenire potest. Nam tenuior & serosior ejus pars ad caput repens facit, ut defluant capilli corruptis eorum radicibus, quæ pars si cum crassiori alia parte ad partes inferiores devoluta fuerit, varicosa corpora venarum reddere apta esset. Itaque ex hoc Commentario discere oportet, admirabilem esse humorum inclinationem per venas, arterias & cœcos aquæductus: item vim stupendam naturæ, ut quæ sua facultate expultrice armata (10) de parte in partem humores pellens etiam contra naturalem motum & ῥοπὴν (o) eorum, modo generandi morbi, modo ejusdem tollendi occasionem afferat: ut Medicus satagere debeat num qui partem obsidet affectus, peculiarem imbecillitatem sequatur, an non in alia corporis parte sit scaturigo e qua humor emanet (11): nam hæmorrhois excitata, aut varix procuratus morborum terrificorum cerebrum appetentium solvendorum causa esse potest. Actum sexto Calen. Februarii anno 1578.

Comm. ad part. 38. sect. 3. lib. 1. Prorrh.

ANNOTATIONES.

1. *Varices calvorum nisi magni fuerunt*, *furiosi fiunt* 5. sectione, lib. 2. Epidem. *De calvitio idem potest dici quod & de canitie Aristoteles*, *ubi vitiligo*, *ibi canities*, *non contra*: *ubi cutis laborat*, *ibi capillus*; *sed non ubi capillus*, *ibi & cutis. Quod notandum est.*

2. *Plinius* cap. 45. lib. 11. *citat ex Oppio auctore vetustissimo varices in cruribus viris tantum*, *mulieribus raro evenire*: lib. de atra bile, *ni fallor*, *agit quoque Galenus de varicibus. Et Plinii eodem capite notanda historia de Caja Mario varices patiente cui uni vivo extracti sunt*, *& quomodo varices mulieribus non accidunt*, *ita nec hæmorrhoides. Tamen nostra ætate magna mulierum pars varicosa est.*

3. *Et* sect. 5. lib. 2. Epid. *ait hydropicos fieri* φαλακρὲς (p), *nomine etiam improprie sumto.*

4. *Locus est apud Hippocratem*: vocis gravitatem varix tollit. *De quo loco abunde diximus* lib. 2. Epidem. nostrorum. *Agitur enim abunde de vocis gravitate. Et* lib. 1. meorum Epid. *de vocis gracilitate quam varix tollat plene.*

5. *Notandus locus apud Hippocratem* ad part. 34. sect. 1. Prorrh. *Ad corporis*

(o) Et impetum. (p) Calvos.

poris totius intemperaturas sequitur mentis læsio, cerebrum enim non aliter afficitur quam totum corpus. Quæri autem hic potest quomodo & bilis repat sursum, & succus ater, alias in capite calvitium excitaturus, alias deorsum translatus, varices. Et distinctionem attulimus de humoris duplice substantia, una tenui, crassa altera. Et huc pertinet locus præclarus memoriaque dignissimus apud Aphrodisæum, cur atra bilis in crus decumbens, aut in mammam cancrum excitet, in cerebrum translata eadem non cancrum, sed maniam inducat. Ut non videatur ad cerebrum crassior pars materiei repere, sed tenuior, Aphrodisæus prob. 90. lib. 1.

6. *Paullo ante diximus, quomodo atra bilis in mammis & cruribus cancrum non excitet, sed maniam.*

7. *Id genus solutionum per apostasin, alium modum adumbrat Hippocrates. Solutio coxarum doloris, oculorum distortio, cæcitas: testium tumoris mammarum elevatio* sect. 5. lib. 2. Epid.

8. *Melancholici maxime sunt flatuosi. Et quum flatus sese quoquo versum facile insinuet, non mirum si a capite ad tibias, & ab his ad illud malum repat. Maxime vero quod varices sæpe a flatu melancholicis oriantur. Præterea melancholici sunt hæmoptoici ratione istorum flatuum. Et ut aliis locis annotavimus, minus in melancholicis formidabilis est excretio sanguinis quam in aliis.*

9. *Huc pertinet locus* 2. Epid. *ubi scripsit, Varices calvorum si non magni fuerint, furiosi fiunt.*

10. *Quod Heropyti historia demonstravit. Huic febre continua laboranti coxendix dextra laboravit, facto in eam partem abscessu. Deinde surditas & febris; allevabatur, tum coxendix magis dolebat, & contra. Quod notandum est ut intelligatur quæ sit naturæ vis, & symptomaton successio.*

11. *Galenus* cap. 4. lib. de atra bile, *sanguinem nigrum & crassum natura in crurum venas deponit, a quo distentæ varicosæ reddunturſ; cutisque venis obtenta tractu temporis nigrescit. Vetat autem sic affectas venas secare, ne quibus sectæ sunt, melancholia corripiantur. Si quando agendum erit de varicibus, duas præclaras historias affert ad rem maxime pertinentes.*

CONSILIUM XVIII.

De Oculi albugine.

Filia Joannis Josserii, mercatoris Trecensis, maculam in oculo habebat, & velut albuginem quamdam quæ pupillam erat opertura: erat & præterea palpebra oculi vi ignis velut erosa, vulgo *l'œil éraillé.* Hæc sunt instituta.

Purgetur syrupo instituto ex agarico, folliculis & rhabarbaro cum herbis cephalicis & ophthalmicis.

Utatur decocto sarsæparillæ bene diluto.

Abradatur capillitium, & fricetur caput sacculis ex furfure & milio; utatur

utatur aliquando lixivio ſarmentorum vitis cum herbis cephalicis, agarico, & ſenna.

Item opiata ex conſerva anthos, ſtœchados, roſarum, addito mithridatio.

Item electuario diatragacanthi frigidi. Item fœniculo condito, & drageta communi a paſtu. Excipiat vaporem fœniculi, dauci, carvi, aniſi, roriſmarini.

Admoveatur cauterium inter muſculum bicipitem, &c.

Oculus abluatur aqua detergente ex plantagine, ſolano, roſis, euſraſia, chelido, verbena, addita aqua aluminoſa in parte eroſa.

Paretur collyrium ex trochiſcis albi Rhaſis, mucore ſeminis fœniculi: addita ſarcocolla nutrita in lacte muliebri, lapide calaminari præparato, & aloe lauta. Interdum ſaccharum candum pulverizatum.

Ad Epidermidis regenerationem admoveatur ſuccus ſolani, plantaginis, ſempervivi, centinodiæ.

Item mucago ſeminis pſyllii, medulla pomorum redolentium, mucago tragacanthi admiſto uſto plumbo & loto, lithargyro, antimonio præparato, & tuthia præparata (1): Item plumbi lamina.

ANNOTATIO.

1. *In morbis oculorum & cerebri vulgo ad ſiccationem capitis utimur frequentibus ſacculis ex furfure, milio, ſale; forte non ita conferunt, ut creditur: nam frictiones iſtæ pericranium, tunicam, & membranas cerebri, forte nimium ſiccant: Item videntur poros obſtruere. Frictio enim frequens, dura, & ex ſiccis tandem indurat & conſtringit.*

CONSILIUM XIX.

Ad Tineam inveteratam.

COntemperetur ſanguis & jecur. Abſtineat vino. Uſus lactis aſinini, Balnea aquæ dulcis.

Decoctum frequens ſennæ cum juſculo prunorum, catholicone, decocto fumiterræ, lapathi, cichorii.

Frequens abraſio capillorum. Ablutio capitis cum lixivio ex decocto radicis cucumeris aſinini, dracontii, ireos florentinæ, ſenectæ ſerpentis cum foliis ſennæ.

Scarificatus profundus poſt deterſionem capitis cum ſmegmate duro, ſpongia, lapide pumicis. Quum plurimum manaverit ichoris & ſanguinis poſt ſcarificatum ungetur caput liquamine lardi toſti in veru perfuſi inter aſſandum avena donec lardum exſiccetur: & totum quod liquatur excipiatur ſucco fumiterræ.

Si

Si malum ad hiemem prorogabitur, utetur pilulis ex hiera diacolocynthidos, ſine quibus, de fumoterræ, & hujuſmodi.

Si ad frontem ſerpat, fiat levis litus ex hydrargyro paratus ex dr. ij. mercurii, pro unc. iij. roſacei unguenti Meſve.

Cataplaſma valet ex farina fabacea, hordei, cicerum, fœnugræci, lupinorum coctis in oxymelite, addito pulvere ireos purpureæ.

Oleum de frumento mire conferet.

Hæc mulier poſt uſum iſtorum remediorum frequentemque capitis lotionem ex lixivio parato ex fabarum tunicis convaluit.

CONSILIUM XX.

De Pleuritide.

NObilis mulier Pleuritica prægnans habuit aliquid commemorabile. Doluit latus, febris continua erat. Uterum ferebat jam octo menſes cum dimidio. Dubitabamus an partus accelerandus foret. Alii e malleolo tundendam venam putabant: tamen ex brachio ſanguinem detraximus: plane corruptus erat. Tandem pariendi ſeſe occaſio obtulit: vires erant infirmæ: dolores ſuos & tormina (ut politico verbo utar) devoraverat: Dedimus decoctum folliculorum ſennæ: Folia erant pauca quantitate, ut non tam alvum ſubduceremus, quam cum leni alvi ſubductione tormina excitaremus (1). Excitatis torminibus peperit feliciter. Mirum quod dolores pectoris in gravidis ſunt valde terrifici, & non facile ſedantur niſi fere uterus ſeſe exoneret: nam comprimuntur partes ventris, & veluti humores ſurſum ad lactis curſum repunt: unde niſi alio divertas, vix dolor quieſcit. Vix autem divertuntur alio niſi cum partus periculo. De his plenius *in lib. 2. noſtrorum Epidemiorum.*

ANNOTATIO.

1. *Quoniam tormina juvant partum ſi quod medicamentum tormina excitans ex uſu foret: Illud ſumus experti abſente febre.*

℞. *Matricariæ, artemiſiæ, nepetæ, ana, pug. j: hyſſopi, pug. jß: mercurialis, agripalmæ, ana, pug. ß: ſeminis citrii, pæoniæ, ana, dr. ß: cinnamomi & radicis biſtortæ, ana, dr. j: fiat decoctio in qua bulliant foliorum Orientalium, dr. ij: fiat fortis expreſſio, ut terreſtris pars remaneat, tormina excitet: adde vini albi parum.*

CONSI-

CONSILIUM XXI.

Ad fœtorem narium.

QUum ſit fœtor narium antiquus, videndum num ſit ob conformationem, aut gentilitium: a vitio olfaciundi facultatis, oſſium vitio, aut viæ, aut generationis ipſius materiei.

Malum aliquando eſt in olfaciundi ſenſu ipſo, aliquando in oſſibus. Quærendum an ſit ſymptoma fœtor narium, an morbus, & quis morbus, quod ſymptoma: cujus morbi. An ſit actionis læſio, an exiens mutatum, an utrumque: An ſit ulcus: nam in ea virgine de qua conſulebatur, ſolebat velut quoddam cruſtoſum ex ima nare deradi quod ἑλκώδές τι (q) ſignificare videtur.

Sciendum præterea an vitio humoris, qui talis generatur, id fiat, an bonus quidem & εὐώδης (r) humor ſit excrementitius, ſed dum attingit oſſa ethmoidea, aut alias partes ulceratas, ibi corrumpitur, & δυσωδίαν (s) acquirit: ſic diatheſis tantum mala eſſet: & non tam vacuandum quam alterandum.

Eſt enim ubi diligentius purgandum, eſt ubi non, præſertim quum agitur de fœtore oris: Immo licet totum corpus evacuaremus ne hilum forte proficeremus: indelebilis enim eſt diatheſis.

Dubitari poteſt an humectantia conferant, an ſicca & calida. Si enim tetra eſt ſanies, ſi ulceroſum quid potius eſt ſiccandum & detergendum: Et quod *in methodo medendi*, aut potius *in libris de locis affectis* Galenus facit, qui pulmonicis, præſertim ſi putredo eſt in pulmone, ſicca & calida dat (contra quam Medicorum vulgus facit præſcribens multa juſcula) id hercle faciundum eſt. Contra quæ humectant juvare videntur. Nam id quod e cerebro huic virgini fluunt, ea viridia ſunt & tetri viſus, quæ declarant æſtum quemdam in cerebro, aut corruptionem. Quibus enim corpus bilioſum & æſtuans, ſi tale caput eſt, iis mucus fere viridis excernitur.

Sic ratione caloris valebit litus ex mucore pſyllii extracto in aqua plantaginis: addita pomata lauta in aqua odorifera, aut aqua roſacea: valebunt pilulæ etiam cum aromaticis: gargariſmi cum odoriferis (1): balnea ad contemperandum & ſquallorem tollendum. Cauterium occipitio addendum. Abſtinendum a majoribus & calidioribus. Ptyaliſmus provocandus iis quæ ſunt moderata. Tabellarum frequentiſſimus uſus. Cucurbitulæ. Si ulcus, curandum ut ulcus. Caputpurgia valent.

℞. *Foliorum majoranæ, betæ, betonicæ, ana, man.* ß: *tundantur, affunde*

(q) Quidpiam ulceroſum.
(r) Benè olens.
(s) Graveolentiam.

aquæ betonicæ, & vini albi, ana, unc. ij: fiat expressio: adde aliquid ireos. Vel infunde in hydromelite: Adde tantillum piperis quia vis coctione evanescit.

ANNOTATIO.

1. *Noduli non sunt omittendi. Fernelius probat expurgationem cerebri per gargarisma, si liquor haustus in nares ore resupino relabatur in fauces. Fiat decoctio in hydromelite, maceretur iris, salvia, cyclamen: vel in hydromelite dissolvitur mel anthosatum.*

CONSILIUM XXII.

De Thoracis vulnere.

DOminus Des-Marests Andegavensis, & D. de Reilus Comes vulnerati sunt in thorace: sed loco dissimili vulnus inflictum erat. Priori parte sinistra ad secundam aut tertiam costam qua parte mammaria est, non ea quæ costis ipsis adhæret, sed quæ interna dicitur, & fere ad superiorem pulmonis partem inflectit: At Comes vulneratus erat inter quartam & quintam costam, & pugio recta quidem adactus erat, & mediastinum penetraverat; deinde paullum inflectendo oppositam pæne partem attigerat: & minima etiam sectione sedes ipsius pugionis indagari potuerat, & fluenti sanguini deinde suppresso exitus esse potuerat, ac si contraria & opposita fuisset apertio. Sed ut sæpe summorum virorum & fiduciam rerum magnarum habentium cæcitas est maxima etiam in rebus minimis, quod ratio, quod tactus, quod tumor quidam eminens principio dictitabat, nimirum fieri debere eo loco apertionem, id differtur, negligitur, tandem necis occasionem allaturum. Ingens fuit hæmorrhagia, insignis alicujus rami venæ αζύγου (t) cæsæ argumentum. Jussus omnino quiescere. Nulla tussis pæne toto morbi tempore: difficultas respirandi exigua: poterat in utrumque latus dormire. Quidam ex Medicis volebat experiri num alacer esset æger in se erigendo, jubebat ut sese æger paullum erigeret, maxime ut detegeretur, num aliquid in capacitate esset, quod motu ipso deprehenderetur. Sed, ut inter pares invidia facile se jactat, aliis id non visum faciundum: maxime vero quod ejus opinionis auctores primi non essent: & tamen id ad explorandum maxime fuerat opportunum. Post quartum diem initum consilium (quoniam ad cicatricem vulnus tendebat) super iis quæ ad vulnus attinent, num tuto sineretur claudi, an vero dilatandum foret, an omnino claudendum. Divisæ fuerunt sententiæ. Alii omnino claudi debere censuerunt; quod multum sanguinis & spiritus effluxisset; quod nil alienum videretur in capacitate

(t) Sine pari.

pacitate contentum; quod Guidonis & Galeni consilio vulnera thoracis primo quoque tempore essent ad cicatricem ducenda, alioqui fistulæ metum esse, & sphaceli alicujus, aut siderationis in pulmone, qui alioqui alieno aëri & externo non assuetus facile affici alterarique posset: naturæ negotium dandum, viam esse ad os, ad urinas aut intestina: pleuritides beneficio naturæ transsumta exsuctaque materia curari. Alii contra nitebantur: suspecta esse ista ægri bona & præter rationem allevationem: insigne vas incisum, sic non esse probabile, ut intra quatriduum claderetur: formidabilem esse cicatricem externam, quod, quum pars interna sit membranosa, proptereaque amplius vulnere diducatur quam carnosa, & tardius coalescat quam ipsa carnosa, metus sit ne falsa opinione internæ membranæ ad cicatricem perductæ, ne præter opinionem vulnus refricetur & refringatur: ac tum forte non amplius locus erit hiulco, aut evacuationi suppressæ saniei: Dicebant nil referre si bene habere videretur primis diebus; sed expectandos alios dies criticos, & quid serus vesper veheret: in his vulneribus tuta omnia timenda esse: non metum esse debere fistulæ nisi vulnus consenuisset: non ita ab externo aëre metuendum esse, quod plus detrimenti esset affuturum a suppressa sanie, aut pure, quam ab externo ambiente: Et quod dictum est naturæ opus committi debere, & alias tutiores vias confinxisse naturam: contra dictum, novercam & brutam esse naturam, & aliquando veluti consulto pus & saniem ad tempus servare, quod quum commode excerni non potest, repentina mors obtingit: sic satius esse, quum vulnus hiet & pateat, si quid alienum sit, illac expurgare, quam aut novas vias comminisci, aut occlusum obseratumque vulnus denuo aperire: magna enim ignorantiæ esset suspicio, & juncta crudelitatis opinio: immo tutissime & sectionem fieri illo loco, & vulnus patere affirmabant, & locum esse idoneum sectioni in purulentis. Qui præerat omnia sic moderari voluit, ut utrique parti adblandiretur: at istæ blanditiæ & temperamenta ægrum perdiderunt. Desitum est vulnus cicatricem contrahere: triumphus ante victoriam canebatur. Jam satagentium quorumdam Chirurgorum avaritia sibi loculos amplissimos acquirebat ad emungendam regiam liberalitatem: attentiores ad rem erant, non ægri rem, sed suam: Regis qui frequenter aderat (æger enim erat amicus Cæsaris) benevolentiam aucupari volebant: & in hoc omnis eorum ratio, animus, industria & negotium otiosum versabatur: Jam libellos vulgo, *Placets*, supplices ad demerendam Regis liberalitatem porrigebant. At Regis nimia diligentia, & amor ad præcipitandum ægrum nimius fuit: Omnes enim id unum studebant ut Regi placerent, ut aliquid agere & dicere viderentur: Hic ægri salus negligebatur: & si quid alias male gestum fuit, hic male gestum est: Itaque Regis spes fallitur, ægri salus deseritur, foro & scenæ servitur, avaritiæ loculus quæritur, mons parturit, mus nascitur ridiculus, & his artibus in opprobrium & artis Medicæ, & Chirurgiæ omnia convertuntur: minus enim bene tractatur quam aliquis de plebe homuncio aut scrutorum venditor (1). Porro supprimitur sanies in thorace multa, febris perseverat, alvi profluvium, (2) macies, tandem derepente difficultas spirandi, ῥέγ-

χος (*u*), & inde mors, hæc contigit circa triceſimum tertium diem a vulnere. Apertum cadaver, tres aut quatuor libræ ſanguinis ſanioſi, corpus ipſius pulmonis non erat vulneratum, ſed tamen per ichoris contagionem erat velut tabo infectum, & membrana ſuccingens erat ſiderata (3). Mirum quod toto tempore morbi nulla pæne tuſſis fuit. Si tantula pars humoris pleuritim facientis tuſſiculas affert, cur non tanta ſaniei pars in thorace & circum mediaſtinum ſuppreſſa? Nullus dolor lateris, nullum ſputum cruentum. Idem contigit alteri ægro Andegavenſi: licet enim ingens copia materiei in capacitate thoracis contineretur, nil ore rejectabatur, nulla moleſta tenebat tuſſis: quod mirum eſt, & forte ejus rei ratio difficilis eſt ad agnoſcendum.

Licet quotidie per vulnus flueret fere ſanguis ſanioſus tantum quantum continere poterant decem vaſcula, quibus tonſores in phlebotomiis uti ſolent; incredibile dictu quantum intra dies novem ſanguinis impuri per vulnus emanaverit: inſigne enim vas erat vulneratum: Id quod maxime operoſum fuit. Dolor erat cruris & tibiarum implacabilis: in primis diebus revocabamus ad fluxum ſanguinis: at erat occaſione læſi nervi inſignis derivati a ſpina dorſi (quo loco vulnus quoque inflictum fuit) prope apophyſes vertebrarum dorſi, & ſenſum partibus inferioribus impertientis. Sic credibile virus aliquod conceptum fuiſſe in parte cæſi nervi, quod tam immitis doloris cauſa eſſet. Primis diebus ignorabatur & cauſa tanti doloris, & remedia. Ad paregorica, & narcotica concurſum eſt (4), ſed fruſtra: Tandem oleum arte Chymica extractum calens infuſum eſt, hinc allevatio doloris aliqua (5): at quia commode inſtillari non poterat, ideo dolores immedicabiles fuerunt.

Sic quum vulnus inflictum eſt, & dolor aliquis nulli cedens remedio obortus eſt, luſtrandæ ſunt diligenter partes (6), ut videamus num inſignis nervus in partem implantetur quæ per communicationem dolet.

Quo die datum medicamentum interiit (7): & id fuit calamitoſum. Quamquam cum præfatione datum eſt, & ſuppreſſio urinæ & dolor ad τὸ ἄτρον (*uu*) invitabat ad id accelerandum remedium.

ANNOTATIONES.

1. *Qui thorace vulnerantur exteriore parte ſaneſcunt, interiore vero non, ſuppurati fiunt: & ſi interiore parte cicatrix infirma eſt, vulnus facile refricatur rupta cicatrice.*

2. In Coacis *pus per alvum ſecedere letale ait, atque id per comparationem audiendum eſt.*

3. *In thorace & frequentius in pulmone areſcit ſanies, & calore in cruſtam verſa cicatricis falſo creditæ imagine nobis imponit, donec ob thoracis motum & partis mollitiem leviſſima occaſione excuſſa cruſta vulnus recrudeſcat. Si externa & interna pars ſimul ſaneſcat, evadunt. Si ſimul externa & interna, & cicatrix debilis fuerit, vulnus iterum aperitur.*

4. *Thorax.*

(*u*) Stertor.

(*uu*) Inferiorem abdominis partem.

4. *Thorax & ventriculus frigida læditur, & id mortem minatur, & tamen frigidissima aqua ventriculus delectatur. At aliud est considerare id per modum indigentiæ, aliud per excessum. Quum juvatur, indigentia est.*

5. *Pulmo ab Hippocrate dicitur attrahere contrarium alimentum corpori. Nam omne alimentum calefacit: alimentum autem a pulmone attractum refrigerat.*

6. *Galenus ait se vidisse vulnera in cavum thoracis illata, tribus conglutinata diebus, priusquam inflammatio oriretur, largo sanguine effuso & per os rejecto.*

7. *In ægro forte summa imbecillitas repressit sanguinem ex eventu. Est enim ubi in leipothymia fluit magis sanguis veluti laxatis fibris, est ubi leipothymia sanguinem sistit, dum revocatur calor & spiritus ad interiora.*

CONSILIUM XXIII.

Pro Dysentericis.

ANno D. 1578. æstas fuit ferventissima, & siccissima: Etesiæ spiraverunt, ita ut morbi pauci fuerint juxta Aphorismum, *Siccitates imbribus salubriores.* Observavimus tamen in *secundo libro nostrorum Epidemiorum*, hiemem & ver quod istam præcessit æstatem intempestivum fuisse: nam hiems spirantem austrum habuit sub finem, & aliquantum suffocans fuit, unde pituitæ salsæ fuit procreatrix. Scripsit enim Galenus eo modo de pituitæ generatione: *Quæ pituita a forti fit frigiditate, acida evadit; quæ a caliditate caput replente, salsa; quæ a pauca fit frigiditate, vel exiguam habet dulcedinem, vel nullam manifestam qualitatem:* Deinde subdit dum loquitur de hieme australi pluviosa & serena, quam ver aquilonium secutum est: *ergo ea quæ fit in ista australi constitutione pituita ob eam quæ in hieme fuit caliditatem, salsa erit: propterea que dysenterias pariet quando longiori tempore mordens & radens intestina offenderit* (2). Utpote quæ pituita ob suam visciditatem & lentorem dum exit & traducitur moretur & consistat; perpetuo autem ob suam qualitatem abradat, unde dysenteriam necessario committit. Ex quibus patet quod proventus pituitæ salsæ fit austrino statu, ut pote qui sit parens salsæ pituitæ, eamdemque corrumpat. Et si accedat tempus aquilonium, exprimitur iste humor salsus, & prout in parte insederit, ita varios affectus producit: unde annotavimus *in secundo libro nostrorum Epidemiorum* tusses admodum molestas (quintas vulgus vocat) grassatas fuisse circa veris finem & media æstate, unde ab ea tussi & febres & gravia symptomata secuta fuerint, ut pueris multis aut intereundum, aut tabescendum fuerit.

Comm. ad Aph. 12. lib. 3.

Porro, non quoties genitus humor est, morbi inde proveniunt: differtur enim morborum eruptio in tempus aliud. Et ego credo eumdem forte humorem qui hieme genitus, vere aquilonio expressus, in propinquioribus partibus symptomata, & morbos producebat, ut faucium dolores,

ophthalmias, dolores laterum, tusses permolestas, æstate aliquantum suppressum, sub finem æstatis & initio autumni profluvia alvi, & istas malignas dysenterias attulisse: quod mirum non est. Nam idem Hippocrates accidisse docet, *in primo Epidem.* quum hiems aquilonia fuisset, ver frigidum, aquilonium, pluviosum, æstas non admodum fervens, sub finem æstatis & principio autumni dysenteriæ vagatæ sunt, profluvia ventris, & περιῤῥοίαι (offusiones vertit Interpres, melius urinæ effusiones vertemus.) Ex quibus patet alio tempore humores generari & colligi, alio morbos congeneres in hominum vitam invadere. Ceterum repletio capitis a sero maligno, & pituita salsa quæ fere indomita est, quum in intestina humor descendit, dysenteriarum auctor esse potuit. Accedit, & quod æstas æstuantissima seri & bilis acerrimæ procreatrix fuerit, unde mirum non est si levi de causa intestina vitientur. Nec omittenda est ea adustio humorum quam æstas attulit (3): at quum humores adusti sunt, levi de causa irritantur, & irritati molesti sunt & partibus a quibus emanant, & iis per quas transmittunt.

Cons. 2. lib. 1.

At dysenteriarum aliæ sunt populares, aliæ non. Populares aut sequuntur vim cœli, id est aëris, & efficientis vim sequuntur, aut vim ipsius corporis tamquam suscipientis causæ (4). Quæ non sunt populares, peculiare tantum vitium sequuntur & peculiaris excrementi suppressionem, aut vernaculam intestinorum imbecillitatem. Quæ sunt populares, aut sequuntur, ut dictum est, vim causæ efficientis, aut suscipientis, aut utrumque. Ex eo autem populares & epidemicæ colliguntur quod sub eadem specie morbi, multi aut intereant, aut graviter laborent. Ceterum aut sunt intestinales & mesentericæ, aut hepaticæ. Absurdum enim est omnem dysenteriam attribuere intestinis ex eo quod τῆς δυσεντερίας (x) nomen ἀπὸ τῶν ἐντέρων (y) derivetur (5): male enim difficultas intestinorum vertitur ἡ δυσεντερίη (z): tormina melius dixeris. Intestinales & mesentericæ fiunt ex eo quod illæso hepate, & in intestinis, & in mesenterio prima mali labes, sive cælitus impressa, sive a vitio ipsius excrementi manet. Hepaticæ aut sunt criticæ, aut fiunt κατὰ τὴν λύσιν (a), aut κατὰ τὸν ἐκπιεσμόν (b). Si sunt criticæ, prohibendæ non sunt, sed humorum cursus frenandus est, & moderandus: si fiunt κατὰ τὴν λύσιν, fatiscentis facultatis sunt signum, & hæ sunt letales, nisi legitima remedia adhibeantur (6). Quum vero fiunt κατὰ τὸν ἐκπιεσμόν, id est, per expressionem quamdam, & excussionem, id eo modo contingit: cava hepatis sæpe abundant multo humore eoque ἑτερογενεῖ (c), & dum natura id nititur excutere, fiunt vomitiones, nauseæ, ἁλυσμοὶ, ῥυπτασμοὶ, ἄσται (d), febres, & cacochymia communicatur venis & partibus aliis. Ergo si ut sunt morborum ideæ, ita & morborum remedia varia sunt, prout variæ sunt

Dysenteriæ populares.

Intestinales, mesentericæ, hepaticæ.

(x) Dysenteriæ.
(y) Ab intestinis.
(z) Dysenteria.
(a) Secundum solutionem.
(b) Secundum pressionem.
(c) Heterogeneo.
(d) Fastidia, jactationes, inquietudines.

ſunt dyſenteriæ, ita variare remedia oportet. Nec, quemadmodum multi faciunt, quaſi eumdem ſoccum & cothurnum omnibus aptantes, oportet eodem modo curare omnes dyſenterias a quacumque cauſa ortæ ſint, ſive ad hepar, ſive ad inteſtinum ſolum pertineat, animadverſio magna adhibenda eſt. Nam id præclarum eſt quod animadvertit Galenus quum loquitur de medicamentis quæ ἐπιπρασ̣τικὰ (*e*) dicuntur. *Hæc quum in ventrem infunduntur ſubtus, ut in dyſentericis, alias demulcent, alias irritant. Si valentiora ſint humoribus acribus, eorum humorum vim retundunt. Contra, ſi medicamenta contemperantia valentioribus facultatibus, aut multis pauca admiſta fuerint, una & ipſa corrumpuntur, aluntque cacochymiam. Itaque eos vacuare ſtatim oportet qui a mitigantibus & contemperantibus medicamentis irritantur, quum ſint repleti multa, nec facile mobili corruptione.* Unde videmus pleroſque injecto blando lacte gravius habuiſſe: (7) Quod accidere videtur, vel quod lac ſuperatum eſt ab humoribus acribus & malignis, & ſic natum eſt augere cacochymiam, vel quod jam ulcus conceptum eſt, quod dum perfundit ſubjectus clyſter, irritat: Quod Galenus animadvertere debuit. Irritatio enim & exaſperatio aliquando contingere poteſt ob ſuperficiariam inteſtinorum exulcerationem (8).

Non una eſt medendi ipſis dyſenteriis ratio.

Cap. 12. lib. 2. de med. ſumt.

Atque ex ſuperioribus venari oportet medendi rationem. Si enim inteſtinalis dyſenteria eſt, quum afflicto non ſit danda afflictio, in uſu ſolo fortaſſis enematon & lactis per os ſumti conſiſtendum eſt. Si hepar mali auctor eſt, & τῷ ἐκπιεσμῷ (*f*) ſeſe in inteſtina exoneret, febriſque abſit aut adſit, tunc alia captanda ineundaque eſt medendi ratio: de qua dictum eſt in hiſtoria Domini de Lyſſy.

Sed & duo ad ſuperiora addere oportet, unum eſt de uſu adſtringentium (9) initio: alterum de uſu diureticorum quæ dantur ad derivationem. Hic enim non parum peccatur (10). Si magna eſt cacochymia, & certis colligas argumentis exonerari partes in ventrem; hic potius ſenſim atque ſenſim moliri debes evacuationem quam cogitare de adſtrictione: alioqui æthiopem laveris. Et id cauſa eſt cur in multos dies morbus producatur, & exulceratio ſordidior reddatur. Nam tertia aut quarta purgatione multum educes bilis, & ſeri, & pituitæ, quam vix quindecim diebus natura dejiciat, dum ſæpe & parum e ventre excernitur, ut dyſentericis in more eſt. Nec plenius tractanda eſt hæc quæſtio, quum potius deſideret præſens & accuratum medentis judicium, quam verborum ubertatem.

De uſu diureticorum controverti poteſt. Si ſerum malignum & indomitum & ſalſum, aut bilis tenuis dum proluit inteſtina ulcerat, pungit & ſtimulat, ſi alio derivaveris, forte operam non luſeris: contra magnum allevamentum aderit. At exulcerationis ſæpe cauſa eſt humor lentus, tenax, mediis hærens viis, qui dum per anfractus inteſtinorum pigro tranſmittit greſſu, profundius exulcerat: id quod ex contextu ſuperius allegato colligere eſt: *Pituita*, ait, *ob ſuam viſciditatem dum exit & tranſmittit*,

(*e*) Temperantia.

(*f*) Preſſione, expreſſione.

tit, moram trahens & consistens, perpetuo autem ob suam qualitatem abradens, dysenteriam parit. Quod si hic diuretica præscripseris, dum materia contumacior reddetur, majores dolores excitatura est. At dices, tenuior est pars quæ id faciat, id est quæ pungat. Contra hic Galenus, *Ob suam*, ait, *qualitatem abradit.* Ergo tollenda est, aut mitiganda est ista qualitas, alioqui frustra laboraveris.

De remediis in curatione dysenteriæ usurpari solitis hic nil dicam, satis erit indicare *Consilium* 53. *lib.* 1. ex quo omnis generis præsidia elicere possis huic instituto necessaria.

ANNOTATIONES.

1. *Locus hic præclarus. Ideo fit, ut in plerisque melancholicis, atrabilariis & biliosis pituita a caliditate caput replente fiat, eaque salsa & mali sit moris: Cujus generis est ea pituita, quæ in Hispanis chœradon proventum affert.*

2. *Nota de visciditate & lentore. Ideo qui diuretica dant, partem humorum tenuiorem ad renes avertentes, illam visciditatem & lentorem videntur augere.*

3. *Usti humores graves & periculosos morbos producunt, ustione enim malignitatem acquirunt.*

4. *De Dysenteria ea præsertim quæ a nimia oritur repletione locus est notandus apud Hippocratem de generationis & curationis modo*, Post nimiam repletionem (*ait*) alvi fluor fit quum alimentum corrumpitur. *Vide plura* lib. 3. de Diæta.

5. *Quid enim hoc est vertere* τὴν δυσεντερίαν (*g*) *difficultatem intestinorum.*

6. *Unde* ἐκπυσμὸς (*h*), *Gallis dicitur*, expression. *Et* ἐν τῷ ἐκπυσμῷ, *si materia mitificata fuerit, exigui admodum sunt dolores, ad quos facit ambages & anfractus intestinorum.*

7. *Lac & alia id genus Dysentericos aliquando offendunt.*

8. *Hippocrates sect. ultima* 2. *Epid.* In turbatione ventris fabas coctas dato, si supernæ ventris partes valde biliosæ non fuerint.

9. *Galenus ridet opinionem Herodoti, & Dioscoridis, qui arbitrantes quovis tempore Dysentericis adstringentia ex usu esse, & nil nisi adstringens dari aut subjici oportere, ideo adipem anserinum, & alia medicamenta contemperantia & consolidantia adstringentium ex numero esse dicerent, ex eo quod viderent dysentericis conferre.*

10. *Quum in dysenteria sit excretio parva & frequens, ideoque sit symptomatica, faciundum est, ut contra sit rara excretio & magna. Id quod medicamentum purgans rite institutum præstabit.*

11. *Galenus explicans cur mictio noctu plurima parvam significet dejectionem, ait ex eo Aphorismo nos curationem petere posse alvi humidioris & siccioris. Si humidior, exigua potio sit, & multa ad renes derivatio: si sicca alvus, major potio, & distributio ad renes prohibeatur. Si itaque ex eo alvum,*

(*g*) Dysenteriam.

(*h*) Expressio.

vum lubricam esse existimes quod quis dysentericus sit, fortasse falli possis. Nec propterea & a liquidis est abstinendum, nec derivandum ad renes: in hoc errant plerique. Immo si dejectionis materia potest reddi meabilior, & liquidior, non tot tormina excitarentur. Itaque quæ hoc loco dicuntur, valde notari debent.

CONSILIUM XXIV.

De Volvulo.

JOANNES LE CHARRON, volvulosus factus a prolapsu intestinorum in scrotum (1): manus adhibita, reposita intestina: restitutus. Sed postea excreta est a medicamento innumera humorum colluvies prius mota, sed non promota. Et id in volvulosis notandum est, licet periculum præsens vitatum sit, metuendum nisi sequatur multa excretio, & revocetur omnino motus humorum deorsum, qui sursum ferebantur motu peristaltico intestinorum vitiato aut impedito: maxime vero dandum rhabarbarum ut os ventriculi prius læsum ac infestum roboretur.

Mesuæus observavit multa symptomata comitari solita eos qui a volvulo liberati sunt, qui tamen a futuris malis omnino liberi non sunt.

Et quia totus venter inferior commotus est, non prius securitas conciliata erit, quam sequatur alvi profluvium aut sponte, aut arte procuratum.

Nec enim in isto morbo cani debet triumphus ante victoriam. Unde mortui sunt incuria ista, de quibus Medicus securus jam erat.

Ne se exponat aëri, neve in victu peccet. Et in locum vacuum post vomitiones chylosas & stercoraceas subit ambiens torminum magnorum auctor. Volvulo defunctos & jam convalescentes, tamquam puerperas curabis post vitatum præsens periculum. In D. Du Peron erat lapis in intestinis perforatus ut liquidiori materiæ via pateret: Aër sese in vacuum locum insinuavit: Dolores implacabiles oriuntur & antecedentibus sæviores. Vide quanta sit opus custodia.

Volvulosis a prolapsu intestini inutilia medicamenta laxativa per os sumta, augent potius malum & obstruunt.

Si humor sit obstruens, sique non sit inflammatio magna, hieræ primæ debentur aut in potu, aut in forma boli.

Induratæ fæces hamo aliquando extrahendæ. Injiciantur per longam fistulam olea chalastica: immo juvaret flatus excitare & immittere ut intestinum dilataretur, & ea dilatatione aliud ad se se retraheret. Frequentes clysmi, & acres, & exigua quantitate.

Aqua Theriacalis & vinum conferet, quia inficiuntur spiritus, unde animi defectiones & sudores exsolventes. Sed dices, volvulus an est crassorum, an tenuium intestinorum tantum ut vult Galenus? nam ex Galeno elicere possis tenuium intestinorum inflammationem non posse viam

præpedire : nam corporis tenuis inflammatio non poteſt ſpatium effatu dignum replere (2).

ANNOTATIONES.

1. *Ad materiam de volvulis pertinet illud Hippocratis* lib. 2. Epid. Pectinum ruptiones quæ circa pubem fiunt, ut plurimum ſtatim innoxiæ : quæ vero paullum ſupra umbilicum in dextra parte ſunt, hæ ſunt doloroſæ, anxioſæ, & κοπρώμετοι, *id eſt ſtercoris vomitum inducentes. Quem locum volunt intelligi de cæci inteſtini interceptione circum umbilicum ob ruptionem peritonæi. Tumor eſt quidem exiguus, ſed exitialis ut in ea muliere obſervatum quæ incola domus erat ad inſigne fontis.*

2. *Iſte volvuloſus Jo. Le Charron, evaſit quidem tunc. Exactis aliquot poſt annis alio morbo interiit. Aperto cadavere obſervatum eſt, mediam quamdam partem inteſtinorum, & meſenterii rupto peritonæo in ſcrotum ampliſſimum, & omni fide majus prolapſam, ut etiam inde retrahi nequiret. Et iſta prolapſio erat illi naturalis, inteſtinaque, tamquam in loco nativo & augebantur in ſcroto & nutriebantur.* 1591.

CONSILIUM XXV.

Ad Ptyaliſmum pro Comite de Chaulne.

ASſis quam elixis utendum potius : Potulenta parca manu ſumenda : vini albi, & vaporoſi rarior uſus eſto.

Vitanda quæ vapores multos ſummittunt, ſuffitus & odorata, caput parcius calefaciundum : a paſtu moderate corpus exercendum, cœna frugalior prandio. Crura & pedes fricari debent mane : Aliquando laconico prudenter utendum eſt.

Corpus validis medicamentis non eſt agitandum, nec pilulis.

Conſerva roſarum cum rhabarbaro in uſu eſto. Cucurbitulæ ſæpe applicandæ.

Mane prolectanda pituita apophlegmatiſmis paratu facilibus. Errhinis omnino abſtinendum non eſt.

Tabellis utendum. Conſerva roſarum frequenter utenda mane, & hora ſomni.

A paſtu drageta communi utendum, aut myva cytoniorum ſenſim liquefaciunda in ore.

Caput fricandum ſacculis moderate.

Suffienda capitis ſunt ornamenta. Decoctum radicis chinæ nonnumquam uſurpandum.

Exercitationes, curſus, ſaltus, equitationes, inſolationes ejuſmodi moleſtum ptyaliſmum proritant magis.

Ad eam rem valet Opiata ſequens.

℞. *Omnium*

℞. Omnium radicum aperientium, ana, unc. j: eryngii & enulæ campanæ, ana, unc. ß: betonicæ, stœchados, melissæ, mercurialis, salviæ vitæ, bipinellæ, ungulæ caballinæ, ana, man. j: hyssopi, pug. j: jujubas, sebesten, pruna Damascena, ana, num. x: passularum Corinthiacarum, glycyrrhizæ, ana, unc. j: seminis pæoniæ, seseleos, citrii, ana, dr. j: corticis citrii conditi, & conservæ acori, ana, dr. jß. fiat decoctio in qua bulliant foliorum sennæ, unc. iij: adde extra ignem cassiam & infusum dr. vj rhabarbari.

CONSILIUM XXVI.

Pro impotentia ad Venerem.

ÆGer arrigit, sed verpus mollior post manet, sic non subit, nec semen ejaculatur.

Id fit aut vitio instrumenti, aut totius corporis morbo, aut seminis defectu, aut ejus inefficacia, ut minus turgeat, & minus spirituum contineat, ac minus penis in sua contentione & tenore maneat.

Videndum num olim aptior fuerit, an non proclivis ad libidinem, ut postea natura imbecilliore reddita, minus promtus fuerit?

An non doluerit aliquando partes istas, an non suffitum ex cinnabrio, aut consimilibus passus fuerit?

An non vitio diætæ, ut si vinis tenuioribus utatur, & rebus liquidiusculis? & an non parcius edat, ut sufficiat ad alendum tantum, non ad nutriendum?

Congredietur loco & tempore, non crudus, alioqui ineptus erit.

Coeat post multam titillationem, & cum retenta urina & mejendi summo desiderio, illito prius pene medicamento ordinato.

Nimium bona habitudo efficit aliquando ineptitudinem istam, vel quia corpus totum absumit, & in alimentum convertit, vel quia vasa fiunt angustiora præ mole corporis & pinguitudine, unde seminis quædam suppressio: Quemadmodum Hippocrates animadvertit nutrices nimium obesas & succulentas minus lacte abundare: rationes alibi exposuimus.

Acetata, & olera multa fugitanda: non jejunet: non se nimium impleat, tum ne inde cruditas eveniat, tum ne revocatus ad ventriculum & partes adjacentes calor deferat testes & partes semini mitificando destinatas.

Nimia cura & sollicitudo obest, avocantur enim spiritus. Tales erigunt, sed cadit erectio.

Usus pistaciarum frequens commendatur plurimum. Pulvis pudendi Tauri. Cerebrum passerum.

Ad id conferet plurimum Opiata sequens.

℞. Diasatyrion, unc. j: conservæ eryngii, unc. ß: zingiberis conditi, dr. jß: radicis bulbi ascalonii, dr. iij: seminis erucæ, pastinacæ, fraxini, ana, dr. j: renum scincorum, dr. ij: confectionis alkermes, scr. iv: conservæ anthos,

 dr. iij:

dr. iij: cum syrupo conservationis citrii fiat opiata utenda ad quantitatem nucis moschatæ hora somni.

℞. Aquæ vitæ, unc. ij: macera seminis staphisagriæ, dr. j: foveatur verpus & perinæon.

CONSILIUM XXVII.

Pro uxore D. Poille, in imbecillitate visus aut potius caligine.

USus frequens pilularum communium: aliquando paullo vehementiorum capitis frictiones. Pulvis ex coriandro, fœniculo, similibus.

Opiata ex mithridatio, conserva summitatum fœniculi.

Aqua in qua maduerit cinnamomum. Vitanda aqua valde frigida, nam lædit spiritus & ventriculum.

Sanguis palumbis instillatus. Decoctum chinæ. Pedum lotio cum cephalicis.

Insufflletur cinnamomum & saccharum candum, aut fœniculum, decoctum fœniculi & ocularium ad fovendum oculum, corpore mundo. Aqua ocularis distillata, addetur mel anthosatum & commune. Masticatoria.

CONSILIUM XXVIII.

Pro herpete cum serpigine.

QUum dirus quidam herpes cum serpigine brachium sinistrum, præsertim infra cubitum, & totam manum fœdaret, jam annos multos sæviens, ut etiam jam parti inducta diathesis videretur, postquam concepit, hoc malo liberata pars visa est, immo suus nitor restitutus. Unde hoc? Sed aquea quædam per uterum, aut per sinum pudoris excretio contigit, unde tandem tertio aut quarto mense abortiit. Fetus velut semisideratus videbatur, humor qui olim in manum sæviebat, uterum appetivit, non tamen eum læsit, sed id quod in utero erat affixit; hinc aborsus causa. Circa eum affectum hæc agitabantur.

Id quod in brachio isto efflorescebat, an per diadochen erat, an per apostasin: An morbus erat. Si erat vitium confirmatum & diathesis, cur nitidior cutis apparet, tamquam exstincto malo. An humor talis in corpore gignitur? An eam malam qualitatem in manu pruriginosa acquirit? Si enim purus affluebat & revocatur alio, quid inde periculi?

Ut sit apostasis, fieri debet repente. Si sensim fiat & multo tempore, nec est exanthema, nec apostasis, sed morbus Hippocrati: quod hic fit; remanet enim vetus fomes mali & in corpore & in parte.

Allata

Allata hiſtoria Athenienſis apud Hippocratem: huic erat prurigo, & cutis leproſa: Uſu balneorum naturalium cutaneus affectus curatus eſt, hinc Hydropicus factus interiit. *Malum externum cito curare non oportet.*

Allata hiſtoria mulieris cui caput dolebat quum uterum non ferret, &c. Cauſa hæc ejus rei videbatur, quia forte erat bilioſa & bilis in utero aut circum uterum erat, quæ ſummittens ſurſum vapores dolorem capiti inferret. Quum utero gerebat, ſanguis & ſpiritus revocatus bilem temperabat: hinc doloris capitis vacuitas.

Item notatus locus Hippocratis, quod quum mulieres puræ concipiunt videntur gravius affici quam impuræ: quod huic noſtræ mulieri contigit: nam quum habeat corpus penitus impurum, pro ratione impuritatis non habuit male initio conceptus. Aliæ enim mulieres quæ ſunt puræ habent graviora ſymptomata. Verum tamen eſt quod etiam gravidæ perpetuo humidiores erant partes pudendæ ob ſpeciem quamdam ῥευματισμῶν (*i*).

Et male ominabamur fetui: quod contigit. Puer enim editus velut exuſtus erat & tabo infectus. Illud enim Hippocratis valet: *Qualia patitur mater utero gerens, talia & puer.* Immo apud Hippocratem editus eſt puer ulcus habens in coxa, quoniam præter rationem ſuppreſſis menſibus, mater conceperat. *Lib. de natura pueri.*

CONSILIUM XXIX.

Pro ſocero noſtro velut ſemitertiana laborante.

OBſervatione dignum eſt quod quidam annotarunt hemitritæon accidere Eccleſiaſticis, quod initio propter labores magnam bilis copiam congerant, deinde pituitam: & ea pituita continuam quotidianam & tertianam intermittentem parit. Hoc dictum quadrat ægro noſtro: Is enim, ſi quis alius utrumque humorem gignit: & is humor erat veluti ſegregatus a maſſa ſanguinis, & aliquo loco ſtabulabatur fovebatque febrem.

Si febris focus eſſet circum pancreas, & ventriculum, aut vomitiones aut nauſeæ adeſſent: hæc non adſunt: ergo focus febris alio conſiſtit loco.

Semitertiana periculoſa, quod non ſolum ſtomachum & partes nervoſas attingat, verum veternoſos facit, & cum deliriis annexas habet vigilias, reſolutiones & ſyncopas (1).

Si continua eſt quotidiana cum intermittente tertiana, cur uno die ſunt duæ acceſſiones? (2) Niſi forte ille paroxyſmus, qui ſine rigore eſt & frigore, ſi tamquam quotidianæ indicium: non tamen eſt quid periodicum. Sed quum quotidiana remittat, deinde exacerbetur, illa exacerbatio eſt principium primi paroxyſmi, & manifeſtus paroxyſmus eſt tertianæ

(*i*) Rheumatiſmi.

næ intermittentis. Arculanus vocat paroxysmum secundum semitam introitus, quia paullo ante præcedit alterum paroxysmum tertianum.

Ostendimus (ait Galenus) a bilioso & pituitoso succo febrem cum horrore venientem proficisci (id est semitertianam): hæc enim κατ' ἐξοχὴν (k) dicitur φρικώδης (l): Eam vero quæ caret horrore, a bilioso quidem, sed eo lentiore & coctu difficiliore, quam ferunt principum partium esse inflammationem: & hæc febris dicitur potius τριταιοφυής (m): Sic febres τριταιοφυέας (n) a bile lentiore esse vult, statuitque unum humorem, duplicem vero semitertianæ. Contra alio loco quum loquitur de febribus, quæ τριταιοφυέες dicuntur, ait, *Generantur istæ febres non ex succo uno, sed pluribus, quorum calidior febrem acutam succendit statimque discutitur: quæ dum corpus tenet, contingit frigidioribus corrumpi ac putrescere, iterumque ex illa remissione accenditur febris.* Sic uno loco statuit unum humorem febris τριταιοφυέως causam, in altero duos succos. At bifariam dubitationem istam elevare oportet. Uno modo quod quum ait duos succos causam esse istius febris, maxime id intelligendum est quum sunt ex intervallis horrores, aut parvi rigores, & manifestæ reduplicationes: cujus generis τριταιοφυέας febres explicavit *in Epid. loco allegato*, vel dicemus bilem quamdam benigniorem esse causam febrium τριταιοφυέων, (4) maxime earum quæ potius accedunt ad eas de quibus Hippocrates in Aphor. *Quæcumque febres non intermittentes tertia die fortiores fiunt*, &c. in iis enim remissio est manifesta secundo die, altero paroxysmus manifestus.

Ad part. 5. sect. 3. l. 1. Epid.

Ad p. 25. sect. 2. l. 1. Epid.

Par. 25. sect. 2. lib. 1. Epid.

Si in febribus horror est manifestus, an humor propterea est in venis? Credibile est humorem, nempe bilem quæ facit intermittentem tertianam, in hemitritæo ferri ad genus nervosum, & facere non rigorem, sed horrorem qui medius est inter frigus & rigorem, & qui per se non est proprius humoris biliosi. Sic Hippocrates observat febres continuas tertianarum more invadentes in quibus sunt parvi rigores inordinati (id est horrores) & tamen non erant intermittentes licet rigores essent. Sic horror iste potius videretur ob pugnam duplicis materiei contrariæ oriri, bilis & pituitæ, quam ob delationem in habitum corporis, ut fieri solet in reliquis febribus. Sed quomodo in continuis febribus contingant rigores ex intervallis alio loco explicavimus.

Lib. 1. Consil. meorum ad Consil. CX.

Febres a forti obstructione sunt continuæ symptomaticæ, & a materia extra venas, ut patet ex Galeno *in quarto Aphorismorum.*

Part. 5 sect. 3. lib. 1. Epid.

Nescio cur Hippocrates animadvertit tabidos, & eos qui morbis longis detinentur præcipue semitertiana laborare.

Sic quum morbus fit longus, Medicus observet num quid sit semitertianum, ut mos, motus morbi, symptomata & periodi annotentur.

Nec obest objicere quod in morbis longis & tabescentibus (5) horror non adsit, qui κατ' ἐξοχὴν (o) facit febrem semitertianam horrificam, nam Galenus

(k) Per excellentiam.
(l) Horrifica.
(m) Tertianarum naturam referentes.
(n) Semitertianas.
(o) Per Excellentiam.

Galenus tali objectioni satisfacit: *Si tabidis & aliter diu ægrotantibus solet accidere hæc febris, forte licet horrore careat, semitertianam vocabimus, si die secundo iterum invadat.* Tamen id potius dubitanter dictum est, quam absolute pronuntiatum, quamquam valde probabile est. Et ut res certissima sit satius est illud tenere quod ante assertum est. *Quæ febris ad integritatem non venit, sed horrificas primo die facit repetitiones, altero simplicem unam accessionem, semitertiana vocatur; si autem simpliciter tertio quoque die invadat, dicitur proprie* τριταιοφυής. *Comm. ad part. 5. sect. 3. lib. 1. Epid.*

Comm. in 6. Epid. includit nomine τῶν τριταιοφυέων, & semitertianas, & longas tertianas: quod videtur falsum. Sic vox διότι (p) videtur aliter meo judicio interpretanda. *Part. 23. sect. 2. lib. 6. Epid.*

Eodem loco febres τριταιοφυέας medias statuit inter semitertianas, & tertianas illas in quibus aliqua est intermissio.

Verum quod ad therapiam spectat, quæstio nunc non minoris necessitatis quam voluptatis moveri potest.

An laborantibus semitertiana continua habente paroxysmos tertio quoque die, aut tritæophyea, ipso die tertio quo reduplicatio fit, aut vena secari, aut medicamentum dari tuto potest? Id enim in religione non est apud nostros: at fortassis male. Si enim in afflictione ipsa, si in paroxysmo cibum dare nocet, cur non & purgare, & medicari? Immo Galenus explicans cur febris diurna sit longior quam nocturna & deterior, ait ideo diurnam esse & deteriorem & longiorem, quod quum diurna est, oportet de nocte medicari, quod incommodo non vacat: item quod constringatur corpus tum quum digeri debet. At dum urget morbus non difflatur corpus, sed inclinante accessione. Viget interdiu, de nocte digestio fieri debet: non fit ob noctem: Contra in nocturna: nam interdiu discutitur quod nocte coctum est. Tertia ratio, si cubant interdiu, nocte non dormiunt, maxime vero ob curationem: si non cubant, vespertilionum vitam agunt: nam nec nocte, nec die dormiunt. Sic temporis diuturnitate, & defectu somni, & defectu digestionis ob noctem quæ adstringit, & ob intempestivum curationi tempus tabescunt. Sed quærat quis cur de nocte non difflatur corpus? Id etiam ad arthriticos extendi potest. Vide quanta cautio Galeno in diurna febre aliquid moliri, ut etiam tempus ipsum nocturnum expectet ad medicandum.

ANNOTATIONES.

1. *Semitertiana funesta est cacoëthia, inflammatione, symptomatum vehementia, difficultate curandi. Est duplex focus & inæqualitas tanta, ut Medicus non facile curandi occasionem capiat.*

2. *In semitertiana uno die est exacerbatio quidem cum horrore, sed is levior est eo qui contingit altero die. Febres autem continuæ synecheis habent etiam paroxysmos. Et quod cum madore quodam quotidiana repetat seu exacerbetur, illud est proprium quotidianarum.*

3. *Quid*

(p) Propter quid.

3. *Quid? nonne qui laborat tertiana febre etiam pituitam habet multam? Immo in omnibus est & bilis & pituita. Credo in semitertiana putrere duos humores æqualiter fere potentes & abundantes: Et id facit ad hemitritæi generationem & malum morem. Unde illud Galeni* Com. in historiam de Philini uxore, *Pessimi sunt morbi in quibus bilis & pituita redundant: quibus succis redundantibus semitertiana succedit.* lib. 1. Epid. *Et* ad hist. de Sileno, *multo gravissimi simul morbi in quibus pituitæ, seu succi crudi magna copia, & simul bilis colligitur propter* ἀντενδείξεις (q) *in curatione.*

4. *Febres* τριταιοφυΐες (r) *duorum sunt generum. Nec enim (ut vulgo creditur) omnes sunt malæ, quia continuæ: sed sunt quædam quæ quodammodo ad tertianas accedunt.*

5. *Tabescentes febre hectica laborant continua. Et tamen Galenus observavit quibusdam tabidis adjunctam febrem tertianam, Hippocrates quintanam. Forte quinta hæc a materia esse videtur longe a venis semota, aut in pulmonem coercita.*

CONSILIUM XXX.

De Febre continua.

ILlustris Domina febricitavit assidua febre: Alvus erat liquidior. Febre carere visa est. Recruduit sequenti die febris. Jactationes, lingua tremula. Decimo quarto mors, dextrum hypochondrium molliter tendebatur. (1).

Relictis multis, quorum demonstratio ex superioribus duci eruique potest, in ea tantum parte laborabimus in qua quis dubitare potest qui fiat, ut qui febre assidua laboret duobus sæpe tribusve diebus fiat ἀπύρετος (s), & quodammodo restitutus, deinde denuo febricitet, & eodem modo die decimo quarto, citius tardiusve, judicetur (2), ac si nulla interjecta ἀπυρεξία (t), febris intercisa interruptaque non foret. Unde ista ἀπυρεξία; an revera talis exsistit? an tantum apparet, & revera non est? Si est, quomodo fit, & cur dierum criticorum certitudinem non tollit & infirmat? Si enim morbus judicandus fuit die decimo quarto, & æger febre vacaverit duos tresve dies, an judicium erit diei decimi quarti? Ista interjecta & interposita ἀπυρεξία continuitati & seriei dierum stato ordine progredientium officere videtur: quoniam id ambiguum exsistit; hic veluti honorarius arbiter & interpres exsistam, ut quid ea in re sit sequendum, facile percipiatur. Ac primum historias recensere operæ pretium duco; in quibus febris aliquam vacuitatem in assiduo continuoque causo Hippocrates observarit: deinde quid ea de re Galenus statuendum putet, explicabo.

Philiscus

(q) Contraindicationem.
(r) Tertianæ naturam referentes.
(s) Infebricitans.
(t) Infebricitatio.

Philiſcus continua febre afflictus die tertio mane & ad meridiem febre viſus eſt liber eſſe.

Clazomenius viceſimo judicatus, non ſudavit, a febre liberatur viceſimo ſeptimo coxæ dolor. Non meminit dierum interjectorum.

Qui in Dealcis horto habitabat, undecimo die febre erat liber, ſudavit, duos dies integros intermiſit, febris die 14. rediit; item die viceſimo liber a febre fuit, & tamen 40. die eſt judicatus.

Euryanactidis filia ſexto die liberata fuit febre, non ſudavit, judicata eſt. A judicatione die 7. riguit. Decimo a ſudore quem habuerat, deliravit, confeſtimque ad mentem rediit. Quum diem intermiſiſſet, duodecimo multum deliravit. Denique die ſeptimo a quo ita multum deliraverat, interiit, id eſt, totius morbi die decimo nono.

Circa hanc hiſtoriam duo obſervanda, prius quod abſoluta fuit intermiſſio, poſterius quod quum intermiſſio fuiſſet aliqua, & die duodecimo deliraſſet & febricitaſſet, ſeptimo die ab iſto duodecimo ad mortem judicata fuerit. Et Galenus *Comm. in iſtam Hiſtor.* ait, non eſt cur plenius quæramus de diebus criticis quum hi nullum habeant ordinem, quandoquidem mortem attulit, & deſtillatio a capite, & innatum tabidum: quaſi velit a duabus hiſce cauſis dierum ἀταξίαν (*u*), & confuſionem inductam eſſe.

Parius etiam die centeſimo obiit, die 34. & 40. febre liber fuit.

Anaxion viceſimo ſudavit, febre liberatus fuit, die 17. febris rediit, die 34. judicatus.

Hermocratis vero hiſtoria non omittenda eſt, immo celebranda, quoniam ex ejus Commentario deducetur ratio omnis quæ valebit ad id illuſtrandum de quo quæritur. Textus hic Hippocratis: *die 7. graviter habuit, ſub diem undecimum omnia illi viſa ſunt remiſſa eſſe. Die 14. a febre erat liber, non ſudavit, dormivit, omnino mente conſtabat, urinæ tenues. Die 17. febris rediit, in ſequentibus diebus incaluit, febris erat acuta. Die viceſimo eſt judicatus, a febre liberatus non ſudavit: Die 24. incaluit. Proximis diebus acuta febris, lingua combuſta, die 27. mortuus eſt.*

Ac primum objiciamus Aphoriſmum iſtum, *febres quovis modo intermiſerint periculum abeſſe ſignificant.* Et tamen Hermocrates interiit, & alii plerique *in Epidemiis*, quibus tamen in febre continua fuit ἀπυρεξία; & ſic intermittit quovis modo: immo Hippocrates utitur verbo intermiſſionis. Cur ergo perniciosus illis fuit morbus? fortaſſis majore id eget diſtinctione. Nunc audiamus Galenum de iſta vacuitate febris in febre aſſidua, ut iis ſatisfiat quæ primo loco poſita & quæſita ſunt. *Aph. 43. lib. 4. Aph.*

Primum *in Hiſt. de Hermocrate*, quum dies ſeptimus valde moleſtus fuiſſet, undecimo die omnia remiſſiora viſa ſint, ita Galenus: *Recte Hippocrates adjecit, viſa ſunt, nec dicit abſolute, mitiora fuerunt. Nec enim potuit ex periculoſiſſimis ſignis ſubito, quum eadem permaneret humorum cruditas, ad meliorem ſtatum devenire: maxime quum nil eluxiſſet decretorii*

(*u*) Inordinationem.

die undecimo, quod tamen eo die sæpe fit. Quod autem sit signum exitiosissimum, fuit sopor qui vel summam imbecillitatem significabat, vel refrigerationem summam, addo & διάχυσιν (x), ob febrilem æstum; id quod Galenus non animadvertit, Hippocrates vero observavit.

Galenus abunde quæstionis scopum tetigit, *Com. ad part.* 8. *de Hermocrate*, nam quum Hippocrates ait, die 14. non sudavit, febre liber fuit, idem est ac si dixisset, visa sunt omnia remissa, & tamen reipsa talia non sunt, non sudavit, non fluxit sanguis, non erupit parotis, infida est enim morbi intermissio, aut potius remissio, Græce ῥαστώσιν, quæ vox notanda est, ut eo loco vocat, quamquam Hippocrates manifeste dicat, febris intermisit: est enim sine ratione allevatio: & Galenus *in Comm.* ait die 14. & 20. perfecte febrem cessavisse. Et vulgus Medicorum gaudet si qua videatur allevatio, tametsi ex symptomatis perniciosis proficiscatur, nesciens quum natura enecatur & exstinguitur calor insitus, tales solere accidere affectiones, id est, febris intermissionem aut remissionem sine ratione. Eodem modo contingit in tumoribus: nam quum pus fit, dolor fit & febris inaugescit quod nativus calor tumores immutet: si a coctione revocatur natura, aut ipsa propter imbecillitatem abstinet, nec laborant, nec febricitant nisi perparum. (4) Et si pus fit & expurgatur præcedente & febre & dolore, pars fit salva: Si suppuratio, si febris, si dolor abest, pars aliquando putrescit. Idem contingit febricitantibus quum sine ratione allevantur, & febre vacant quum tamen præcesserint signa pessima. Tandem concludit Galenus: Quo commodius ægri habere videntur quum alioqui signa præcesserint perniciosa, hoc morbus multo deterior est existimandus. Et Galenus citat Historias de quibusdam qui quum pessime haberent quum morbus desæviisset, & fractus fuisset, Medicis & vulgo restituti putati sunt, immo jam ad munia obeunda redibant: paullo post redeunte morbo sublati sunt. In quo falli non oportet, nec ita securos nos de morbis esse oportet. Sic quando die 20. cessavit febris, id pessimum fuit signum, quia natura debebat potius novo excitato paroxysmo aggredi coctionem.

Et notandum id maxime quod scripsit dum reddit rationem cur die 17. febris invaluerit acutaque fuerit, id accessit (ait) non ratione caloris nativi, sed propter putredinem accensis πυρετωδῶς (y) humoribus. Itaque ubi fervor discussus est, a febre homo vindicatus est die 20. sed sine lege ac ratione. Sic hoc suspectum fuit. At dices, quomodo sciam paroxysmum istum a natura vi caloris nativi intendi, non autem id totum a putredine sola esse, & quasi signum exstincti caloris nativi (nam quum paucus est calor nativus febres fortes non fiunt); id declarabit pulsus. Ideo quia Hippocrates sphygmicam contemplationem omisit, nobis difficile est ex scriptis ejus ad cognoscendum, quibus id signis percipi possit. (5) Tandem concludere oportet & 20. die & undecimo istam allevationem suspectam omnino esse, commodiusque videri habere ægros quum tamen non

(x) Diffusionem. (y) Febriliter.

non ita ſit, ſed vulgus falſo decipiatur, quod exſtincto calore nativo febris deſerat ægrum, & quod reaccendatur eadem; fiatque νεωτερισμὸς (z) quidam (ut loquitur) non vi naturæ, ſed motu ipſius humoris, ut id totum ſymptomaticum ſit; ac credibile eſt pulſus frequentes eſſe, ſed admodum parvos & humiles. Contra ſi natura valeret, & ipſa aggrederetur aliquid, pulſus alius foret. Item quod malignus ſit ad finem morbi paroxyſmus, id ipſius naturæ poſtremum conatum indicat.

Eam ipſam rationem de aucta febre ob motum ipſius putredinis, & febris vacationem ob exſtinctionem caloris naturalis, Galenus explicat dum docet, cur Pythion, quum acuta febre laboraret, βραχύπνοος (a) factus fuerit (6): quia, ait, primo die calor febrilis per putreſcentes humores accenſus ipſe quidem digeſtus eſt relicto nativo ita infirmo, ut prius exſtingueretur, quam febrilis calor denuo accenderetur, velut fervefactis qui putreſcebant ſuccis.

Quid? vidimus aliquando febres quatuor aut quinque dierum vehementiſſimas ceſſaviſſe, ſine ſudore, aut manifeſta excretione, & tamen nil inde periculi ſecutum eſt. Forte ſi repetiiſſet iſte tam gravis paroxyſmus, & nil commemorabile apparuiſſet, ægrum ſuſtuliſſet. Vel id contigit, quia calor nativus non eſt affectus, & debilis eo modo qui dictus eſt ante; præterea non adſunt alia peſſima ſigna quæ aliis comitata mortem afferre ſolent.

Porro ex ſuperioribus dictis patet, bifariam magnos eſſe paroxyſmos, febremque magnam, vel ſola humorum putredine & caloris febrilis auctione (id quod Galenus vocat humores accendi πυρετωδῶς (b) vel propter vim naturæ & caloris nativi copiam. Priore modo vires ſunt infirmæ, poſteriore ſunt validæ & potentes. Priore modo aliquando febris exigua eſſe videtur, ſed id eſt potius ſignum fractæ naturæ & exhauſti caloris contra naturam: vix enim febris eſt magna, præſertim cum robuſto pulſu, quin aut ſit naturæ lucta, aut caloris naturalis copia & ubertas: Et tamen incidit aliquando paroxyſmus & auctior febris quum id ſit potius motu morbi & humoris quam naturæ. Et tunc poſt paroxyſmum iſtum natura ſuccumbit, & mors adventat, decipiunturque Medici: prius enim exſtinguitur calor naturalis quam denuo febris accendi poſſit (7). Quæſtio nunc eſt, Si magnus pulſus, ſi febris inſignis, ſi ſymptomata vigent, ſi æger æſtuat inſigniter, ſi ſitit, Medicus aliquid tentabit evacuando, aut purgando? Forte morbus tunc conſiſtit, in vigore eſt, pus fit, (id eſt in pepaſmum incumbitur in toto genere venoſo) oppugnatur qualitas materialis quæ tam vehementem paroxyſmum intulit, ſinendum id naturæ, non revocanda, ſolus etiam emanans ſudor plus proficiet quam quidvis quod agitare queas. Si tu revocas naturam ab inſtituto, criſeis interturbabis, ſi interturbas, ſecretio non continget bona poſt coctionem. Ut mirum non ſit, ſi purgatione immodica & detractione ſanguinis mor-

(z) Innovatio.
(a) Breviſpirus.
(b) Febriliter.

bus imminui, ac hebescere videatur, sed postea non amplius eluceat vis naturæ & ipsius aggressio insultusve, unde acutus morbus ἐκ μεταπτώσεως (c) longus fit. At satius esset brevius & acutius ægrotare. Quum enim natura morborum sit Medicus, plus efficiet coquendo & secernendo intra paucos dies per modum κρίσεως (d), quam nos vacuando, purgando, & humores innoxios agitando, & quasi camarinam movendo pro crisi & præcipiti judicio inducere τὴν λύσιν (e). Immo (magno Medicorum opprobrio) id observatur sæpe iis qui valida sunt natura, & quæ non facile quatitur, affligiturque, morbum febremque eodem fere tenore progredi & perseverare, (licet omni remediorum ope adversus morbum pugnatum sit) & feliciter crisin in 7. aut 11. aut 14. diem incidisse. Quod si natura sit debilior, & minime medicationibus assueta, frangitur quidem medicando vis morbi, sed protrahitur, quia naturæ demtum detractumque est calcar suum, detractus stimulus quo sollicitata beatas ac felices crises miraculo quodam intentare solet. Sic non abs re Hippocrates toties celebravit, initio quidem agitandum aliquid, quiescendum vero quum omnia consistunt: contra fit hoc tempore, nullo enim non tempore aliquid agitatur; etiam in vigore quidam phlebotomiam celebrant vehementia morbi adducti, minime rati, augeri symptomata ad victoriam naturæ & aggressionem, non propter deteriorem statum morbi, & causæ morbificæ potentiam. Et initio morbi natura opprimitur tantum a causis morbificis, in vigore a symptomatis. Symptomata enim sunt fortiora, dispositio morbi non est fortior, sed melior est quam in morbi initio, præsertim si morbus salutaris fuerit: Id est, quum natura coquat humorem, & sit lucta inter morbum, & naturam, non mirum si urgeant omnia, & augeantur symptomata, conditio tamen morbi & causæ morbificæ est melior, quia natura est potentior & victrix futura est, & si tum ab opere naturam revocas, quantum in commoda ægri pecces, ipse videris.

Nunc revocemus ad hypothesin id quod dictum est, & quæramus de pleuritide an prout augetur & dolor & febris, consilium capiendum est detrahendi sanguinis. An non auctio & doloris, & febris fit ob pepasmum? At quis dubitat quominus in pleuritide sit expectandus pepasmus, & ei studendum? Quum autem augetur & febris, & dolor, fortassis natura aggreditur coctionem: & detractione sanguinis a penso revocatur. Ut mirum non sit si plerique intereant in quibus potius supersedendum fuerat tam frequenti venæ sectione.

ANNOTATIONES.

1. *Quum in febribus hypochondrium dextrum molliter tensum est, scias febrilis affectionis originem hic exsistere*, *Galenus* histor. de Hermocrate.

2. *Vide*

(c) Ex permutatione.
(d) Criseos.
(e) Solutionem.

2. *Vide num sit idem judicium quod & de septimana, & nonana de quibus Hippocrates* part. 7. sect. 3. lib. 1. Epid.

3. *Ubi tertius & quartus dies paria habent symptomata, & signa in acuto morbo, brevi judicium expectabis.*

4. *Hoc ex loco patet Medicos terreri non debere quum ægrum divexari agitarique viderint augerique symptomata: hoc enim naturæ aggressionem significat: Quod dum fit, major quædam vis fit naturæ, & sinendum donec virus, aut partem materiæ superavit. Id quod in omnibus morbis fieri credendum est.*

5. *Inter cetera patet aperte ex Galeno* ad part. 10. & 12. de Hermocrate, *qua ratione vulgus decipiatur ratum* ἀπυρεξίαν (f) *istam bonum esse signum: Item docet cur febris quæ evanuisse videtur, revertatur.*

6. *Inter cetera hic locus annotandus. Unde hoc anno* 1587. *multi interierunt fere nulla febre præsente (quoad pulsum) quia calor febrilis digeritur, remanet naturalis ita infirmus, ut prius exstinguatur, quam febrilis calor denuo reaccendatur. Sed est falsa opinio* ἀπυρεξίας (g): *remanet enim squallor nescio quis & siccitas linguæ: & sensim ægri intereunt. Et Pellicarius Maclovius paullo post septimum visus est restitutus, deinde die undecimo exstinctus est.*

7. *Vidimus enim plerosque e medio sublatos quibus Medici spem pollicerentur salutis, falso inducti febris lenitudine & parvitate. At parva erat febris inopia caloris naturalis, & naturæ imbecillitate, non causæ imminutione & caloris contra naturam victoria, in quo pulsus ad naturam rediisse videtur. Ideo fortasse doctrinam sphygmicam neglexit. Item caloris acris sensus non erat qui prius.*

CONSILIUM XXXI.

De Causo.

ÆGri tres simili pæne febre laboraverunt. Causus erat non verus qualem descripsit Hippocrates: alvus libera erat, sed nil proderat, aut parum ea excretio: cruditas multa, tenuis & biliosi humoris aut seri potius vis interdum apparebat. 4. *Acut.*

Primum de foco: de siti, alvi libertate in febribus continuis, urinis aut tenuibus, aut crassis, de phlebotomia & purgatione post phlebotomiam, & quod venæ sectio aliquando præferri debet, Febrium ardentium focus est gibbum hepatis, jejunum intestinum, os ventriculi, venæ ventris, pulmo quoque & pulmonis venæ: Dubitant quidam an pulmo focus esse possit. Id expressit Galenus *in Epid.* & idem Galenus docens quibus febribus continuis hæmorrhagia convenit, ita ait, *hæmorrhagia maxime* *Ad part. 17. lib. 4. Acut. lib. 2. Epid. meorum.*

(f) Infebricitationem. (g) Infebricitationis.

xime iis febribus causodeis convenit quarum sedes in pulmone est. Sed apertissime alio loco explicat quibus notis distinguatur febris καυσώδης (*h*), cujus focus est in pulmone, ab ea cujus fomes est in hepate, aut ventre: maxime vero ex difficultate spirandi distinguit. Et hic locus est diligenter notandus, ut quum ea de re dicendum fuerit, habeamus quod in præsens afferamus. Et Hippocrates ad talem crisin febrium ardentium, quarum pulmo focus est, sputorum crassitudinem requirit: quasi vero, dicat quispiam, si pulmo focus febris est, ea non potius symptomatica dicatur quam essentialis. In uno loco ait ad καῦσον (*i*) istum bilem in venis pulmonis effervescere, in altero, simpliciter pulmonis meminit.

Focus febris ardentis pulmo.

Cur alvus liquida sit in causo, præsertim si focus in ventre sit, non autem si in pulmone, inquirendum: id terret Medicos sæpe: & adumbravimus quodammodo *in libris nostris*: Breviter perstringemus: nunc & locos tamquam notans indicabimus. Primum ita Galenus: in febribus alvus liquida esse potest tum ob ventris phlegmonem, tum ob colliquantem febrem. Hinc patet ob phlegmonem alvum liquidam esse posse. Item alio loco: *Quibus venter afficitur & focus febris est, his corrupto cibo dejectiones liquidæ sunt. Quibus pulmo focus febris, contingit ut adstringatur interdum alvus. Si jecur causi fomes est, aliquando alvus liquida, aliquando spyrathodea excernit. Si solum phlegmonem patitur, dura alvus est: si cum phlegmone est imbecillitas, liquida dejiciuntur, viscere ad se alimentum nequeunte allicere. Sed ejusmodi dejectiones ab iis quæ ventre affecto eveniunt, distinguuntur τῷ κεχυλῶσθαι* (*k*), quod verbum elegantissimum.

Ad part. 17. lib. 4. Acut.

De siti præclarum est quod scripsit idem Galenus: Nam quum vident Medici plerosque febre satis insigni laborantes parum sitire, aut nullam probabilem rationem afferunt, aut distillationem a capite causantur. Melius Galenus: *Interdum causus in una parte, interdum in toto corpore gignitur. Si in toto corpore, sitim omnino parit. Quum in una parte, non necessario, nisi pars ipsa sitim afferat. Omnium autem primum id facit os ventriculi, deinde stomachus, post pulmo, subinde jejunum intestinum*: id quod notandum est. Observavimus enim ante, Galenum velle, os ventriculi, hepar, pulmonem, & jejunum intestinum febris ardentis ἱερὸν (*l*) esse: vult & totum corpus: quod notandum. Atque inde colligere possis attractionem ichorum in totum corpus, non tantum in majores venas, causam esse causi. Sic in habitu corporis accendentur ichores, & febrem committent, & dolores ὀστεοκόπους (*m*) parient, & sudoribus solventur: Et ab habitu maxime sudor manat. Si ergo ventriculus, hepar, os ventriculi, jejunum intestinum, stomachus, & sitis & febris sunt foci quidam, item & corpus totum plenum ichoribus, quid est cur ad generationem febris continuæ recurramus ad venas internas majores?

Part. 1. lib. 4. Acut.

De purgatione & phlebotomia, utrum præcedere debeat, sæpe dubitari

(*h*) Inflammatoria.
(*i*) Inflammationem.
(*k*) In chylum corrumpi.
(*l*) Focum.
(*m*) Ossa frangentes.

tari solet. Hippocrates abunde ea de re dixit. Sed duas ejus sententias commemorabiles hic proponemus: ἡ φλεβοτομία ἡγεμονικόν ἐστι (n), ut loquitur Hippocrates, ubi inflammatio est, aut συστροφή (o): Deinde dixit, μετὰ τὴν φλεβοτομίαν ἡ φαρμακεία δέεται μετριότητος καὶ ἀσφαλείας: Id est, medicatio quæ post phlebotomiam administratur, omnis & mediocritatis moderationisque & securitatis servantissima esse debet. *4. Acut. part. 21. & 22.*

De Loysonio id notandum. Ictericus factus est post septimum diem: ac de eo verum fuit quod scripsit Hippocrates in ardentibus febribus, si icterus post 7. diem appareat, signum est sublati sudoris. Morbus non solet exsudare, nec abscessum facere, sed homo sanus fit: biliosa enim alvi egestione curatus est. Quod ad phlebotomiam pertinet quæ tuto in febribus synochis putribus celebratur, duo observanda sunt ex Galeni *meth. med.* Prius, quod synochus non cadit nisi in corpus bene habitum & succulentum, & in virtutem imbecillam non cadit: accedit quod calentis ætatis esse oportet. Posterius est de sanguinis detractione. In febribus continuis synochis spectatur obstructio & putredo, multitudo, crassitudo & lentor humoris, retentio humoris & excrementi transpirabilis. Inter causas censetur multitudo, & crassitudo, lentor; Retentio excrementi transpirabilis est causa & symptoma: Putredo est causa & affectus: Morbus erit febris & obstructio. At obstructio & putredo ipsa per se per detractionem sanguinis non possunt curari, alia enim remedia postulant. Si nutrimus febricitantes, augemus febrem, si non nutrimus, vires dejicimus. At satius est aliquid sanguinis, quod proprium est partium nutrimentum relinquere, ut paucas exhibeamus sorbitiones, quibus tamquam medicamentis potius quam tamquam alimentis utimur. Quid enim magis ridiculum quam non relinquere naturæ sanguinem jam factum & asservatum, & necessitate cogi ad ægros nutriendos? Quod quotidie factitari solet. Nam postquam sanguinem abunde detraxerunt, tum expressum capi aut aliquid simile multi alimenti offerunt ut vires detracto sanguine imminutas instaurent. *Lib. 2. de Indicationibus.* *Error Medicorum in secanda vena.*

Datum medicamentum sub diem criticum hypercatharsin excitavit. Sic natura ab opere forte revocata est. Sed si natura die critico alvi profluvium proritat, cur & ejus minister Medicus idem non faciat?

Sæpe ex acuto morbo fit quodammodo chronicus, dum materiam in profundo corporis quietam tranquillamque, & quæ motu suo naturam non sit agitatura, movemus. An non melius esset naturæ crisin sinere aut per sudorem, aut alio modo, quam revocando naturam ab instituto in morbi longitudinem ægrum conjicere? Id quod adumbrat quodammodo Hippocrates 4. *acut.* *Queis initio urinæ nebulosæ ac crassæ, hos, annuentibus ceteris, purgare convenit. Si urinæ inter initia tenues fuerint, hos non purgabis. Corpus quieti permittendum, ungendum, tenuiter nutriendum: nam si ventrem moveris, urina non maturabitur, febrisque citra sudorem & judicationem in longum tempus protrahetur.* Galenus *in Com.* explicat quomodo

(n) Sanguinis missio principalis est. (o) Collectio.

modo exhibitio alimenti naturam a coctione humorum avocet, & medicamentum naturam conturbet, & propterea coctionem impediat. Sic febris non judicatur ut judicari debet, & in multos dies protrahitur.

Inquietudo erat maxima. Et quoniam de ea disputandi locus est amplissimus, ea re supersedendum est hoc loco. Egimus enim *in lib. a nobis scripto de definitionibus Medicis*: & habeo multa eaque præclara annotata *ad part.* 19. *lib.* 1. *Prognosticon*, & *in* 2. *Prorrheticon.*

In uxore Pesmæi animadvertendus est quidam manuum tremor, aut potius subsultus quidam, qui non tam erat ab infirmitate & exhausto, quam a cacoethia, aut humorum copia. Et quum recreatis viribus, quæ initio valde afflictæ videbantur, diligenter corpus expurgatum fuisset, cessavit illud terrificum symptoma. Consimile fuit illud quod accidit Hortulano Domini de Roissy de quo ante.

Atque ex ea historia doceri debemus prognoseos vim & rationem esse valde ancipitem, nec deferendos esse a nobis ægros cujusdam infirmitatis ratione adductis. Sæpe enim humores crudi sunt, & tamen validis remediis naturam initio vexamus, & vires debilitamus, quas ad coctionem servare oporteret, & naturam ab opere avertimus, & materiam crudam agitamus: quæ agitatio naturæ infesta est.

Porro, quod ad curationem febrium pertinet, caput unum attingere pertinens ad victus rationem non erit alienum ab instituto. Et incipiendum erit ab Aphorismo Hippocratis: *Natura calido refrigeratio, potus aqua, quiescere: Somnus in frigore vestibus contecto*: Et *ex Com. Galeni* in hunc locum sensum istum elicuimus, inter dormiendum calor intus augetur, maximeque iis qui calore acri ac febrili abundant: proptereaque in loco frigido dormire debent, & vestibus cooperiri. Dormire quidem in loco frigido, ut aërem frigidum inspiratu attrahant: vestibus vero & stragulis cooperiri ut caliditas quæ se intro intulit, ad habitum revocetur. Sic corpus inspiratu aëris frigidi, dum in loco frigido dormit, & recalefactione superficiei vestimentorum vi ad temperaturæ quamdam mediocritatem redigetur. Sed id non omnibus naturis convenit. Quæ enim frigidiora sunt temperamento, hac victus lege offenduntur. Mens quidem fuit Hippocratis illo loco de naturis calidis id audire, non autem de febricitantibus: sed meo judicio belle apteque ad febricitantes accommodari potest.

15. *part. sect.* 4. *lib.* 6. *Epid.*

CONSILIUM XXXII.

Ad dolores ab utero.

QUum uterinis molestiis sese valde agitaret, & vix loco conquiesceret, post usum quorumdam remediorum hac in re partes D. Magni diligentiamque desideravimus.

Balneo utendum ad levationem dolorum. Aperiunda vena malleoli.

Utendum

Utendum ſuffitu ex tapſo, dictamno, chamæmelo, meliloto, ſemine fœniculi, aniſi coctis in aqua, addita vini albi parte.

Ex iiſdem impletus ſacculus qui continebitur circum ventrem.

Purgationi tunc incumbendum fuit. Lac aſinæ propinandum.

Notanda hiſtoria cujuſdam mulieris quæ quum uterinis moleſtata fuiſſet poſt ſuccuſſationem ab equo, poſt dolores longos excrevit aliquid pici ſimillimum.

Quum idem alteri mulieri contigiſſet, poſt diuturnos dolores, tandem eruptio carbunculi circa os ſacrum ſanitatis illius pars fuit. *Lib. 2. Epidemiorum meorum.*

CONSILIUM XXXIII.

De Hypochondriaca affectione, catarrho dorſali, & variis affectibus.

QUum interſit plurimum ad morbi cognitionem quæ ætas, quæ cæli conſtitutio præceſſerit, quæ corporis conſtitutio, in hac ſymptomaton ſyndrome & concurſu de prima morbi origine aliquid ſtatuere difficile eſt.

In certam enim ætatem certi incidunt morbi, ut in pueros lithiaſis, ab anno 14. ad 40. in conſtantem ætatem catarrhus dorſalis, & hæmorrhoidon moleſtiæ, auctoritate Hippocratis.

Sic ex relatu ægri omnino pendere oportet, donec aliter res innoteſcat.

At tanta eſt ſymptomaton diverſi generis complicatio, ut quo referenda ſint, vix oculatus Medicus perſpiciat.

Inter hæc interioris cruris dolores ſed fugaces, deinde pedum imbecillitas, greſſuſque impotentia, ſtupor dextrarum partium, gargareonis laxatio, vacuitas doloris aliquando, alvi proluvies, deinde longa adſtrictio: urinæ difficultas: hæmorrhois purulenta; deinde urinæ incontinentia; denique ganglii, aut thymi ſpecies, flatuum moleſta ſeditio ſurſum deorſum, dolores vagabundi, & plena querimoniarum oratio, cujuſmodi melancholicorum eſſe ſolet. Ex his quædam hypochondriacæ affectionis certa ſunt indicia, quædam diſtillationis & catarrhi dorſalis, qui aut Plinii ſcelotyrben, aut paraplegiam tandem eſſet allaturus.

(1) Nec enim novum eſt paralyſeos & paraplegiæ rudimenta ab interno corpore & viſceribus repetere, non a capite, ut vulgo fit, & in calculoſis ſtupor femoris ſine ullo defluxu contingit, quamquam a capite frequentius hæc dependere ſolent.

Interea tamen periculo non vacat, non intellecta mali origine, remedia decernere. Nam ſi hypochondriaca fovetur affectio, forte tutus uſus non eſt decocti ligni indici: ſi catarrhus tantum eſt, & a capite per ſpinalem medullam in ſubjectas partes defluxio, utile futurum eſt tale decoctum.

Accedit quod humor qui fluxit pituita eſt, aut ejus ſerum: non acer,

ſeroſus aut nitroſus humor, alioqui dolor implacabilis fuiſſet. Pituita autem & ejus ſerum ſtuporem potius & lentorem parti afferre ſolet quam dolorem, ait Galenus. Ut mirum non ſit ſi effeminatio, nervoſarum partium laxitas, & nonnulla reſolutio ſit ſecuta. Mucus enim iſte laxat potius & reſolvit, quam dolorem excitat. Et ſi laxatio ſphincteris ipſius veſicæ contigerit, unde involuntarie urina fluxerit, minus mirum fuerit.

(2) Porro vix hæc ſecum conſentiunt, ineunte hieme moleſtum eſſe toto corpore caloris & æſtus ſenſum, ceterum alias dimidia corporis parte, alias partibus inferioribus ſtuporem, gravitatem, imbecillitatem cum doloris quadam vacuitate contingere: Id quod diverſas ſymptomaton origines convincit. Nam moleſta illa caloris ſenſio hieme præſertim, per ſuppreſſionem ſeri videtur evenire: & id hypochondriacam affectionem maxime ſignificat. Flatuum enim iſtam copiam in hypochondriacis ad phlogoſin primarum meſenterii venarum Diocles referre videtur: cui aſſentitur Galenus.

In quo ambigi poteſt de frequenti detractione ſanguinis quam æger paſſus eſt. Si enim pituita aut humor ſimilis in partes ſubjectas influens nervorum vim diſſolvit, quorſum hæc frequens detractio ſanguinis? Calor enim & ſpiritus eſt diſſipatus, cujus magnæ ſunt in his affectionibus elidendis vires. Ut mirum non ſit ſi nullam mali allevationem iſta evacuatio attulerit.

Ut concludam, nil certum elici poteſt, quum quædam ſunt hypochondriacæ affectionis ſoboles, alia & defluxionis, & catarrhi dorſalis indicia. Quod certo tenendum eſt, ne fruſtra decernatur remedium uni parti pro altera.

Ut autem ex diagnoſi ad prognoſin via muniatur, id verum quod Hippocrates ſcripſit, torpores & ſenſus ſtupores præter morem contingentes ſideratione ſigna ſunt. Et idem Hippocrates: Quibus ſenioribus torpores ſunt vehementes, tum lumborum, tum crurum, quibus alvus non egerit, niſi vi, his morbus diuturnus erit, prædicendumque, annum, ut minimum, duraturum (3).

Et quum duplex origo a nobis fuerit explorata, bifariam quoque remedia erunt uſurpanda. Conciliandum robur partibus ſuſcipientibus, & quarum tandem morbi longitudine ſunt convulſæ. Ventri proſpiciundum & viſceribus a quibus pendent tot dolores fugaces, & impetus facientes modo in hanc, modo in illam partem: id quod hypochondriacis familiare eſſe ſolet.

ANNOTATIONES.

1. *Pars eadem convulſifico modo affici poteſt, & paraplegico. Paraplegico, quatenus nervoſum genus magis afficitur; convulſifico, quatenus genus muſculoſum.*

2. *Si dolores qui in ſuperiores partes ſæviunt minuerent eos qui in partibus ſunt inferioribus, metaſtaſeos alicujus argumentum eſſet: ſed id fit per quamdam*

dam ἐπιγένεσιν. Nulla autem ἐπιγένεσις (p) allevationem affert in prima parte in qua dolor est: sed ut est propagatio causæ morbificæ, ita & dolores: at in metastasi contra fit: levatur enim prima pars afflicta dolore. Hippocr. lib. 2. Prorrh.

3. Vetustissimi morbi & pessimi & qui revolvuntur gravissime obediunt, itemque hi qui sunt in vetustissimis corporibus.

CONSILIUM XXXIV.

De febre continua, cum dolore ad splenem.

MArg. Danieres febre continua laboravit circa mensem Augustum: dolor ad splenem & latus sinistrum. Splenicum id esse credebatur, nec tamen febris redoluit naturam humoris in splene congeri soliti. Insignis febris erat, lassitudines, genarum rubor magnus: sed ἐκ μεταπτώσεως (q) hæc febris in quartanam diu longam degeneravit. Circa morbum hujus hæc philosophabamur.

Rubicundi vulgo hepatici creduntur, & tamen hæc ægra splenica maxime patiebatur. Et a splene & febris biliosa, & rubores isti esse possunt. De primo exstat locus apud Hippocratem: Quædam ex villa Bulegaræ cepit ex splene laborare: Qui vero dextrum præcordium habent non quidem sublime, verum intentum, hi etiam magis sunt rubicundi (rubicunda quum esset.) Quamquam ex eo loco vix colligas an rubor iste splenicum quid, an hepaticum significaret.

De febre biliosa ex splene ita apud Hippocratem: Lycino Grammatico ex febre biliosa ex splene, capitis gravitas, &c. (1) Item alio loco: Post plejadas biliosi, splenes magni, duri, dolorosi, sanguinis eruptiones (Græce elegantissime Αἱμορραγικοὶ σπλῆνες (r), aliis sanguis biliosus ob splenes: quod notandum, ne quum febrem biliosam videas, & circuitus humoris biliosi, & motum, & sanguinis qualitatem, male accuses hepar, non autem splenem. Sic frustra medeberis. *Sanguis biliosus ex splene.*

In ea muliere erat velut ζύμωσις σπληνὸς (s), quemadmodum apud Hippocratem ζύμωσις ἥπατος (t) legitur.

Aderat lassitudo ὀστεοκόπος (u); fit autem ob tenuium humiditatum acrimoniam, & quamdam διάχυσιν (x): calor enim febrilis fundit & movet, sed non digerit, nisi critico tempore excernendi occasio affuerit. 4. Epid.

Lassitudo sanorum est symptoma ob vehementem exercitationem: sed quæ sine exercitatione fit, morbosorum est.

Hæc detractionem sanguinis ferre non potuit. Quam mox enim ab aperta vena animo defecit, donec consilio D. Magni haustu aquæ parum refri-

(p) Epigenesis.
(q) Ex permutatione.
(r) Sanguiflui splenes.
(s) Fermentatio splenis.
(t) Fermentatio hepatis.
(u) Ossa frangens.
(x) Diffusionem.

refrigeratus esset ventriculus, & spiritus incrassati, ac quodammodo repressi. Porro a detractione sanguinis facile animo linquuntur quidam vel quod natura imbecilliores, vel quod timore magno percellantur viresque offundant omnes, vel quod os ventriculi amara bile perfundatur, aut quam maxime acri sensu præditum ac infirmum sit. Unum autem in operibus artis scire convenit, plerisque in detractione sanguinis deliquium contingit animæ, quum præsertim prima corporis regio non est purgata. Bile enim os ventriculi natat, quæ quia movetur, & non promovetur, deliquium animi afferre solet. Itaque (nisi quod valde impediat) cachecticis, cacochymis & biliosis ἄνω (y), vix sanguinis detractio convenit, nisi prius aut vomitu bilis exclusa fuerit, aut eadem deorsum medicamento cholagogo exclusa fuerit.

ANNOTATIO.

1. *Diximus ex Hippocrate quasdam esse febres biliosas ex splene. Errant Medici qui* ἀδιορίστως (z) *ad hypochondrium sinistrum & regionem splenis olea calida, fotus calidos semper adhibent. Apud Hippocratem locus est de Polycrate cui fomenta ad splenem calefacientia oberant, refrigerantia proderant. Hic locus non est dissimilis priori jam allegato in quo mentio fit de febribus biliosis ex splene. Et* lib. de internis affectionibus *meminit Hippocrates morbi cujusdam splenis a copia sanguinis orti: in eo secat venam internam cubiti sinistri, alioqui in eos incidit excretio sanguinis fæculenti multi a qua intereunt, ut D. Buron contigit, & D. Pajot, & infinitis aliis.*

5. Epid.

CONSILIUM XXXV.

De Abortu, & fluore uterino.

NObilis mulier trimestrem utero fetum, aut paullo seniorem ferebat. Magnum quoddam confecit iter: ac tunc magna affecta est molestia: Abortiit: ac primum fetulum exclusit, deinde falsum germen cum grumis sanguinis, ac si jam nigrefactus foret. Ab eo aborsu dolores ad umbilicum, & τὸ ἤτρον (a) perseverarunt: Alba ab utero proluvies; modo subrubra, tandem alba continuo secedunt, & singulis mensibus menstrua apparent.

Mancus hic libellus & narratio in eo explicata. Multa enim alia sunt explicanda, alioqui frustranea erit omnis opera quæ insumetur.

Inter deliberandum dictum de eo Aphorismo: *Quæ absque causa manifesta trimestres abortiunt, iis acetabula uteri muco plena sunt.* Et in hac forte abortionis causa hinc repetunda.

Item,

(y) Supra.
(z) Indistinctè.
(a) Inferiorem abdominis partem.

Item, quod mola aut falſum germen aliquod abortionem facit, dum id quod mortuum eſt excutit vivum fetum.

De αἱμάλωπι (*b*) ſanguinis, eſt velut lividus in utero remanens tempore geſtationis quem fetus non capit: & hic aliquando ῥῦν (*c*) committit.

Morboſi menſes cum bono ſemine, & bonum menſtruum cum illaudabili ſemine molam facit.

Hippocrates: *Quum acetabula plena ſunt pituita, menſes ſunt pauciores. Quod defluit mucoſum & viſcoſum eſt: Et in menſibus quum purgari deſierunt per duos aut tres dies muci ex utero prodeunt, horror tenet, febris parva. Suffitus ad id utiliſſimus.*

Mulieres bilioſæ æque ῥῷ (*d*) laborant ac mulieres albæ & quæ vulgo ῥοώδεις (*e*) dicuntur.

Hippocrates: ſenioribus fluxum album eſſe magis, junioribus rubrum magis ex febribus & aborſu, & menſium interceptione. In quo parum diſtincte inordinata menſtrua cum ῥῷ confundere videtur (1). *Initio lib. 2. de morb. mulier.*

Compactæ mulieres non ita ῥῷ laborant, non ſunt bonæ nutrices, & quia ob ſoliditatem impeditur curſus lactis, & quia abſumunt alimentum in molem corporis. Contra mulieres albæ ſunt ῥοώδεις & τῷ ῥῷ obnoxiæ (2).

Quoniam nil de peculiari ægræ natura ſcripto ſignificatum eſt, nil de ætate, victus ratione, & iis quæ præceſſerint, difficile eſt aliquid ſtatuere quod morbi cauſam proxime reſpiciat. Et tamen in re hac ancipiti decernendum eſt aliquid prudenter, ne ſi irrita medicatio fuerit, ſaltem nulla gravis jactura conſequatur.

Hæc fuerunt capita deliberationis.

Victus ratio ſiccans ex uſu eſt, niſi aliter ſuadeat peculiare corporis temperamentum & conſtitutio.

Si qua in venis cruditas fuerit, mitificanda eſt. Si a capite vel aliunde fluxio fit, repurgandum corpus: Revulſione, ſi opus fuerit, vel ad cutim hydroticorum uſu fiet, vel vomitione, vel ſputatione.

Clyſmata cathartica pituitam circa locos oberrantem aut fixam prolectantia inſtituentur, non omittendo ſennam, agaricum in nodulo.

Si caput auctor mali ſtatuetur, purgationes & remedia capiti conſulent.

Si ventriculus imbecillior, humidiorve fuerit, ſolidioribus utendum, a liquidiuſculis & humectantibus nimium abſtinendum erit.

Ut viſceribus & meſenterio conſulatur a quibus forte focus manare videtur, ſyrupus ſolennis ex rheo, agarico & ſenna valebit. Item ſyrupus ex aqua melonariæ, cum agarico utero mirum in modum confert.

Hiera clementiore cælo dabitur ad eum finem.

(*b*) Sanguinis lividitate.
(*c*) Fluxum.
(*d*) Fluxu.
(*e*) Fluxionales.

Confirmato corporis habitu, vel hypocauſto ſi cælum ferat, vel ſiccatione per hydrotica, emplaſtris utendum corroborantibus.

Pulvis conferet ex pulvere florum & foliorum roſæ tranſmarinæ, conſerva roſarum ſiccarum, anthera, ſpodio (3), pulvere oſſis ſepiæ, corallio utroque cum tartaro vini albi abluto in aqua roſarum, & multo ſaccharo.

Aquæ Spadanæ conferent tamquam ſummum remedium.

Nec omittenda phlebotomia ſi res poſtulaverit.

ANNOTATIONES.

1. *Corpora ſervarum non ſunt ita fluori muliebri obnoxia. Magna quoque vis eſt pathematon animi ad diſſolvendam contentionem ipſius corporis, unde ad ῥῦν proclivitas: laxantur enim carnes.*

2. *Quum diſputatur περὶ ῥῦ (f), diſputari poteſt de conſuetudine mulierum. Hæ non detegunt morbos, unde aut ſunt inſanabiles per ſe, aut ex eventu: Item de earum morbis propriis, de natura, colore. Nam prout ſunt albæ aut nigræ, ita ſunt minus magiſve opportunæ. Aborſus etiam ſunt ſæpe cauſa talis ῥῦ (g), ex eventu: vis enim utero quodammodo infertur.*

3. *Cornu cervi uſtum & ſæpe uſurpatum aut potu, aut alio modo confert plurimum. Semen hederæ albæ commendat plurimum Hippocrates & corticem pini. Hoc eſt utrumque remedium parabile.*

CONSILIUM XXXVI.

De Raucedine.

IN ſumma raucedine cum loquendi difficultate ita a nobis cuidam monacho conſultum eſt. Caſſia delincta cum jure caulium rubrorum.

Uſus caſſiæ frequens, aliquando cum decocto folliculorum.

Bolus ex terebenthina cum conſerva violacea.

1 Suffitus ex decocto ungulæ caballinæ. Decoctum caulium rubrorum, hydromeli, hyſſopi coma adjecta. Pulvis glycyrhizæ ex ovo ſumptus, butyrum recens in paſtillos confictum, vel cum melle delingatur. Pineæ & piſtaciæ cum aqua roſarum, aut vino albo elotæ.

Maſticare & delingere glycyrrhizam, ac præſertim ſuccum ejus.

Vinum album dulce, gallis *vin bourru*: Litus pectoris.

Extractio mucaginis ſeminis lini non veteris plurimum valere dicitur.

Decoctum ficuum, paſſularum cum ſaccharo rubro, aut cando.

Item Pendaleones ex pulvere electuarii diaireos, conſerva roſarum, aut

(f) De fluxu. (g) Fluxus.

aut ungulæ caballinæ cum saccharo aut melle bene cocto. Oleum sacchari. Succus amygdalorum amarorum.

CONSILIUM XXXVII.

De Causo. Pro D. de Torigny. Ad Dominum Dalibourg Medicum Senonens.

H. D. DE TORIGNY febris assidua: calor interdiu paullum se frangebat: Exacerbationes nocturnæ, vigiliæ, dysuria, urinæ turbatæ, paucæ, sedimentum velut conglobatum, sed non verum habentes: Lingua nigricans, scabra. Sitis mediocris febri non ἀνάλογος (*h*). Septimo die omnia acerbiora (1): ischuria & suppressio absoluta: undecimo eadem: non tanta tamen mejendi difficultas. Circa 14. sudor. Febris paullum desæviit, urinæ perpetuo tales, sed copia major.

Causus erat qui hominem occupabat de secunda specie causi quam explicat Hippocrates 4. *Acut.* Multa enim ex symptomatis quæ secundum hoc genus comitari solent, huic causo affuerunt: præ ceteris urinæ suppressio. Hæc auctoritate Hippocratis adest aliquando in causo, & tunc esse dicitur, vel quum omnino urina supprimitur, ut Galenus interpretatur.

Et in hoc ægro plurimum terruit nos ista pauca mictio, dixisses enim excerni mucaginem & capillamenta. Et quod Galenus *in Aphor.* ait accidisse nonnullis, ut quadam τριχιάσει (*i*) laborarent, quibus faba & orobus in usu fuissent, id ægro nostro accidit: id quod excernebatur, mucorem seminis alicujus succulenti referebat: & cubitum magnitudine superabat: velut suopte pondere in fundum matulæ propendebat. Et istam mictionem μυξώδεα (*k*) appellare possumus, & ad τριχίασιν (*l*) quamdam accedere dicimus. Et ut Hippocrates observat in mulieribus τὰ καταμήνια ὑμενώδεα (*m*), ut quibus multa pituita circa uteros restagnat, similis in ægro mictio fuit. Pituita enim aut cogitur aut ducitur. Si ducitur capillamenta facit, aut aliquid simile. Et suppressio urinæ in principium morbi incidens, indicabat istam ἀπόληψιν (*n*) non esse a perturbatione critica. Hippocrates observat *in Aphor.* in febribus aliquando paucas & grumosas esse urinas, unde aut suppressio, aut pauca mictio: connivent enim vasa ab oppressione & copia: in quo Medici errant ad diuretica statim properantes, & comminiscentes falso, aut esse lapidem, aut calculum, aut aliquid simile: at humoris crassities est quæ id præstat. Unde in febribus ardentibus tales apparent aliquando urinæ, & habent ὑπόστα-

(*h*) Analogæ.
(*i*) Affectione pilari.
(*k*) Mucosam.
(*l*) Affectum pilarem.
(*m*) Menses pelliculosi.
(*n*) Suppressionem.

ειν ἄκαιρον (o) (2), de qua diximus *Comm. in Aphor.* 69. *lib.* 4. Nos aliam causam suspicabamur, vetus quoddam σάρκωμα (p) in urethra, aut ad parastatas. Explorantis catheter subire non potuit: Sic veteris cicatricis opinio fuit: quod quum contingit, id quod tenuius & liquidius effluit in mictu ipso, quod crassius est, reses in vesica manet. Et tandem quia id quod simile est, facile sese simili associat & adjungit, pituita illa in vesica reses novo cumulato humore accrescit, tandem capacitas vesicæ occupatur, & micturiendi desiderium adest: id quod multis opinionem fecit calculi, sed longe erraverunt (3).

In hac cura nos gessimus eo modo quo in iis quibus pituita viscida & lenta est infarctus pulmo. Nam liquidiuscula ipsa per se effeminant sputum, & τὸ φλέγμα (q) reddunt ἐκτεθηλυσμένον, id est effeminatum, ut ea ratione non facile procedat. Sed contra potius agendum est per ῥυπτικά (r). Revocabamus materiam antecedentem ab urinæ viis, ne illa sibi viam obstrueret.

Ut in posterum ita non afficiatur, si quid sit reliquum ex antiquo ulcere in urethra illud persanandum. Vesicæ & renibus consulendum. Syrupus Arnaldi Villanovani ad capillamenta in urinis conferet. Aquæ αὐτοφυεῖς (s). Aqua hordei cum melle, hydromeli, hyssopatum. Decoctum radicis enulæ campanæ. Lac asinæ (4). Serum lactis: oxymeli: cicera rubra: furfur: parietaria: plantago. Pulvis ossis sepiæ cum electuario diaireos simplici, saccharo rosato, pulvere glycyrrhizæ, ebore. Decoctum ficuum ex sententia Dioscoridis.

ANNOTATIONES.

1. *Est urinæ suppressio febris* καυσώδους (t) *proprium quoddam symptoma, & quod medentis consilium & provisionem ad sese trahit. Fit autem multis de causis initio talium febrium: præcipua tamen est copia humorum, & pituitæ præsertim, vias urinarias occupantis: vel confluxus humorum ad easdem vias. Et Medici graviter errarent si ad diuretica sese converterent. Derivandum enim potius per alvum. Juvaret quoque elicere vomitum nisi re aliqua prohiberemur. Plerisque creatum est periculum, quibus præpropere diuretica sunt administrata hac sola ratione & consideratione quod urina non redderetur.*

2. *Nota & vide quid sit sedimentum* ἄκαιρον (u), *& quod ante tempus est. Cui simile illud* lib. 1. Aphor. *quum disputat de urinis grumosis & paucis, ait, maxime quibus ab initio sedimentum inest. Tale enim sedimentum est* καταχρηστικῶς (x) *dictum.*

3. *Notandum quod quibus olim carnositas fuit in urethra, iis in vesica non raro tanta crudi succi copia succrescit, ut urinæ viam præpediat. Nec propterea*

(o) Subsidentiam intempestivam.
(p) Carnis accretionem.
(q) Phlegma.
(r) Rhyptica.
(s) Sponte nascentes.
(t) Ardentis.
(u) Intempestivum.
(x) Abusivè.

tered conjectandum est calculum aut solidum aliquod corpus subesse. Et id nisi diligenter animadverteris, ægrum valde offendes.

4. *Lac asinæ Galenus* Comm. in 4. Acut. *statuit inter ea quæ vim humectandi magnam habent.*

CONSILIUM XXXVIII.

De Hepatis marasmo.

QUum diu laboravisset, & omnium judicio hepar in causa esset, & morbi fomes, tandem circa regionem hepatis tumor apparuit, cujus in apertione spem nonnullam collocaverunt: Coegerunt Medicos, qui tandem putaverunt e re fore si ea parte pyroticum applicaretur: non quod spes certa esset, sed quod certa desperatione incertum remedium multo satius foret. Aperta pars, sanies fluxit: melius habere visus est: tandem interiit. Hepar erat marasmo affectum & cancri modo affectum.

Nos in Consilium adhibiti ita ambigue disputabamus. Quærebamus an esset inflammatio, an phlogosis. Si inflammatio, par erat pulsum duriusculum, serrantem & vibrantem esse: nisi quis objiciat id non esse necesse nisi membranæ, aut venæ, aut arteriæ afficiantur: pulsus enim tunc talis est. Si inflammatur parenchyma idque leviter, pulsus talis non est: ut inflammato stomacho, aut ubi cruditas est, etiam præsente inflammatione durus pulsus & vibrans non est. Generaliter, omnes qui febre diuturna laborant, ut jam marcescant, pulsum habent parvum, æqualem, frequentem, celerem, ut idiotis febrire non videantur, quod arteria pulpam digitorum non feriat. Et in hepatis suppurato non est pulsus idem qui in aliarum partium suppurato cernitur, quia hepar arteriis pæne caret.

Scirrhosum fit hepar sæpissime ex contumaci & inveterata partium obstructione, raro vel numquam ex inflammatione, quod in viscere calido & humido omnis inflammatio in perniciosum abscessum degeneret. Hac est in opinione Fernelius: quæ an vera sit, vide.

Singultiebat sæpe. Quærebatur an hic singultus a pressu esset, an resudatione.

Causa apostematis hepatis per affectionem propriam est mala temperies ipsius hepatis quæ humores pejores reddit attrahitque, ut tamen non bene a natura partis regantur: sic fit abscessus.

CONSILIUM XXXIX.

De purulentis urinis.

UXor D. Du Bourlabé ab annis multis excernit una cum urinis nescio quid quod quum mejitur toti urinæ confunditur: ubi paullum resedit lacteum quid est & referens albore, æqualitate & levitate verum pus. Quæstio an pus sit. Nephritin passa non est, nisi semel tantum quod ab annis decem viderimus, idque nuper. Et quum afflicta fuisset, doloresque cessavissent, quæsitum est an non in corpore ipsius renis lapis impactus foret, qui olim tales urinas promovisset, nunc vero apertam nephritin attulisset.

Qui senior Medicus erat pus ex eo colligendum putavit quod fœtorem haberet, si quidem pus esset. Contra hanc partem insistitur. Primum Celsus explicans illud Hippocratis pus quam minime sit fœtidum, ita scripsit: *Pus est melius quo minus est, quo crassius, quo albidius: item si læve est, si nil olet, si æquale est,* (*nisi locus hunc odorem excitat*, addit Celsus *cap.* 26. *lib.* 5.) (1) Credunt vix fieri posse ut non male oleat, putruit enim materia: Putredo autem nullo signo cognosci potest quam odore. Sed quum exigua est putredo, & calor naturalis superior est, tum minimum olet. Sic particula illa ὡς ἄκιστα non excludit omnem malum odorem, sed ut quamminimum oleat: vix enim ab ulcere manat materia, præsertim a corpore interno, idque cum urinis quin oleat male. Quod autem gravis odor puris comes esse debeat, ut distinctio sit inter pus & succum crudum, qualem in urinis cernimus, ita Galenus. *Si quis utatur pane athletarum, in eo abundabit succus crassus & frigidus, qui proprie crudus appellatur. Est & pituitæ succus crudus & frigidus, non tamen crassus, ut qui humiditatem multam & spiritum multum habeat. Crudus autem succus tale proprie quid est quale est id quod in urinis subsidet quod puri aliquando est simile. Sed pus graveolens est & lentum: Crudus vero succus crassitie & colore dumtaxat illi similis est, ut qui nec graveolens est, nec lentus.* Sic difficile est statuere ad pus constituendum an necessarius sit odor gravis. Contra locum adductum facit alius *in Aphor.* quum Galenus explicat Aphor. istum. *Si quis sanguinem aut pus meiat, aut squamulas, & gravis odor adsit, vesicæ exulceratio significatur*, ita Galenus: *Sanguinem & pus mejere omnium instrumentorum quæ urinæ inserviunt signa sunt communia. Odor gravis & maxime squamulæ propria sunt vesicæ.* Sic ex gravitate odoris colligit a vesica excretionem esse: quamquam observatum est excerni urinas purulentas, & valde fœtentes ulceratis renibus.

1. *Progn.*

Cap. 2. *lib.* 1. *de aliment.*

Vide Aphor. 81. & 75. *l.* 4.

Circa morbi hujus inquisitionem hæc raptim sparsimque colligebamus: Quum a venis urina fluat, per renes percoletur, & in vesica excipiatur, necesse est urinam affectionem horum trium indicare.

Ut

Ut ramentum ulceris ſignum eſt, ſi arenula calculi, ait Galenus: quamquam id minus verum eſt.

Notandum quum ait Hippocrates in Aphoriſmis: *Si quis meiat grumos aut ſtillicidium urinæ habeat, dolorque ventrem imum & pectinem occupet, circa veſicam labor eſt*: non dixit ſimpliciter, ait Galenus, veſica laborat, quoniam communiter affectus pertinere poteſt ad urinarios meatus, veſicam & renes, ſed dixit Hippocrates: quæ circa veſicam ſunt (2).

Forte de ægra hac hoc dici poteſt, quemadmodum obſervatum eſt ulcus, & abſceſſum renum fluoris muliebris cauſam eſſe, ita quis dubitat quominus aut latens meſenterii abſceſſus, aut alia in parte, ejuſmodi urinarum lactearum cauſa ſit, & quod ſi ea materia uteri viam appeteret, vaſaque ſubiret ῥῦν γυναικεῖον cauſaretur?

Apud Galenum *Comm. in lib. 2. de Natur. human.* multa ſunt de excretione purulenta, quoniam auctor *libri ſecundi de Natura humana*, putat id pus eſſe quod in urinis hominum otioſorum ſubſidet: Galenus contra & ſuccum crudum putat, & ſputa cocta puri quodammodo ſimilia credit. Immo certa circuitione talia excrementa pus falſo referentia apparent: nam ſucci crudi ac muci maturitas pus quodammodo repræſentat. Eraſiſtratus talem ſuccum crudum pus revera eſſe putabat, & ita Galenus. Si quis pus in ſputis, vel urinis a ſucco crudo non diſtinguat, vel ſciens per dogmatis conſequentiam doloſe aget, ut Eraſiſtratus volens ab inflammatione oriri febres, vel eſt ſophiſta nequaquam in artis operibus verſatus. Pus aliud enim eſt a ſucco crudo & colore, & conſiſtentia, & odore.

Quæſtio hoc loco moveri poteſt plurimum utilitatis & voluptatis allatura, cur æqualitas in ſedimento urinarum tantopere commendatur, & in pure; eadem vero æqualitas in dejectionibus toto genere contra naturam eſt? Illud eſt enim Hippocratis: *Mala eſt dejectio ſi fuerit parva, glutinoſa, alba, ſubchlora ac lævis.* Lævitas eſſe poteſt in laudabilibus excrementis, lævitas item poteſt eſſe in illaudabilibus (3). Quum lævitas eſt laudabilis, ſignificatur materiæ æquabilitas quædam, quam quum calor naturalis æquabiliter ſubit æquabilem magis reddit: ſed in rebus illaudabilibus æqualitas, & lævitas in pravis ducuntur. Ita præclare Galenus: *Lævе redditur quicquid e corpore excernitur, aut quod habeat æqualem coctionem, ut nulla ejus pars effugerit naturæ alterationem: aut propter vehementem colliquationem, ut nulla materiæ pars imperpeſſa ſuperſit; ut igitur quod ſalubre eſt, ſalubrius redditur quum æquale fuerit, ita id omne quod malum eſt, evadit deterius ſi æquale exſiſtat* (4). *Utrumque enim per omnem materiam apparet, quæ aut naturæ comtum recepit, aut turpitudinem pravitatis.* De glutinoſis porro id adjiciendum, aut ſunt paucæ, aut multæ. Si paucæ colliquationem mediocrem ſignificabunt. Si multæ, aut cum fœtore, aut ſine. Si ſine fœtore, ciborum naturam oſtendunt quæ multum glutinoſum humorem ac crudum acervatum ſignificant. Si multæ cum fœtore, vehementem oſtendent colliquationem.

2. Progn. part. 21.

Duplex lævor.

Hæc ægræ noſtræ inſtituta ſunt. Purgetur clyſteribus malacticis.

Utatur caſſia, ex rhabarbaro, & electuario diatragacanthi frigidi: aut cum conſerva roſarum.

Uſus frequens eſto conſervæ roſarum & nenupharis: Aqua amygdalarum dulcium, cum diatragacantho frigido.

℞. Electuarii diatragacanthi frigidi, dr. vj: conſervæ violarum & nenupharis, ana, unc. ß: pinearum & amygdalarum dulcium excorticatarum, deinde infuſarum in aqua communi & contuſarum, ana, unc. ß: pulveris glycyrrhizæ, ſcr. j: cum ſyrupo violato fiat opiata: capiat ſcr. iv pro doſi, ſuperbibat hydromeli bene coctum.

ANNOTATIONES.

1. *Aphrodiſæus* problem. 19. lib. 2. *docens analogiam inter pus & hypoſtaſin, docet cur pus in abſceſſibus fœteat, & hypoſtaſis non fœteat: Supponit autem falſum: quia pus ſæpe non fœtet.*

2. *In hac muliere duo ſunt quæ metum afferunt, viciſſitudo caloris & frigoris, & lenta febris quædam: & præſertim nocte exacerbatio contingit. Galenus* ad Comm. ad part. 60. lib. 2. Prognoſt. *explicat cur Empyici febre lenta teneantur & hectica, & cur noctu incaleſcant*: Accidit omnibus hectica febre laborantibus, ut noctu intenſiorem calorem habeant, non quod nox augeat febrem ratione ipſius diatheſeos morboſæ, ſed ratione dati oblatique cibi; incaleſcunt enim a ſumto cibo, & maxime dum diſtribuitur. *Quare de nocte potius? Nam & cibus interdiu datur. A Vega mihi videtur pueriliter hoc explicare: quia (ait) tempore Hippocratis non prandebant, ſed cœnabant: Galenus æque male: nec enim omnino explicat illud Hippocratis:* Noctu vehementior. *Melius diceret, quoniam agitur de purulentis, in omnibus ſuppurationibus dolores ad noctem, id quod non tantum audiendum dum pus fit, ſed dum pus continetur aliqua parte fovens febrem lentam. Vel dicemus, quum hecticis partes ſolidæ ignitæ ſint, non mirum ſi noctu calor increſcat, tum quia nox humectat, tum quia revocatur calor & ſpiritus intro. Sic calor creſcit non ratione ipſius affectionis, ſed ex eventu. Vel dicemus, nocte revocatur calor naturalis ad centrum, qui calor quia igneus eſt, & non ἀτμώδης (y), dum revocatur intro non nanciſcitur aptum domicilium, & quo loco humectare debet, ſiccat & ſqualorem auget: & tunc non fiunt acceſſiones febriles, ſed quædam exacerbationes. Præclara eſt hæc quæſtio, & videtur contrarium contineri* Com. ad particulam illam Nocturna longa 6. Epid.

3. *Lævor eſt quum calor naturalis ſeſe in omnes materiæ partes æquabiliter inſinuaverit.*

4. *Sic pus non dicetur e genere earum eſſe rerum quæ contra naturam ſunt.*

5. *Quoniam vulgo ab uſu caſſiæ, & pilularum communium ſtatim ſumitur cibus, id non placet Galeno* cap. 31. lib. 2. de alimentorum facultatibus.

(y) Vaporoſus.

CONSI-

CONSILIUM XL.

De Febre periodica, & tumore ventris. Pro D. Isabella Vestali.

DE duobus agebatur, tumore ventris cum duritie summa, & de febre alias periodica, sed incerta & erronea, alias periodica & certa redeunte periodo. Tumor est tamquam symptoma: febris tamquam morbus, forte & tamquam symptoma: utrumque enim suppressionis mensium est consectarium. Si enim proliciantur menses, spes est utrumque cessare posse (1). Porro in tumore isto & duritie hæc spectanda: e genere symptomatum est quæ ad tactum referuntur: id enim quod molle, & λαπαρὸν (2) debet esse, intensum & durum percipitur. Durum autem tribus efficitur modis, congelatione, repletione & siccitate. Videndum ad quod horum generum referri debeat. Tumor autem omnis aut est hypochondriacus, (2) aut hypogastricus, aut hystericus: & κατὰ συνεκδοχὴν (a), tam partes quæ continent, quam quæ continentur audiri debent: ea de re amplum examen ante. Porro non idem durum & siccum, ut nec humidum & molle. Siccitas ebibendo humorem, concretio inspissando & veluti congelando, repletio renitendo duritiem ostentat & indurat. Sed duri causa præcipua est concretio & materiæ quædam congelatio. At repletio potius renitentiam affert. Et non quæcumque renixum afferunt ea dura sunt (3).

De febribus quæ accidunt præsertim virginibus a suppresso menstruo Hippocrates: *Sunt*, inquit, *febres erroneæ*, *De morbis virginum*: Et *libro de superfetatione* sunt epialæ: legendus uterque locus. Et hic successus esse solet, si acuta inflammatio, insanit virgo; si putredo, clamat: si caliginositas, timet; si malitia sanguinis, animi mœror.

Sanguis suppressus vel ad partes superiores refert se, ut cor & septum transversum, vel ad inferiores. Si in has, facile ad se redit, si in illas superiores ob ambages, & obliquitatem venarum non facile redit ad se. Et quum ad septum transversum rapitur, deliramenta excitat: sed hæc ex intervallis cessant: id quod nostræ virgini contigit. *Lib. de superfetatione.*

De menstruis suppressis ita Galenus: *Si menstrua fluunt plus justo, morbi contingunt; si non fluunt, ab utero, & in utero morbi contingunt. In utero aut dispositio inflammationi similis, aut erysipelati, aut duro tumori, aut cancro, quibus denique compatitur totum corpus.*

Clysteres parentur uterini cum carminativis & elicientibus sanguinem, hypericone, centaurio minore & hiera: frequentissime subjiciantur (4). Aperietur saphena pedis dextri, lotis prius pedibus, & fricatis. Exhibebitur medicamentum hypochondriacum cum folliculis & confectione hamech.

(2) Inanes.

(a) Per synecdochen.

Repetitis iisdem clysmatis altera saphena aperiatur. Tabellæ concinnentur trium santalorum cum rhabarbaro triplicato, & electuario diacubebarum, & dialacca. Utetur cum dosi una apozematis incidentis, attenuantis ex radice rubiæ majoris, fœniculi, petroselini, cum majorana, agripalma, artemisia & capillaribus.

Interea tamen fotus adhibeantur ventri ex malacticis, radice althææ, liliorum cum chamæmelo, meliloto, foliis malvarum, violarum, semine lini, altheæ, omnibus incoctis in aqua & pauco vino albo.

A fotu superponatur scutum ex bombace carpinato macerato in oleo keirino, chamæmelino, & liliorum.

Utetur his pilulis.

℞. *Castorei, dr. j: myrrhæ, scr. j: pulveris hieræ recentis dupla aloë, dr. ij: massæ pilularum sine quibus, scr. iv: cum syrupo de hyssopo fiat massa, de qua capiat scr. j cum dosi apozematis instituti.*

Fiant fotus ad uterum ex calidis, attenuantibus & aperientibus in aqua & vino coctis.

Fiat suffitus ex trochiscis de myrrha per infundibulum.

ANNOTATIONES.

1. *Quum omni ope adhibita tum admotis, tum assumtis, tandem magna copia menses effluxissent, omnino sibi restitui visa est, & tumor iste resilire ac minui putatus est.*

2. *Non est novum hypochondriacum eum esse tumorem, hypochondriacum & situ, & natura rei. Immo plerisque hypochondriacis venter tumet eo modo quo in hydropicis: immo pro hydropicis curantur. Et quum instat tempus mortis, in ipso mortis articulo detumet omnino venter.*

3. *Si quando incidet occasio disputandi de siccitate, & duritie, & remediis eo pertinentibus, legendus* Com. Rochonii cap. de scirrho.

4. *Erat præcalidis satis visceribus: itaque non valde conferebant ea calida remedia: Utendum erat potius contemperantibus.*

CONSILIUM XLI.

Ad Melancholica pathemata.

DIctum est partim ægritudinem esse, partim ægrotationem. Hæc corpus attingit, illa animum. Quod animus afficiatur, declarant querelæ perpetuæ, metus, mœstitia, quæ levis perturbationis & deliramenti rationem habent: inquietudo, somni vacuitas, aut ejus perturbatio.

Cap. 6. lib. 3. loco aff. Galenus duplicem statuit melancholiam, unam cerebri, alteram totius corporis: Id est, aliquando cerebri venæ sanguine atro plenæ sunt, & tunc caput afficitur: aliquando totius corporis venæ eo turgent sanguine: & tunc si cerebrum afficitur, per consensum afficitur.

Quæstio,

Quæſtio, an melancholia morbus eſt cauſa generationis ſucci melancholici, an ſuccus melancholicus ejus melancholiæ cauſa ſit. Quidam dicunt melancholiam quum ſit affectus animi qui ἐν τῇ αἱρέσει τινὶ (b) conſiſtat, talis ſucci parentem eſſe: at eſt ubi id fiat, eſt ubi non fiat. Mœror & triſtitia ſigna ſunt pathognomonica, præſertim quum ſunt ſine cauſa manifeſta, melancholiæ: hinc revocatio ſanguinis & ſpiritus ad interiora. Si ergo melancholia id faciat, ex eventu cauſa eſt aduſtionis humorum, facitque ut ſanguis & ſpiritus amittant ſuam viriditatem & limpiditatem: nam ſanguis quum ſit mobilis, ſuavis, & lucidus, hominem in ſpem erigit, lætitiam & comitatem inducit: unde ſanguinei ſunt venuſti & hilares. At ſuccus melancholicus colore atro timorem ac triſtitiam affert: firmitate & craſſitie, in opinione ſuſcepta, quantumvis ridicula, conſtantiam affert. Sic & morbus ipſe immutare alium ſanguinem poteſt, & ſanguis etiam, ut quum eſt in toto corpore, a natura alienus melancholiam ex eventu inducit. Præclarum enim quod ſcripſit Galenus: *Conſtat autem quod totius corporis intemperaturas ſequitur mentis læſio, quod non ſecus afficiatur cerebrum quam totum corpus* (1). Quæſtio hæc pluribus diſcuti poſſet. *Ad part. 34. lib. 1. Prorrh.*

Nunc dicamus uno verbo de metu & mœſtitia, quæ ſunt ipſius paſſionis ſignificativa quum ſunt ſine cauſa manifeſta. Sed ita tamen decidi hoc poteſt. Metus & mœſtitia ſine cauſa manifeſta ſunt melancholiæ pathognomonica, & metus, timor & mœſtitia ipſa per ſe poſſunt eſſe ut cauſa melancholiæ. Sed id diverſa ratione audiendum eſt.

Galenus abunde explicat quibus notis deprehendas aut in cerebro, aut in toto corpore redundare ſuccum melancholicum illius affectionis auctorem (2): item quinam ſint obnoxii iſti morbo, & generationi talis ſanguinis. *Molles, candidi & obeſi*, ait Galenus, *nequaquam habent humorem melancholicum, ſed macri; hirſuti, & quibus amplæ ſunt venæ, aptiſſimi ſunt ut talis humor in his cumuletur.* Eodem loco attingit curationis capita. Ubi univerſum corpus ſuccum ſanguinemque melancholicum continet, a venæ ſectione auſpicanda curatio. Ubi vero ſolum cerebrum, infirmus (quod ad hanc diſpoſitionem attinet) ſanguinis detractione non eget, quamvis ob aliam cauſam egere queat. *Eodem loco cap. 7. lib. 3. de loc. aff.*

Sic duo melancholiæ genera perſecutus eſt Galenus, tertium addit, hypochondriacum; eſt tertium melancholiæ genus, ait Galenus, morbi comitialis exemplo, quum a ventriculo ortum habuerit (4). Et de eo morbo ſic Diocles. Eſt alius a ventriculo morbus, ſupple, melancholicus; ventriculi aliquando vehementes ſunt dolores, qui nonnullis ad dorſum uſque procedunt, concoctis cibis quieſcunt, mox aliis ingeſtis eadem accidentia revertuntur. Eſt enim hoc maxime animadvertendum, quod dolores dorſi ejuſmodi affectu laborantibus ſint familiares; & quod modificato cibo quieſcant, novoque rurſus ingeſto ingraveſcant. Hyparxin conſtituit Diocles etiam ex aliorum opinione in inflammatione primarum venarum

(b) In quadam electione.

venarum quas lactes vocamus: quamquam ipsi lactes proprie pro tenuibus & gracilibus intestinis capi soleant.

Et notandum est maxime, quod hypochondriacam melancholiam a ventriculo oriri dicat, & epilepsiæ modo, ejus præsertim quæ a ventriculo est: quod possumus sic explicare. Quemadmodum in epilepsia per consensum ventriculi, & in pavoribus puerorum, qui emittuntur vapores cerebrum feriunt, ut sit consensus inter ventriculum ob insignem nervorum texturam & cerebrum; ita in melancholia hypochondriaca quæ elucent symptomata, ea maxime ratione ventriculi elucent, ut propterea a ventriculo malum oriri dicatur, licet fortassis ventriculus ipse non sit in causa, nec auctor mali.

Melancholia cerebri est affectus animi ἐν τῇ αἱρέσει (*c*) consistens (5): firmitatem enim & constantiam habet etiam in rebus frivolis; & quæcumque agunt tales melancholici, etiamsi per se significationem habent alicujus judicii, ea valetudinis vitio morboque fiunt.

In hypochondriaca est inflammatio quædam συρροφικὴ (*d*), & ad ejus curam, licet multa reclament, venæ sectio in primis est necessaria; nam ἐν ταῖς συρροφαῖς φλεβοτομίη ἡγεμονικόν ἐστι (*e*): Gallice, *c'est le conducteur de l'œuvre; il faut commencer par là.*

Melancholici patiuntur varia, varioque modo afficiuntur pro natura humoris, conditione animi, & moribus institutis & insitis. Quidam enim habent humores mites, non mores: alii mores mites, sed non humores. Ad melancholicos facile pertinebit id quod scriptum est in *lib. de humoribus*, Ἑκάστῳ δὲ τὸ προσῆκον τοῦ σώματος τῇ πρήξει ἐν τουτοῖσιν ὑπακούει, id est, singulis animi affectionibus & causis quæ extrinsecus incidunt, quæ pars cuique corporis coctioni est consecrata, & officiales, & ministræ partes, his morem gerunt, ut cerebrum cogitationi, cor animositati, hepar cupiditati.

Melancholici non eodem omnes modo affecti sunt. Sed ut varias animi partes unusquisque exercuit dum integra valetudine frueretur, nempe τὸ θυμοειδὲς, τὸ ἡγεμονικὸν, καὶ τὸ ἐπιθυμητικὸν (*f*), ita dum in melancholiam incidit, ideam pristinæ suæ consuetudinis retinere cernitur. Unde quidam dum melancholia prehenduntur de rebus venereis loquuntur & cogitant, alii eas voluptates sequuntur quæ cibo potuque capiuntur: & tandem consuetudine naturam quamdam faciunt, in aliquamque rem defixi manent.

An febris Hypochondriacis.

Quæstio est, cur definiatur melancholia, Delirium febris expers? & quomodo id intelligendum sit. Si de essentia, quam ὕπαρξιν vocant, id audiatur, revera est vacuitas febris. Si vero generationem spectes, non semper est febris vacuitas. Nam cumulus & coacervatio humoris melancholici naturalem œconomiam labefactat, putredinem aliquam generat quæ sit alterius generis quam aliorum humorum putredo; denique hepar tandem

(*c*) In electione.
(*d*) Collectiva.
(*e*) In collectionibus venæ sectio principalis est.
(*f*) Facultas irascibilis, principalis; concupiscibilis.

tandem infestat. Alio loco quæsivimus, an Hypochondriacos febris comitaretur.

Notandum quod scripsit Galenus, *Molles, candidi, obesi nequaquam habent humorem melancholicum. Macri vero, & nigri, & hirsuti, & quibus venæ latissimæ sunt, aptissimi sunt ut talis humor in his cumuletur.* Et fit interdum ut prærubro colore homines affatim in melancholicam temperiem incidant.

Quomodo autem οἱ ἐξέρυθροι (*g*) fiant melancholici, & varia experiantur συμπτώματα (*h*), in fine sequentis paginæ dictum est.

Ceterum in duobus errare videtur in cura melancholicorum; prius est dum inediam famemque tolerare jubebuntur; alterum dum medicamentis valde calidis & siccantibus exercebuntur. Quod ad prius, abstinentia cibi humores in multis acriores redduntur: hinc ferocitas major: unde biliosi & quibus temperamentum calidius & siccius est, & sudor, & saliva acrior redditur: immo venenatam vim quamdam adipiscitur. Et morsus hominis biliosi jejuni venenum suæ qualitatis ratione æquat: Cibus vero euchymus sua benignitate succos acres temperat.

Ad posterius, quum biliosi per δυσδιαφόρησιν (*i*), nigri, hirsuti, & prærubri, & melancholicam diathesin facile subeant, & succi melancholici γένεσιν (*k*) facile habeant, e re non videtur, si ad talia corpora, & tales succos acriora medicamenta & calidiora adhibeamus: immo omnia pæne splenica, & succo melancholico dicata sunt ejus generis. Et tamen τῶν ὑποχονδρίων φλόγωσις (*l*) fere in illis esse solet. Et omnes practici decipiuntur nomine succi melancholici, qui suo ambitu sæpe continet eum succum qui χολὴ μέλαινα (*m*) dicitur. Itaque hæc remedia ἀδιορίστως (*n*) non sunt usurpanda (*6*).

ANNOTATIONES.

1. *Cerebrum enim in ratiocinabilitate alias laborat, alias in animalitate: In animalitate, quatenus cerebrum ut pars organica laborat; in ratiocinabilitate, quatenus mens, id est, temperamentum cerebri laborat.*

2. *Qui sunt flavi, præsertim si vigiliis, curis, laboribus usi fuerint & tenui victu educati fuerint, melancholicum succum generant.*

3. *Melancholia est quædam a vitio ventriculi, quemadmodum epilepsia a ventriculo, Galenus* cap. 7. lib. 3. loc. affect.

4. *Hypochondriaca melancholia ortum a ventriculo habet. Notandus est totus ille locus* lib. 3. de locis affectis, *qui vere exprimit naturam morbi melancholici.*

(*g*) Prærubri.
(*h*) Symptomata.
(*i*) Difficilem evaporationem.
(*k*) Genesin.
(*l*) Hypochondriorum phlogosis.
(*m*) Bilis nigra.
(*n*) Indistinctè.

5. *Ista αἵρεσις* (o) *cadit in eam partem animi quæ mentis & consilii est : id autem Hippocrates vocat* ῥέπειν εἰς τὸν γνώμην (p).

6. *Melancholici sæpe surdescunt, non quod vitium sit in instrumento quod* ἀκουστήριον (q) *dicitur, sed* ἐν τῇ ἀκοῇ, *id est, in ea parte a qua audiendi vis manat.*

7. *Hippocratis illud est, lumbis dolentibus stomachi dolores antecedentes signa eruptionis, sanguinis puto. Galenus* in Comm. *docet eumdem humorem causam esse doloris lumborum, & doloris ipsius ventriculi, sed diversa ratione. Nam id quod crassius est, & suopte pondere vel restagnat circa lumbos, vel deorsum repit, illi sum graves reddit lumbos : id quod tenuius &* ὀρρὸς λεπτὸς (r) *Græcis dicitur, ventriculi partes appetit, doloremque ibi excitat, & nonnunquam* λειποθυμίας (s). *Est enim credibile, sanguinem istum crassefactum inducere quamdam naturam grumosi sanguinis. Porro grumosus sanguis quot & qualia edat symptomata, non est necesse pluribus explicare. Ut non mirum sit eos quibus suppressæ sunt hæmorrhoides, aut quibus mulieribus restitant menses, sæpe animo defici ac linqui : & præsertim quibus propter moram sanguis suo genuino ac naturali sero destituitur : immo talibus post diuturnos dolores* ἀθρόας (t) *immanes oboriuntur.*

CONSILIUM XLII.

Ad facilem uteri gestationem. Ad D. Sayvejum Melodunensem Medicum.

ACcepi non ita pridem a nobili viro Vallentio litteras, remedia aliquot prophylactica complexas, quibus vestro cum consilio caræ suæ conjugis graviditatem securiorem alacrioremque redderet, & spe nonnulla prolis suam solitudinem levaret : hæ perjucundæ mihi fuerunt, & quod a tam benigno & liberali homine venerunt, & quod tantum prolis desiderium honesto aliquo officio lenire sit gloriosum. Sed eo jucundiores, quando tu in earum extremo cum tacita quadam commendatione, nobis, de nomine incognitis, tam amice edito tuo nomine salutem impertiveris : In hoc & benevolentiæ, & candoris tui significatio maxima apparuit : id quod partim innatæ tuæ virtutes, partim humaniores litteræ quibus mirum in modum reluces, tibi pepererunt. Ac mihi vehementer gratulor, quod ita contigerit, ut cum tali homine, id est fama & rebus in arte Medicinæ præclare gestis eximio, mihi fuerit communicandum. Si qua occasio nos Melodunum evocaverit, tunc abunde jucunda tui præsentia satis nobis fiet. Ceterum istis litteris D. Alibosii Medici

(o) Electio.

(p) Sepere ad cognitionem, seu ad eam partem animi quæ mentis & consilii est.

(q) Organum auditus.

(r) Serum tenue.

(s) Leipothymias, animi defectus.

(t) Carbunculi.

Medici clariſſ. conſilium aperuiſti: tanti vero illud feciſti, ut, quæ tua eſt humanitas, neſas eſſe duxeris, vel tantillum ab eo diſſentire: nec committam quin omnia a me probentur. Quum enim noſtris nitantur legibus, plurimum opis ſunt allatura. Ut ne tamen officio meo deſim, ac prægnantis ipſius expectationi, nonnihil ad conſilium veſtrum adjiciam. Etſi vereor ne potius meo deeſſe videar officio, ſi hoc mihi arrogarim, ut novo cogitando auxilio a vobis aliquid deſiderem: Abſit enim: ac arrogans, (ne dicam diſſolutus,) eſſem, ſi hac in me indulgentia, inani veluti gloriolæ vento me rapi ſinerem: Immo id facio ut veſtri conſilii momenta & indagaſſe, & approbaſſe videar. Itaque omnis veſtri conſilii ratio in hoc vertitur ut & fetus & fetæ incolumitati ſerviatur: in idque ſtudioſius incumbendum, quo luctuoſius fuerit tam illuſtrem virum dulci ſobole, id eſt, tamquam altero ſe, & ſuperſtite vitæ pignore privari. Ternos, ut audio, liberos unus annus ſuſtulit. Hoc temperamentum a vobis eſt adhibitum, ut dum matris ſalus procuratur, fetui ipſi conſulatur: alioqui paullo vehementiore auxilio elideretur. Quod tam lubrica liberorum ſit ſanitas id fortaſſis καὶ πατρόθεν, καὶ μητρόθεν (*u*): nec ſolum mater eſt accuſanda. Ut res tamen nunc ſunt, hujus demum ratio eſt habenda. Creditum fuit blando ſolum medicamento graviditati auxilium ac ſecuritatem quæri poſſe. Sed nova res novi conſilii auctor exſtitit. Puſtulæ in lingua, ſerpigines, & exanthemata certum συλλήψεως (*x*) ſignum præferebant. Narrat Hippocrates, cuidam gravidæ exanthemata in tibia erupiſſe; deinde in manu dextra: cujus rei cauſa varia eſſe poteſt. Vel enim fetus imbecillitas ſignificatur, alimentum ſatis non attrahentis: vel jecoris vitium notatur cujus ſoboles eſt tale exanthema: aut quemadmodum pica, malacia, & id genus tædia imprægnationem comitantur, ita & puſtulæ ſuppreſſorum menſium comites eſſe poſſunt. Accedit temporis ratio: nam Auſtrina tempeſtas quæ præceſſit ſeri mali parens eſt, quam excipit puſtularum, pruriginis, & mille aliarum moleſtiarum fetura. Veſtrum eſt pro ratione cauſæ remedium præſcripſiſſe: de quo ſi fuſius dicerem, magiſtros artis non ſine levitatis ſuſpicione docere viderer. Tandem e re videtur eſſe ſi ejus quod præceſſit, & quod præſens eſt, ratio habeatur. Nunc graviditas eſt, in qua gerendi & nutriendi fetus opportunitas quærenda eſt. Si humorum pravitati ipſius matris ſuum remedium decernitur, ſucco alimentoque legitimo fetus fruetur: hinc abortionis occaſio tolletur. At hic etiam videndum ne matris corpus agitetur, id quod fetum ſæpe excutit. Præceſſit peculiaris affectio ipſius gravidæ: ῥευματισμὸς (*y*) enim uteri eſt illi moleſtus. Is acetabula muco oblinit, facitque ut utero præter rationem irriguo lubricus deciduuſque ſit fetus: at id nunc curare non licet: ſatis eſt animadvertiſſe, ut majore cum cautione ſingula adminiſtrentur. Hæc quum ita ſint, conferre videretur ſacculus collo appenſus ex karabe, lapide magnetis & aquilæ, additis foliis myrthi, croco

(*u*) Et paternum & maternum.
(*x*) Conceptionis.
(*y*) Rheumatiſmus.

& nuce moschata. Grana kermes ex ovi luteo magno profectu jejunæ exhiberentur, vel grana aliquot ambræ eodem modo assumta. Tabellarum frequens usus esto, vel pulvis moderate exsiccans & corroborans erit utilis. Ita enim ista proluvies, ῥῦ causa, effeminationem quamdam & utero, & rei in eo contentæ afferens, prohibebitur. Jusculorum & rerum liquidarum copiosior usus interdicetur. Mallem in usu rhei & santalorum loco cinnamomi consistere, quam corrigendæ cacochymiæ studio paullo vehementioribus uti non sine elisionis fetus metu. Phlebotomiam prudentia vestra & αὐτοψία (z) decernet. Hæc ego eo libentius scripsi, quo mihi dulcior est hæc communicandi forte oblata occasio. Ac velim scias, Sayvæe doct. diu satis me ancipiti animo fuisse, num hoc commentariolo paullulum luderem, an vero sine ampliore scriptione vestro consilio subscriberem. Illud hominis est candorem tuum, qui me ad scribendum provocavit, probantis, hoc inhumanum & illiberale foret. Tandem in animum venit viros probos & litteratos boni omnia consulere, si modo ab animo benevolo & candido profecta videantur. Qui me norunt, ita judicabunt. Etiam atque etiam vale. Et si qua sese offeret occasio, ad nos scribe. Lutetiæ Parisiorum decimo Cal. Aprilis anno 1581.

CONSILIUM XLIII.

De Polypo. Ad Carnutum Gerbautium Pontissar. Medicum.

SImilitudines bonis & eruditis Medicis sæpe imponunt: nedum nobis qui nec usu, nec doctrinæ ad priscos medendi Magistros accedimus. In explicando affectu qui extremas nares piæ & honestæ virginis occupat, non multum es sedulus & accuratus: forte enim polypus non est: nec tam diro hoste naris obsidetur: aliud est polypus, aliud σάρκωμα (a), aliud ozæna: aliud morum quod & intimas nares & palpebras sæpe deturpat. Itaque ne eludat similitudo, symptomata vere sunt explicanda quibus tamquam signis affectus ab alio dignoscatur: alioquin opera luditur, & perperam remedia administrantur. Itaque hoc desiderarem, quando in curam tam pertinacis, & obstinati affectus incumbimus, ut quibus signis adductus de polypo certior esses, ea nobis aperires: decernere enim remedia morbo nondum patefacto, est scopum oculis clausis ferire velle. Subolfacio quidem aliquid malignum & latens: præterea jam inductam diathesin in partem & mittentem & recipientem. Vertigo enim molesta quæ reviviscit, jam cerebrum διὰ τὴν ἕξιν (b) male habere, id nobis insinuat: & malum per singulas hiemes renascens, & fontis perennitatem, & partis imbecillitatem significat: unde noxa esset singularis conari omnino elidere

(z) Autopsia.
(a) Carnis accretio.
(b) Propter habitum.

elidere & tollere illud malum quod in nares sævire solet: est enim exoneratio naturæ in eam partem. Unde non raro, aut suppressa nasi hæmorrhois, aut ulcus percuratum vertigines, dolores capitis, aut his deteriorem maniam intulit: Itaque est ubi malum alere tutum sit, est ubi omnino elidere oporteat. Cautio hic summa adhibenda est. Vidi mulierem cui serpigo fœda manum sinistram occupabat: hæc concepit: a conceptu manui suus nitor, exsulante ista serpigine, est restitutus: translatus est ichor malignus antiquus mali fautor ad partes uterinas: fetus aborsu quarto mense exclusus est velut tabo infectus ac sideratus. Narrat Hippocrates de quodam Athenienſi: huic erat cutis psora scabrior & exarata: usu aquarum naturalium eo affectu liberatus est, sed hydropicus factus suum diem obivit. Adeo cautos & meditatos esse oportet in externis affectibus curandis, quos tutius est sæpe alere quam omnino exterere ac evincere. Velim nobis significes an decocto aliquo sudorifico usa fuerit. Excutias formulas remediorum, & a Medicis, & a Chirurgis institutorum, ut ne identidem cum fastidio eadem usurpemus. Significa illi, per hasce meas litteras tamquam benevolentiæ, & officii obsides, me aliquid meditari velle, quod in ejus commodum cedat. Quamquam post tot doctorum consilium quid ego aliquanto inferior meditor? Sed forte me audivisse non erit omnino pœnitendum. Nil certi statuo, donec id quod desidero nobis per te fiat magis apertum ac explicatum. Interea vale. Lutetiæ 25. Aprilis, anno 1581.

CONSILIUM XLIV.

De febre continua, cum gravibus symptomatis.

PHILIPPUS CASTALIO febricitare cœpit; sumto medicamento auctior facta febris, lingua aspera, & rigida: frequens mictio, sed pauca. Assiduitas febris. Ardor urinæ: credebatur natura velle omnia excrementa in vias urinarias deponere: immo & latens phlogosis in partibus ad urinam pertinentibus, præsertim circum vesicam in suspicionem venerat: per viginti dies pæne exibat urina innumeris vicibus, sed pauca quantitate una vice reddebatur: Diabetæ metus erat maximus. Siccissima lingua: corpus foris quidem satis temperatum percipiebatur, sed internum erat incendium. Ad renes sitibundos, & quamdam διάχυσιν (c), illud effluvium urinæ referebamus: tamen vix constabat de sede & causa. Virium erat magna infirmitas, desperatio aliqua vitæ & salutis.

Primo quoque tempore abunde sanguis detractus est, & pæne eo modo jugulata est febris: saltem ei sua vis & impetus detractus est, ut quæ febris κρίσιν forte fuisset habitura, solutionem tantum habuerit.

Usus cassiæ frequens fuit ob suum squallorem & corporis interni siccitatem.

(c) Diffusionem.

tatem. Catholicon cum folliculis profuit, frequentissimus usus jusculorum ex carnibus vitulinis & pullis: usus cardiacorum, & frequens usus rasuræ unicornis.

Paratus sacculus ex rosa, radice iridis florentinæ, santalo, ligno aloes, floribus nympheæ & cardiacis, exceptus aqua nenupharis & rosarum.

Item extracta est pauca mucago ex seminibus psyllii, & gummi tragacantha in aqua rosarum, & nenupharis, addito pauco succo citrii.

Injectio succi amygdalarum dulcium cum aqua parietariæ. Emulsiones loco apozematon. Hordeata. Litus frequens ex rosaceo Mesuæi. Ad pubem usus oxyrrhodini.

CONSILIUM XLV.

Pro Angenosii Consulis filio tumorem in utraque mamma habente.

IN mamma, præsertim sinistra, tumor est & durities, mox major, mox minor, aliquando firmior: dolor digitorum appressu.

De hoc tumore, quid sit quæritur, unde sit, an vitium cutaceum, an aliunde, ut cutis tantum & mamma sit depositaria: unde, an a liene, an a corde, an alio viscere, an ratione ætatis (id est) ob consensum partium genitalium & thoracis: Si aliunde est, & ratione ætatis evenit, cur non potius ἀναῤῥοπίν (*d*) contingit ad nares, ut hæmorrhagicus fiat.

Primum tumor hic est morbus in solutione continui, & symptoma tactus dici potest, quia id quod tactui æquale apparere debet tumens & inæquale percipitur.

Dolor aut a tensione, aut ab acrimonia contingit, & symptoma tactus est.

Tumor non ita perseverans, sed sinistra mamma tumentior est, dextra minus, & a sinistra parte videtur id accipere, vel mammarum diadoche est, vel per apothesin, vel per metastasin id contingit. Si diadoche, vel dolore, vel externa causa, vel ratione communicationis aliarum partium, ut pote genitalium: est enim κοινωνία γονῆς, & φωνῆς (*e*): Id quod testatur Galenus passim disputans περὶ τοῦ τραγίζειν (*f*) in maribus. Et quo tempore tument lasciviuntque testes, vox gravior fit, mammæ turgent: in virgunculis σφριγᾶν sororiare dicuntur, in maribus κυαμίζειν (*g*) fratrare, seu fatriare: unde observatum lac in mammis masculis, materia per venas mammarias translata, aliquando per thoracicas, unde circum alas materia quædam lactea in quibusdam est deprehensa.

6. Epid.

Si apothesis est aut apostasis, cur ita evenerit, videndum: lustrandæ sunt enim singulæ partes ex quibus id dependere poterit. Videndus quis color corporis,

(*d*) Sursum vergentia.
(*e*) Communio genituræ & vocis.
(*f*) De eo quod est hircire.
(*g*) In Venerem ferri, catullire.

corporis, quis character faciei, quæ ſymptomata, qui dolores. At ſpiritus fœtor, dentium pravus color, labiorum livor quidam & deſcœdatio, corporis color ad icterum quemdam nigellulum tendens, palpitationes cordis quæ ſæpe ſunt moleſtæ, aut lienis, aut meſenterii, aut utriuſque affectionem ſignificant. Hæc in fœdis coloribus ſunt ſolennia ſymptomata.

Itaque ſplenicus eſſe videtur. Splen autem etſi pars in corpore non eſt principalis, tamen magnum ad ſalutem momentum habet. Olim dictus eſt corporis fiſcus, idque non inconcinne. Et Hippocrates *lib. de locis in homine*: *Quibus lien efflorescit, iis corpus attenuatur.* Id quod tamquam ſignum, & tamquam cauſa malum eſt: tamquam ſignum, quoniam ſignificat proventum ſucci melancholici: tamquam cauſa bifariam, tum quia extenuat corpus, tum quia iſte affluxus ſucci melancholici obſtruendo vias lienares, febres lentas, & id genus ſymptomata inducit. Id abunde explicavimus *in noſtro libro de morbis mulierum.*

Ceterum fiſcus corporis lien dicitur, quod detrahit toti corpori, quod in ſua commoda conferat.

Porro dubitabatur an tumor iſte mammarum ad puberes annos referri deberet, ut pro hæmorrhagia, quæ iſtis annis convenit, in mamma tumor ſit tamquam ſuccedaneus: nec abs re dubitatum eſt.

Item num vitium eſſet mammæ, aut ob ictum, aut ob aliquid ſimile: Item an ob pinguedinem in panniculo carnoſo id fieret, unde mares γυναικόμαστοι (*h*) dicuntur.

Si abſceſſus iſte tumor rationem ſubit; cur non deorſum fit, tum quia de natura eſt melancholica, tum quia ea eſt conditio abſceſſuum, ut tum meliores exſiſtant, quum ad partes fiunt inferiores? Si ſpectetur ætas, ſurſum abſceſſus fieri debet. Nam *ad part.* 21. *lib.* 1. *Epid.* Tumores ad aures contigerunt, quum tamen materia eſſet frigidiuſcula. Sed juvenibus tantum & athletis id contigit. Quoniam & ætas, & exercitatio tantum potuit, ut humorem alioqui ignavum, & deorſum natum ferri ſurſum rapuerit. *Sect.* 1. *lib.* 2. *Epid.*

De abſceſſibus locus hic valde commemorabilis: abſceſſus aut per venas, aut oſſa, aut nervos, aut cutem, aut alias emotiones. Boni ſunt qui infra morbum fiunt ut varices; lumborum gravitates ex ſupernis. Optimi potiſſimum ſunt inferni, & longiſſime infra ventrem, & remotiſſimi a morbo: & qui per effluxionem fiunt, Græce κατ' ἔκρυν, ut ſanguis e naribus, pus ex aure, ſputum, urina quæ κατ' ἔκρυν fiunt: Abſceſſus eſt, ſupra morbum eſſe videtur, ideo illaudabilis. Si impetus factus eſt a naturalibus ipſis (ut verbo Pliniano utar) ad mammas, quis conſenſus pectori cum naturalibus? Multis locis iſte conſenſus Galeno explicatur. Et ita Hippocrates: *Neque tuſſes diuturnæ* (2), *quoniam ubi teſtis intumuit, ceſſant. Et teſtis tumor a tuſſi ceſſat & allevatur: quæ res commoneſacit nos communionis pectorum, mammarum, genituræ, vocis.* Id quod Galenus ſuffurans hæc ipſa verba, declaravit *lib.* 6. *Epidem.* *Sect.* 1. *lib.* 2. *Epid.* *Ad part.* 41. *ſect.* 3. & *ad part.* 13. *ſect.* 1. *lib.* 1. *Epid.*

Tandem concluſum fuit id quicquid eſt partim ab ipſis viſceribus, & forte

(*h*) Mammas muliebres habentes.

forte etiam a motu isto, & inclinatione naturali humorum a partibus genitalibus ad mammas & pectus.

Adductum illud: *Ubi fauces ægrotant*, &c. Nimirum quoniam magni est momenti scire an vitium sit cutaneum, an vero scaturigo sit interna. Unde exstat *histor.* apud Hippocratem de quodam qui quum impetigine laboraret hausit aquas αὐτοφυέας (*i*). A morbo liberatus hydropicus factus interiit. Sic mutavit speciem morbi, sed non vitavit periculum.

Quamobrem quum ex palpitatione qua is aliquando affligitur, colore corporis malo, labiorum quodam livore (qui comes est & consectaneus male affecti splenis) constet id quicquid est mali a visceribus esse (quamquam & naturalem istum motum & inclinationem a partibus genitalibus ad thoracicas non negamus) in curam istarum partium visceralium, ut sic loquar, incumbendum esse videtur. Itaque singulis septimanis decoctum folliculorum ex usu esse videbitur cum floribus calendulæ, buglossi, violarum, & polypodio paratum: addi potest, & ceterach & scolopendrium: Syrupus Regis Saboris, cum folliculis cum granis kermes. In aqua, qua utetur, madebunt folia buglossi, borraginis, aut bipinellæ: frusta pomi de curtipendulo, cortex tamarisci. Conserva buglossi, borraginis, florum aurantiorum in usu erit. Decoctum Galli veteris, cum buglosso, borragine, melissa. Anisum conditum, coriandrum conditum. Frictiones. Ovum cum seta in kermes tincta.

Fotus ad lienem ex foliis lauri, absinthii, scolopendrii, rosarum, spica nardi, santalis, cortice capparum, semine basiliconis & lini. Item litus ex medulla cervina descriptus in praxi Hollerii.

Parti tumenti hic fotus adhibitus.

℞. *Radicis enulæ campanæ, unc. j: radicis althææ, unc.* ß: *foliorum calendulæ, scabiosæ, fumariæ, absinthii vulgaris, chamæpityos, ana, pug. j: florum genistæ, pug.* ß: *seminis lini, unc. j: seminis anisi, fœniculi, althææ, ana, unc.* ß: *coque in oxymelite pro fotu cum spongia.*

Demum ad oppugnationem externi mali, fons internus est exhauriendus, & visceribus ipsis sua prima vis & vigor restituendus. Ad id facit optima vitæ lex: nec tamen severioribus legibus ætas adolescens est addicunda, obliganda. Vitæ lex in cibo, potu, corporis exercitatione, animi studio, ac instituto vitæ considerator. In horum mediocritate, & morum & humorum ratio ac moderatio consistito.

Medicæ leges ad custodiam sanitatis prandium liberalius, frugaliorem cœnam indicunt.

Simplicior & melior cibus, sæpe non gratior, usuvenito, & tantum capiatur, quantum sustentandis viribus, non obruendis videatur.

Vini & aquæ æqualis mixtio. Album in usu aliquando esto: si gravitatem capiti afferat, interdicitor.

Aquæ usus liberalior, ut obstructionis & corruptionis viscerum parens devitator. Nec deliciarum suarum patrocinium, tamquam ipsius necessitatis,

(*i*) Minerales, spontè nascentes.

tatis, afferre oportet. Si molestior sitis, non tam illius sedandæ quam leniendæ, aut fallendæ cura esto.

Corporis exercitatio, frictio deorsum, agitatio, cursus, lucta, ludus pilæ conferre creduntur. Sed hæc statim a cibo, aut pertinaciore studio interdicuntor. Qui crudus ludit aut exercetur, cruditati fomitem suggerere creditor.

Ut cruditas, ita & inedia vitanda. Illa obruit spiritus, hæc exhaurit, consumit & impense calefacit.

Ita ludere oportet, ut ludus nos non ludat.

Ut in cibo & potu moderatos esse oportet, ita in excolendo animo, & studiis prosequendis moderatio adhibeatur. Animi relaxatio & remissio, non languor & exsolutio consuli putator. Illis invalescit ac roboratur, his emoritur ac elanguescit.

Dare se vitæ jucunditati pars sanitatis judicator.

Omnia denique quoad licet, & fieri potest, mediocria adhibentor.

His modis, cum DEO, prima sanitas restituetur, morbus ipse elidetur, qui plus ipsa fronte præ se fert metus, quam in recessu, mali. Idibus Quintilibus anno 1581.

ANNOTATIONES.

1. *Aphrodisæus* probl. 95. lib. 1. *explicat de spadonibus, mulieribus & pueris cur acutam vocem edant.*

2. *Hæc vox, neque, pendet ex superioribus, ut non legas: neque cessant. Contra enim rem habere sensus declarat.*

3. *Aëtius (ait) si post usum olerum quis aquam bibat, capitis ulcuscula, scabies, lepræ, pustulæ, impetigines, & deteriora his erumpunt.*

CONSILIUM XLVI.

De Tumore inguinis. Pro D. Crozonio.

ABunde *hoc libro*, & *aliis locis* diximus de consensu partium thoracicarum cum genitalibus: & extrema hac historia de tumore ad mammam orto disputantes: quod dictum volumus ne ad nauseam usque & fastidium hoc repetatur. Ille de quo in ipso titulo dictum est, querebatur de tumore paullo infra inguen oborto, & ad natem propinquam: dolorificus erat, diuturnus, digitis cedens quidem aliquatenus, sed eorum non manebant pressa vestigia ut in phymatis phlegmaticis. Aliis visum est esse in ipsa præsertim nate meliceris, sed argumenta, & signa ejus non relucebant.

Adducta sunt in deliberatione ea quæ & paullo supra de tumore. Præterea quum ille diutissima quadam tussi molestaretur, inde arrepta occasio fuit inquirendi in principium & fontem mali. Dictum enim est tussiculo-

ſos nonnumquam abſceſſu ad ſcrotum oborto capi ac detineri, id quod huic contigit. Et quæ materia & obſedit ſcrotum, & obſeſſum tenere potuit, majore ſui parte abſceſſit in inguen & propinquas contiguaſque partes. Et quum natura eſſet melancholicus, tumores iſti ad varicoſos potius accedebant, & nonnihil de natura lupiarum retinebant. Magna vero poſita eſt vis in diuturnitate iſta tuſſis, & natura temperamentoque ipſius ægri. Adductus eſt locus *ex Epid.* huc maxime pertinens: *Nec repugnat rationi ut tuſſes diuturnæ ceſſent, quoniam teſtis intumuit*: Et teſtis tumor a tuſſi ceſſat ac allevatur. Quod mirum eſſe debet. Et eodem loco: Indicationes fiunt ad teſtes quandoque ex tuſſi, & teſtes ipſi laborant a ſeipſis. Id quod *lib. 1. meorum Epid.* multis locis celebrius reddidi. Quemadmodum autem id fiat non eſt hujus otii atque loci.

Sect. 1. lib. 2. Epid.

Poſita hac tumoris natura, nutriendum potius malum, leniendusque potius dolor, quam omnino elidendum ac evincendum.

Habendam rationem antiquæ tuſſis duximus: Corpori ſua euexia, & εὐσαρκία reſtituenda, ſi fieri poteſt.

℞. Radicis enulæ campanæ & althææ, ana, unc. j: radicis bryoniæ, unc. ß: abſinthii vulgaris, majoranæ, mercurialis, violarum, ana, man. j: chamædryos, chamæpityos, foliorum lauri, ſummitatum anethi, florum chamæmeli, ana, man. j: truncorum caulium & corticum fabarum, ana, pug. j: ſeminis lini, unc. jß: ſeminis althææ, unc. j: fiant duo ſacculi: bulliant in aqua & vino albo, additis unc. ij aceti optimi, fiat fotus cum ſpongiis.

℞. Mucaginis ſeminis lini, fœnugræci, radicis althææ extractæ in vino albo, ana, unc. j: ſucci caulium rubrorum, dr. vj: axungiæ anſeris, gallinæ, ana, dr. vj: gummi ammoniaci, bdellii in aqua vitæ ſoluti, ana, dr. ij: caſtorei, dr. ß: pulveris ireos, dr. ß: fiat unctio pro parte.

℞. Caricas, num xv: coque in ſapa, adde farinæ lini, lolii & lupinorum, ana, unc. ß: terebenthinæ, dr. ij: fiat cataplaſma.

Applicetur poſt uſum iſtorum remediorum lamina plumbi mercurio uncta.

Item emplaſtrum de Ceruſſa cum mercurio.

Et quoniam caloris ſenſus erat, & dolor non mediocris, ne uſu iſtorum majuſculorum remediorum aggraveſceret morbus, ad hæc leviora itum eſt.

Litus ex mucagine ſeminis pſyllii, & lini cum aqua ſolatri, & plantaginis. Sacculi ex contemperantibus. Unguentum diapompholigos. Balneum. Lac aſinæ. Aliquando ad partem litus ex populeone. Fotus ex herbis coctis in oxycrato, aut oxymelite. Cataplaſma ex farina hordei cocta in iiſdem.

Tandem quum dolores multos ſuſtinuiſſet, & ad diætam a Chirurgis male revocatus eſſet, temporis ſucceſſu tumor qui ſummam natem occupabat in ſuppuratum verſus eſt: pus in profundiſſimo delitebat. Excreta tanta copia, ut omnem fidem & opinionem ſuperaret: tandem extabuit. Mortuus eſt. Pulmo inventus eſt putris e regione ipſius mali.

CONSILIUM XLVII.

Pro Anglo Arthritico.

DOlor, qui nobilem virum Anglum afficit, a fluxione pendere censetur: occupat hic articulum; paullo se magis diffundit pro humoris quantitate. Fluxio, etsi ab humore est a partibus amandato, non tamen omnis dolorifica est: quæ enim aut distendit partem materia, aut acrimoniam molestamve qualitatem habet, ea doloris in parte parens exsistit. Quamquam sine fluxione dolor excitari potest, ut quum pars imbecilla, aut male affecta alimentum male conficit, & a congestione dolendi nascitur occasio. Articuli porro dolent iis qui faba & orobo vescuntur, in siccitatibus summis dolor ad articulos pertinet, in febribus laboriosis & lassitudine ulcerosa, non tamen id quicquid est arthritidis nomen demeretur: quamquam & doloris par molestia, & æque sæva symptomata ac in arthritide gliscunt & apparent. Sed quum erroneo & vagabundo modo hic, modo ille articulus infestatur, quum aliquando certis temporibus, quum incertis, tum ea fluxio arthriticam naturam & ingenium resipit atque induit: maxime enim vis ejus in impetu ipso & instabilitate cernitur (1). Porro aliud est articulos vere lacessi, aliud improprie ac leviter tantum. In arthritide enim vere dicitur articulus occupari: articulique nomine, non solum caput ossis quod inseritur, aut alterius ossis cotyle intelligitur, sed & ligamenta & tendines, & quidquid ad articuli firmitatem structuramque pertinent: ligamenta autem quum duorum sint generum, quæ a media ossis parte ducuntur, ea sensu vacant; quæ ab ipso periostio exquisite sentiunt: hinc doloris immanitas & sævitia. His ita se habentibus quum & motu, & periodo, & doloris specie, & invasionis modo morbus hic ægrum opprimat, de fluxione arthritica statuere non dubitandum. Unde vero malum? an gentilitium, an patrum, an vitio ipsius peculiari corporis contigerit, non ita facile decernitur. Tamen quo statu res sunt quum magna sit in corpore ad morbum istum propensio, tum propter partium recipientium imbecillitatem, tum ob peculiarem vernaculamque seri maligni naturæ gratiam vix recipientis generationem, ut ne morbus invalescat, videndum. *6. Epid.*

Occurrendum porro in paroxysmis ipsis, qui acerbitate doloris ægrum domi morantur; occurrendum generationi istius humoris, exclusioni, partiumque imbecillitati: videndum quoque ne quid in cura ipsa peccetur: nam morbi sævitia sæpe ad varia & ancipitia remedia recurrere cogit. At quæ vel sine methodo auxilia adhibentur, vel quæ passim ab arte Chymica, (quæ imposturæ plena nullius non morbi curationem profitetur) vel ab Empiricis repetuntur, ea sæpe malum immedicabile reddiderunt, sæpe multos e medio sustulerunt. Hinc tophacea in articulis congeries, hinc eorum distortio, hinc marcor, hinc tabes, hinc denique cum dolorum

iliade mors luctuosa. At præstat cum aliquo eoque levi dolore & tolerabili molestia, remedia ab arte & ratione instituta tuto usurpare, quam vana spe carendi omni dolore, a casu, a fortuna ignorantiaque profecta experiri, & in apertam vitæ perniciem incurrere.

In hoc præsertim morbo vitæ lex & ratio sanciatur. Et illud præclare dictum Galeni ob oculos obversari debet quod scriptum *in Aphor.* 2.

Vini usus aut nullus, aut exiguus esto. Cerevisia simplex, aut decoctum glycyrrhizæ, locum vini habeto.

Usus Veneris præ ceteris moderatus esto.

Inedia longaque cibi abstinentia devitator.

Potionum multo saccharo & cinnamomo conditarum usus rarus sit.

Cruditas ex copia & varietate ciborum nasci solita vitator. Somnus meridianus & statim a cibo.

Labor ut immodicus corpus tabefacit, ignavia exsolvit, ita moderatus labor articulos roborare creditor.

Elixis carnibus sine multis jusculis, item assis locus esto. Non tamen plane jusculorum usu interdicimus. Prandium liberalius, cœna parcior laudator.

Porro semel aut bis anno vena brachii dextri aperiunda, præsertim vere & autumno: non tamen omnino id singulis annis usurpandum, nisi morbus sæviat & invalescat. Syrupus erit paratus, quo semel mense utetur: tamen hieme pilulis locus erit, æstate cassia usurpabitur.

Placet decoctum sarsæparillæ, aut radicis chinæ, non ad magnam provocationem sudorum: a ligno sancto abstinendum.

Pyrotica ad musculum deltoidem brachiis applicabuntur. Formulæ remediorum ad articulos firmandos repetentur ex superioribus.

Masticatoria & errhina aliquando conveniunt. Usus lactis asinæ, aut caprarum.

Et quoniam in nervis mucosus est humor, is est siccandus prudenter & digerendus.

ANNOTATIONES.

1. *Unde illud Sereni*:

Si vero articulos tabes inimica per omnes
Hæserit.

2. *Ita Celsus*, Quibus articulorum dolor certis temporibus revertitur, hos ante & curioso victu cavere oportet, ne inutilis materia corpori supersit, & crebriore vomitu, &c. Quum ex morbo convalescit, leviter manibus unctis corpus permulcendum. Delectationis causa ambulandum, circumcisa omni negotiosa cogitatione. Paullatim vero debet omissis his legibus, eo transire, ut arbitrio suo vivat.

CONSILIUM XLVIII.

De cerebri imbecillitate. Pro Consule Tholosano.

INter partes ceteras cerebrum mihi male affectum videtur. Hoc afficitur vel per se, vel per consensum aliarum partium: per se quum affectionis causam in se continet: & tunc malum est contumacius & diuturnius. Per consensum aliarum partium subjectarum, & causa fixa nec est, nec affectio ita firma.

Initio scire an per se pars laboret an non, hic opus, hic labor, successu temporis facile innotescit.

Sed evenit ut si viscera intemperanter affecta sint, si cerebrum imbecillius redditum sive ab externis causis, præsertim a studio pertinaciore, sive ab internis, ea sit conspiratio & consensus earum partium, ut utræque accusandæ sint, nec minus harum quam illarum ratio habeatur.

Ac quod cerebrum vitium & imbecillitatem contraxerit, multis colligi potest argumentis: Item quod intemperies viscerum subsit, sanguine pote acriusculo genito: ut & internarum causarum & externarum vis apparuerit.

Quæcumque pars vel ab internis causis, vel ab externis, vel ab ipsis naturæ principiis tamquam ab incunabulis imbecillitatem contraxit, ea facile a quacumque paullo vehementiore causa afficitur, aliarum excrementa promte recipit, immo ipsa per se minus belle suum facit officium, non bene coquit. Hinc cruditas, hinc excrementorum proventus, hinc maligna qualitas surgit; unde dolor, & dolendi promtitudo, unde partis sæpe quidam marcor.

Obstinata & pertinacia studia, lucubrationes, nocturnæque animi contentiones facile læserunt ac offenderunt: nam spirituum dissipatio, consumtio & depastio consequitur, partiumque solidarum ægre reparabile vitium & labes. Ut enim moderatus animi cultus & contentio modica cerebrum conservat, ita immodicus labor idem extenuat, debilitat & exsolvit, ac si quamdam ἐξεγκεφάλωσιν (*k*) induceret.

Sanitatis hæc pars esto ut & cerebri, & totius corporis ratio habeatur. Cerebri ut laborantis, corporis ut malum foventis. Quamquam & externas causas impendio magis affecisse jam plane constat.

Itaque ne quid tale deinceps contingat, animi exercitia moderata sunto, quæ licet jucunda & homini liberaliter educato & ingenuo necessaria, tamen ipsa dulcedine illectum animum lædunt & offendunt, & corpus ipsius animi instrumentum deterunt ac imminuunt. Hic enim, ut & in ceteris rebus moderatio & temperamentum adhibendum est.

(*k*) Cerebri deperditionem, consumptionem.

Cerebro aut ſua vis reſtituenda eſt, aut, quæ adeſt, conſervanda. Qui proventus excrementorum propria quadam infirmitate ſuccreſcit, impediendus, hauriendus. Hic minor erit, ſi cerebro ſua vis erit reſtituta.

Toti corpori conſuletur, reductis ad temperamentum aliquod humoribus & intemperie viſcerum aliqua ex parte emendata.

Corpus non videtur frequentibus & validis medicamentis fatigandum: nam & humorum obagitatio fiet, quorum quies, ſedatio & ſilentium pluris ſæpe eſt faciundum. Præterea exhauſtis a medicamento ſpiritibus, major infirmitas conciliabitur.

Sanguis detrahendus non eſt, niſi aut ejus redundantis ſigna affuerint, aut dolor aliquis vehemens, detrahendi neceſſitatem inducat.

Conſervarum cephalicarum non calidarum frequens uſus eſto.

Balnea aquarum dulcium conſuluntor.

Contineantur ore quæ ſalivam benigne eliciant.

Errhinis maxima cum cautione eſt utendum.

Fugienda omnia quæ gravem ſpirant odorem, immo quæ ſuavem; nam hinc capitis repletio, hinc gravitas.

Vinum non bibatur niſi aut multo cibo præſumto, aut juſculo præhauſto.

CONSILIUM XLIX.

De Symptomatis hyſtericis, hypochondriacis, & catarrhoicis. Ad Dominum Burgenſem Xantonum Medicum.

NÆ egregie candidus es, hocque temperamentum modeſtiæ tuæ indixiſti, ut quum multa noris, aliqua didiciſſe non pigeat. Leve ingenium quum nil habeat, nil ſibi detrahit: egregium vero, ingens, & magnarum rerum habens fiduciam, præclaræ indolis edit argumentum, quum etiam in rebus perſpicuis aliorum judicium requirit. Non quin rem bene norit, ſed ut dubitando ſuum ſtudium, & plura diſcendi occultet deſiderium, & occultando aperiat. Ea tamen res te eo forte non adduxit. Nam partim rei difficultas, partim humanitas, & de ægra merendi deſiderium te ad opem implorandam excitavit: humanitas quidem, quod nil ſit prius (1) in morbis obſtinatis & melancholicis (quorum nomen omen quoddam ſiniſtrum prætendit) quam ea quærere quæ morbi moleſtias elevare, & querelas in iis morbis percrebras demulcere poſſint. Et licet malo ars victa fuerit, morbique diuturnitas eam eluſerit, tamen ab omni remedio temperare maligni & deſperantis hominis eſt: ſolaque deſperatio pro omni ſupereſt ſolatio. Non artis vitium eſt ſi morbus incuratus manet, ſed accuſanda morbi pertinacia: Medicus ſe artis tuetur patrocinio: & quum ad experimentum uſque proceditur, difficultas ſaltem morbi compeſcitur: Quamquam illud Aëtii commemorabile. *Multi melancholici tum quum curarentur, partem præſidii ab arte perceperunt: dimiſſa*

missa curatione sunt restituti: Natura ante curationem prævalente contra morbos ex medicatione imbecillos redditos. Quæ natura cum curatione affligitur, in quiete resurgit, & superat morbos aliquantum imminutos.

Nunc ad institutum veniamus: non tam de morbo, quam de symptomatis inquiritur. Symptomata sunt non ὁμοειδῆ, nec ὁμογενῆ (*l*), sed a diversis oriunda fontibus: Et quum causa sit fixa, symptomaton perpetua fit propagatio. Contra evenit in iis quorum causa fugax leviterque pressa.

Non tam in humorum quantitate quam molesta qualitate causa consistit quam diathesis quædam fovet: hæc longarum obstinatarumque affectionum & omnem Medicorum sollertiam superantium auctor est & alumna: hæc quum adest, non tam de evincendis morbis, quam de nutriendis laboratur. Hujus quidem vestigia novimus & effectus, sed ea obtutum oculorum effugit, quin & vix ab animo comprehendi potest: hanc veteres adumbrarunt, hanc prosecuti sunt, sed non assecuti. De hac apud te plenius dicere, Magistrum artis docere velle est, & tandem quantum hic operis fiat, pœnitebit.

Symptomata partim sunt hysterica, partim hypochondriaca, partim catarrhoica. Quum ex his quædam sunt propria, plura sunt communia, ut quo sunt referenda ignoretur. Deliquia animi, vertigines, oppressiones, dolores pectoris pleuritim mentientes, milleque alia tædia, & hypochondriaca sunt, & male euntibus mensibus apparere possunt: possunt & suppressi seminis esse soboles: possunt & eam affectionem sequi quæ ab Hippocrate atra bilis in utero dicitur: quum scilicet in venis uteri reses est sanguis fæculentus, & tabum quoddam quod ab Hippocrate αἱμαλώψ (*m*) vocatur, nomine ab oculorum affectionibus ad collectionem in utero apte translato; unde observatum est apud nos exstitisse mulieres quarum in utero sanguis atrabilarius colligeretur, quæ perpetuis doloribus sunt divexatæ: tandem tumor ἀνθρακώδης (*n*) miraculo ad lumbos erumpens, ut conquerendi, ita dolendi finem attulit. Idem contigit sæpe & hypochondriacis.

2 Ergo diligenter incumbendum in investigationem primæ & dolorum causæ & foci. Similitudo sæpe peritissimis imponit. Aliter providendum si sit aliquid hystericum, aliter si hypochondriacum, aliter si promiscuum. Nam & ista deliquia (idem de ceteris sit judicium) a paucioribus mensibus esse possunt, & a neglecto fundi cultu; possunt & hypochondriacæ affectionis esse consectaria. Præclarum illud Galeni in illud Hippocratis: *Lumbis dolentibus cardialgiæ accedentes, signa eruptionis sanguinis puto. Copia* (ait Galenus) *in venis acervata tenue quoddam serum in ventrem confluens cardialgias parit in os ipsius ascendens; portio autem abundantiæ ad inferiora devergens, lumborum dolores excitat.*

Ceterum licet hypochondriaci de ipso conquerantur ventriculo, id per sympa-

(*l*) Consimilia, nec homogenea.
(*m*) Sanguis lividus.
(*n*) Carbunculosus.

ſympathiam fit viſcerum, & hypochondriorum vicinorum. Et in his chylus non modo aduritur, ſed corrumpitur ab externo calore, & propria putredinis ſpecie terrifica ſymptomata edere conſuevit. Recurrere ad ſolam intemperiem more vulgi, id minus cum Hippocrate cohæret, qui in Veteribus reprehendit, quod in morborum cauſis aſſignandis, primis qualitatibus nimium tribuiſſent (3). Nam ea intemperies facile corrigeretur, immo ſenectus temperamentum adhibens, remedio foret, ut de hemicraniis a cauſa calida obortis cenſet Galenus quas ipſa ſenectute ſedari putavit.

Ergo abſtruſior cauſa eſt & diatheſis quæ in humores virulentam vim inducit.

Cur Hypochondriaci dorſum & pectus doleant,

Catarrhoica ſymptomata teſtatur brachii affectio paralyſeos æmula, & deſtillatio in thoracem dolorem excitans, aut vere pleuriticum, aut pleuritim mentientem. Quamquam quotidie obſervamus harum partium dolores non tam a diſtillatione pendere, quam a maligno melancholicoque flatu a viſceribus ſurgente: Teſtantur dolores omoplatarum hypochondriacis familiares, & virginibus, quarum faciem fœdus deturpat color, & in his non tam laxare venam quam ventrem convenit, & flatui exitum dare. Immo a flatibus ipſis melancholia flatuoſa & nomen & omen invenit. Hanc flatuum copiam & imbecillitas caloris nativi & ſucci melancholici ζήμωσις (o) inducit: præſente quadam ipſorum lactium & pylori phlogoſi ex Dioclis ſententia quam Galenus amplexatur.

Paralyſeos rudimenta a capite repetenda. Quamquam pleriſque & hypochondriacis & hyſtericis tormina diuturniora in partium quarumdam paralyſin terminantur: id quod Britonibus familiare, ut annotat Hollerius. Et eſt aliquid ſimile apud Hippocratem.

Deſtillatio a capite in thoracem ſi ferina eſt, ſi tuſſiendi inane deſiderium, prudenter ſe gerere oportet. Laudo Galeni præceptum de diſtillationibus malignis. Non oportet, ait, tamdiu in pulmone moram trahere donec craſſeſcant: nec eas ſtatim expelli neceſſe eſt: nam in pulmone morantes non facile coquuntur & eum lacerant. Si excernantur, cito moleſtas excitant tuſſes a quibus caput repletur.

Ut ad rem redeatur, quoniam de hyſtericis & hypochondriacis facta eſt mentio, antequam de ſolemni remedio, nempe phlebotomia decernatur, unum præmonere ab re non erit. Placet clariſſimo Dureto in conſilium vocato, ſpem ſalutis in frequenti phlebotomia partim e malleolo, partim e brachio conſiſtere: parum diſſenſimus. Ille ſuppreſſionis menſtruæ, aut evacuationis paucioris rationem habet: & maxime omnia ad uterum refert. Nos diſpoſitionem hypochondriacam maxime conſideramus: quæ ſæpe aut in hydropem ſiccum finitur per μαρασμὸν περιφουγῆ (p), aut in aſcitem per caloris naturalis paupertatem, in qua ſi ſæpius ſanguis detrahitur, hydrops accerſitur, aut tumor, corporis inſufflatio vulgo nuncupata. Hoc ipſe videris, & ſingula momenta conſideraris.

De

(o) Fermentatio.

(p) Maraſmum retorridum, ſiccum.

De hypocauſtis & ſudorificis parum plauſibilis ratio eſſe videtur, quum conſtet calido & ſicco temperamento eſſe: quum ſitis aſſidua inteſtinorum æſtum ſignificet, paullo alienior talium remediorum uſus eſſe videtur. Nec obeſt quod objicitur, pituitam abundare videri quod ſæpe tuſſiat, & os ſaliva proliciatur. Nam ptyaliſmus non raro diſpoſitionis hypochondriacæ eſt παθογνωμονικόν (q). Et ut concedam neſcio quem ſuccum crudum redundare, partes ſolidæ ſunt ſiccæ & ſudorificis magis exſuccæ redduntur. Itaque paullo frigidior hæc ratio videretur.

Ad hos Canones deliberationis momenta reciderunt.

Cibus mediæ naturæ eſto, qualitate humidus, ſubſtantia ſolidus (4). Ab omnibus flatulentis abſtineto. Vinum lene, maturum, multa aqua fractum, & parca manu bibito.

Ter menſe purgationi operam dato ex opiata facta cum decocto hypochondriaco, foliis ſennæ, caſſia, & paſſulis corinthiacis.

Detrahitor ſanguis bis terve anno, tum inciſa vena brachii tum malleolorum: Idque iis conditionibus quæ ſuperius dictæ ſunt. Admoveantur hirudines ano.

Illinitor regio lumborum unguento roſato Meſuæ frequenter.

Balnea aquæ egelidæ fumo & odore carentis ſalubritati corporis accommodata judicantor. Decoctum Cephalicum additis unc. ij. foliorum ſennæ, & agarico crudo, addendo quartam partem vini albi, ex uſu eſto: apte id cum ſpongia fiet.

Ab hypocauſtis & ſudorificis, niſi quæpiam res aliter ſuaſerit, abſtinetor.

Hæc forte paullo fuſius diſputata ſunt, quam deceat apud artis peritum & medendi magiſtrum. Sed quoniam ſignificaſti te tantopere cupere ut nos una communicaremus, occaſionem urgere volui. Hanc non tam caſus, quam ratio & conſilium videtur attuliſſe. Puduit longa ſcriptione tuo otio abuti. Sed hoc laboris lubens ſuſcepi in eo præſertim quod tibi voluptati fore credidi, ſi qua ulla in re de te mereri poſſem, tuum deſiderium novo officio facile lenirem. Vale. 24. Auguſti Anno 1582.

ANNOTATIONES.

1. *Mirum eſt quod melancholici perpetuo conquerantur, & medicamenta ſæpe appetant. Præclarus eſt locus* cap. ultimo 7. Ethic. οἱ μελαγχολικοὶ ἢ φύσιν, ἀεὶ δέονται ἰατρείας καὶ γὰρ τὸ σῶμα δακνόμενον διατελεῖ διὰ τὴν κρᾶσιν, καὶ ἀεὶ ἐν ὀρέξει σφοδρᾷ εἰσίν (r). *Melancholici motus habent vehementes & frequentes. Ideo Ariſtoteles* cap. ultimo lib. de Divin. *ex inſomniis, melancholicos futura præſentire dicit*: Melancholici, *ait Ariſtoteles*, ob animi impetum vehe-

 mentio-

(q) Pathognomonicon.

(r) Ex natura melancholici indigent perpetua medicatione, quoniam eorum corpus affligitur continua & perenni moleſtia ſecundum ipſorum craſin, & habent frequentes motus & vehementes, & perpetuo mordentur & eroduntur.

mentiorem, ut eminus jaculantes collimant, & quod facile ac cito animum mutant, id quod eſt conſequens cernunt. *Tamen paullo ante dixerat homines plebeios futura prænoſcere ſæpius, quod eorum mens minus ſit referta curis. Si hoc verum eſt, melancholici minus ſunt idonei ad præſagiendum. Animum enim diſtractum & curis plenum habent.* Cicero. 1. de Divinatione *locum Ariſtotelis ſuperiorem ſugillat*: Animi enim integri, *ait*, non vitioſi corporis eſt divinatio. *Ideo in animis hominum qui valetudinis vitio furiunt, nil divinum, nil præſagiens eſſe ait. Ceterum* μελαγχολίαν (s) *furorem vocat.*

2. *Et non ita pridem quum uxor Comitis de Chaulne diu brachium doluiſſet, nec dolor remediis remiſiſſet, tandem obortus eſt tumor in ſummo humero anthracodes, dolorificus maxime: hic ſuppuravit. A ſuppurato magna levatio. Dolores autem in melancholicis vagi ſunt, nec quieſcunt ſæpe donec ſe ipſi collegerint, & συστροφὴν* (t) *aliquam fecerint. Qui quum συστροφὴν fecerint, tum in ſuppuratum eſt incumbendum niſi aliqua alia ratio diſſuadeat.*

3. *Avicenna ſcripſit caput de iis quibus dolor & anguſtia ſtomachi accidit quum comedunt, & quum diſtribuitur alimentum, ceſſat.*

4. *Oportet melancholicos bene comedere, ut ſi fieri poſſit ſibi* ἐυσαρκίαν (u) *concilient: tum enim bene habent quum impinguantur. Et apud Hippocratem: Initio Æſtatis plurimum comedendum eſt, ut faciamus idem quod arbores, quæ ad futuros æſtus facilius ferendos ſibi umbram ex pampinis & foliis comparant. Idem homines ſibi debent comparare. Locus eſt præclarus.* lib. 2. aut 3. de Diæta.

CONSILIUM L.

De Elephantiaſi.

ARvernus quidam a nonnullis elephanticus judicabatur: ideo de eo a ſocietate humana ſegregando cogitabant. Credo odio quodam litium fomite & ſeminario id totum exarſiſſe: & occulti odii privatarumque inimicitiarum magna exſtiterunt argumenta. Ad forum res delata: primum apud patrios judices, deinde ad Senatum Pariſienſem negotium eſt devolutum. Statuit ut Medici & Chirurgi judicarent: illi initia quædam elephantiaſeos retulerunt: a venis ſub lingua paullum tumentibus & ſupercilio rariore argumentum deſumſerunt. Ad alios res relata: illi aliter omnino judicarunt, vacuum omnino & extra ſuſpicionem retulerunt. Id paullo Senatui alienius viſum eſt, præſertim quum alii in alia & omnino contraria

(s) Melancholiam.

(t) Syſtrophen, vocem uſurpatam à Medicis Aſiæ, tempore Galeni, *in VI. Epidem.* pro inflammatione, qui ſemper habebant in ore *ſyſtrophen*, id eſt *humorum reſtagnationem* noſtris temporibus.

(u) Bonam carnoſitatem.

contraria irent. Denuo decrevit ut omnes una convenirent, & inspecto homine communicarent: sic aut dissiderent, aut rem omnino componerent: decreto obtemperatur. Sistit se homo, nudus exploratur: nil percipitur quod vel tantillam fidem faciat tam dini morbi: prioris & durioris sententiæ viros pudebat retractare sententiam: rebus diligenter subductis relatum est nulla signa exsistentis mali apparere, nilque esse omnino propter quod humana societate privari debeat.

Rogat Senatus, ut selecti viri judicent, num Socrates sit elephanticus. Est enim Artificis absolute respondere, vel elephanticum esse, vel non esse. Ratio non est reddenda, nisi sit necesse, nec reddenda nisi apud peritos artis qui rerum momenta æstimare possunt. Sed hic nec præcipitanter timidos esse oportet, nec temere securos. Ex æquo quippe & bono res est æstimanda, ut ne nimia facilitate res extenuetur & elevetur, vel præjudicata opinione aliter ac est judicetur. Subolfacio enim accusatores objicere patrem illius ante annos 40. elephanticum interiisse: immo, ejus sororem de morbo suspectam esse. De patre nil constat: & cavendum ne sit hoc præjudicium. Si enim ita rem esse animo concipimus, eum jam forte elephanticum judicamus antequam ita sit: aut leviuscula signa, pro magnis & ponderosis (ut sic loquar) pensitamus. At in judicio ferendo videndum ne quid tale committatur. Quod pater dicatur fuisse elephanticus, id quidem ad cautionem majorem valet, non ad certum præjudicium. Ad cautionem quidem majorem, ut nil negligatur, immo ne levissima quidem indicia & argumenta. Vel, ut serio magis dicatur, nil curemus quid ante, nec quid post, sed omnino ad hanc hypothesin veniatur: An hic qui nobis sistitur Socrates, sit elephanticus, quoniam de eo segregando disceptatur. Hoc uno judicio tota hominis fortuna disceptat.

Ceterum forte aliter se gerere oportet medice agendo, aliter ex æquo & bono: nam sunt signa Medica, & hæc altioris sunt contemplationis. Alia sunt signa vulgaria, ut quæ sub obtutum oculorum cadunt. Si medice, id est paullo severius agatur, quoniam antequam signa foris edantur, intus confirmatum & perfectum malum a Medicis credatur, potest elephanticus ita judicari nullis signis foras eminentibus: maxime vero semen mali fovetur ac serpit intus, si a patre elephantico quis oriatur. Morbi enim quidam jure hereditatis ad posteros derivantur, maxime vero elephas, & qui morbi partes solidas, quarum vis natura esse dicitur, occupare solent. Semini enim nescio quæ vis impressa est, quæ ut valet ad speciem, ita latenter morbosam diathesin devehit & transfundit: eaque vis insita est tamquam tradux, ut ex macrocephalis macrocephali generentur. Et ita lustrare oportet intestinas partes.

Contra si ex æquo & bono res æstimetur, relicto paullo exactiore internarum partium examine, ad signa externa tam univoca quam æquivoca deveniendum, ut per hæc tamquam manifesta ad rei notitiam delabamur: quamquam id nequit fieri quin & internæ partes explorentur: nam difficilis respiratio, fœdus & gravis anhelitus, sitis, urinæ confusæ, pulsus tardior, excrementorum fœtor, multaque alia, internarum sedium affectionem testantur. Ceterum signa univoca & æquivoca, & apud Cauliacum,

cum, & Hollerium *cap. de elephanto*, edisseruntur: nec hic omnia tractare consilium est: sed ad auctores, si quando serio de morbo laboratur, est recurrendum. Inter ceteros & eleganter, & plene ex Aretæo Gorræus edisseruit. Nunc cursim tantum & raptim, & ἀμεθόδως (x) dicendum.

Elephas est extuberatio totius corporis inæqualis cum fœdo colore & characteris mutatione; non quod statim appareat: nec enim prius intumescit, quam longius progressa sit corruptio.

Extuberatio in tumore est, tumor in pustula, pustulæ materia succus melancholicus, bilis torrida, acida & salsa pituita.

Color varius est pro temperamento: aliquando est roseus & phœniceus & rutilus qualis anagallidi alteri, & anemones flori, unde ab Hippocrate dicunt vocari φοινίκινον νοῦσον (y).

Videndum an sit vitio nutritionis, an assimilationis, an in defectione consistat: an sit primæ coctionis, an ultimæ, an mediæ, & id breviter.

Galenus ait, in tota animalis mole privatio actionis in crudis succis consistit, functio tamquam deficiens in semicoctis, prava vero in vitiosis succis. Ex vitiosis succis erysipelata, gangrenæ, cancri nascuntur. In nutriendi actione privatio actionis in atrophia est: deficiens in gracilitate morbosa præsertim, vitiosa in leuce & elephantiasi cernitur. Tamen si leuce & elephantiasis sunt symptomata facultatis nequeuntis sibi familiare alimentum convertere, eatenus facultatis alteratricis deficientis esse videatur. Verum quia idoneam qualitatem non adipiscitur alimentum, idque propter malum partis habitum, leuce & elephas depravatæ facultatis symptomata credentur. Et si facultas deficit, ex eventu tantum deficit, ut patet ex 6. *Epid.* explicat Galenus cur qui abundent acri calore carnes habeant frigidas, licet venæ turgeant: malunt enim partes suo genio & alimento fraudari, quam talem sanguinem & succum capessere: quod postea explicabimus. Jam duæ aut tres quæstiones sunt explicatæ. Nunc an sit vitium tertiæ, an secundæ coctionis. Si vitium in visceribus ipsis latuit, cujus ratione succus & sanguis pravæ qualitatis est particeps, optimo jure ad secundam coctionem referetur: & quum tertia coctio secundam non corrigat, nil perinde est si dicatur esse elephas, aut secundæ, aut tertiæ coctionis. Quamquam ipsius habitus morbus esse dicitur, & capillares venæ vitium contraxerunt: quod verum est ad perfectionem elephantis. Id quod nos abunde diximus in margine capitis de elephanto apud Aëtium: ibi enim repudiavimus opinionem eorum, qui tam frequenter sanguinem elephanticis demunt: errant enim, ut illo loci fusius est disputatum. Accedit quod natura quam longissime potest amandat hoc virus: ideo in capillares venas.

Quamquam foris in quibusdam tumores etiam adspectu horrendi apparent, quorum origo aut ab internis non est, si autem fuerit, contracta quadam mala diathesi in habitu ipso, talia in cute vitio vernaculo ipsius cutis erumpunt & efflorescunt: ideo Hippocrates, ut multis locis annotavimus,

(x) Sine methodo.

(y) Morbum Phœniceum, roseum.

tavimus, ea quæ in cutem erumpunt, alias ut morbos considerat vitio cutis orientes, alias ut exanthemata, & τὰ τῶν ἐντέρων βλαστήματα (z): & tunc ipsius tertiæ coctionis & habitus morbus esse perhibetur.

Sed hæc difficilioris sunt inquisitionis & contemplationis, magnumque judicium requiritur ut distinguere possis an a partibus internis repetendum malum, an vero totum id quicquid est ipsi habitui ejusque labi acceptum sit ferendum.

Multa sunt promissa, plura dici possunt: tamen sine recto ordine quædam inculcabimus. Primum illud tenendum.

Elephas est extuberatio totius corporis inæqualis cum fœdo colore, [characteris mutatione; non quod statim appareat: nec enim prius intumescit, quam longius elephas progressus fuerit & corruptio. Essentia hujus extuberationis consistit in tumore contra naturam: tumor in pustula: pustulæ causa materialis succus melancholicus, bilis retorrida, pituita salsa: causa universa est corruptio partium solidarum & assimilationis. Assimilatio corrumpitur Hippocrati quum quod ingeritur superat, novam formam inducit, destruit priorem. Quod ingeritur superat, non superatur, generatione, contagione & alterius morbi successione: & his modis fit elephas. Generatio autem aut est primigenia, aut non. Primigenia quum sequitur naturam suscipientis & efficientis causæ: His quidem superioribus paullo verbis οὐσία καὶ ὕπαρξις τοῦ ἐλεφάντος (a) consistit, quæ ex *lib.* Hippocratis *de alimento* ducuntur, & quæ paullo amplius sunt explicanda. Textus autem Hippocratis est ejusmodi, cujus tanta est & elegantia, & vis & auctoritas ut ceteris sit præferendus:

Assimilat pro viribus natura, quum id quod superingeritur superat quidem, & illud quod prius prævalet, id est, alimentum dum patitur agit quidem, sed tandem superatur ab eo quod prius erat, id est a corpore & ejus forma. Ut lactuca consideratur & agens & patiens: agens dum coquitur tantum & ipsa refrigerat: sed quum jam cocta est proxime assimilanda & calorem naturalem auctura vinci dicitur, & revera vincitur.

At adulterinum est alimentum tribus modis. Primo modo dum coquitur tantum alimentum, & ratione suarum qualitatum primarum afficit, ut lactuca, de quo priore modo paullo ante dictum est. Aut quum pravum est ipsum alimentum pravique succi, coquitur & nutrit, sed postquam nutrierit, habitum ipsius corporis pervertit. Tertio, quum occulta & maligna qualitate agit: nam totius substantiæ proprietate nocet. Ita tamen considerandum est, ut & tempus, & quantitas spectetur. Tempus, ut multo, vel pauco agat tempore. Quantitas, ut ea sit sufficiens ad evertendum; Quod pauca tandem superetur, & a natura vincatur. Textus Græcus est is, ἀμαυροὶ δὲ ἑκατέρας (suppl. τροφὰς) ἐν χρόνῳ καὶ μετὰ χρόνου ἢ ἔξωθεν συνεχὴς ἐπεισκριθεῖσα καὶ ἐπὶ πολλὸν χρόνον σεσημνίως πᾶσι μέλεσι διαπλακεῖσα, καὶ τῶν μὲν ἰδίων ἰδίῳ, ἐξεβλάσησε, τῶν δὲ προτέρων, ἔστιν ὅτε καὶ τὰς

 προτέρας

(z) Internarum partium germina.

(a) Essentia & existentia Elephantiasis.

προτέρας ἐξημαύρωσε: ita Latine verti potest: *Evertit autem & destruit utrumque alimentum* (quamquam in Græco est ἀμαυροῖ ἑκατέρας, supple τροφὰς (*b*), & non video, cur bene dicamus, tertia ista species alimenti, tota qualitate pugnans, evertit alias species alimenti, melius dicetur: Obscurat alias species) *& in tempore, & post tempus, id alimentum quod continenter foris superingeretur, firmiterque per multum tempus omnibus corporis partibus applicatum fuerit, & propriam quidem formam produxit, vel producere potuit, priorem autem, vel priores destruxit ac abolevit.* Hoc enim loco, postquam superius disputarat de incommodis ex alimento ob manifestam qualitatem, agit de eo alimento quod propter vim quamdam occultam & vix explicabilem lædit, & ita in nos agit, ut novam quamdam formam inducat, priorem autem aboleat & perimat. Nec enim aliter suæ formæ proprietatem, quæ antecedenti & priori formæ contraria est omnino, induceret, quam postquam aliam & meliorem & innatam corrupit ac peremit. Plura de ista metamorphosi, & viribus extranei & deleterii alimenti legas *in Commentario ad istum locum breviter & docte scripto.* Ceterum, externum dicitur alimentum, sive foris adhibeatur, seu genitivo & naturali quodam partium & viscerum vitio & tabo in nobis generetur & accumuletur. In nobis enim gigni solet humor qui nonnumquam venenatorum animalium virus sua malignitate æquat. Et iste locus ex Hippocrate citatus adumbrat & delineat vitiosum illud alimentum cujus vi in elephanticis tam horrenda excitantur symptomata, & dira monstrosaque quædam forma inducitur, oppressa ac peremta priore forma.

Plura habebam in animo quæ scriberem, sed retusus stilus meus tempestate bellorum quievit. Tantum adversaria quædam hic adscribam super eadem quæstione mota de probandis iis quos judex temerario judicio pro elephanticis judicarat. Erant autem Arverni.

Signa univocasex.

1. Rotunditas oculorum & aurium. 2. Supercilii depilatio & extuberatio. 3. Narium foras extuberantia & contorsio, & interioris partis angustia. 4. Labiorum deformitas. 5. Vox rauca. 6. Fœtor halitus & corporis.

Octo alia ex aliorum opin.

1. Ab Elephanticis natum esse. 2. Consuetudo cum elephanticis. 3. Suppressio consuetarum excretionum. 4. Usus ciborum pravorum, vini præsertim. 5. Vita ærumnosa in metu & mœrore. 6. Extuberationes corporis, sed præsertim faciei. 7. Aures acuminatæ: nasus simus: labia crassa: aspectus horridus. 8. Color faciei ex rubore livens, vox rauca, oculi rotundi.

1. Extuberatio in extremis partibus. 2. Color ut in morphæa ut tenebrosus. 3. Defluvium capillorum & tenuium regeneratio. 4. Musculorum quorumdam extenuatio ut pollicis & trapezitæ unde fiunt alati. 5. Stupor aut sensus amissio in extremis partibus siccatis & induratis. 6. Scabies, impetigo, gutta rosacea. 7. Extuberationes sub lingua. 8. Unctuosa cutis aqua adspersa. 9. Cutis crispitudo instar anseris implumis. 10. Sanguis

(*b*) Obscurat utrumque, supple, alimentum.

guis thromboſus. 11. Senſus punctionis in cute. 12. Raro febricitant: cauti ſunt. Alia petuntur a ſomno & urinis. Agnoſcuntur autem inter cetera, diſpoſitio, actus. Diſpoſitio ex cauſis antecedentibus. Actus triplex, initium, incrementum, vigor. Principium, quum malum latet intus & ſigna minora foris exſtant: crementum, quum ſe in externis prodit: vigor, quum partes ulcerantur: declinatio, quum partes corruptæ cadunt.

At vero tanti ſunt ſigna hujuſmodi, ut iis quaſi manibus ducamur ad latentes morbos, quæ quum ita ſe habeant, quæri merito nunc poteſt, an ut in aliis morbis ſi cui convaleſcendum omnia bona ſigna adeſſe oportet, ſi moriundum, unum malum ſufficit. Ita in judicio elephanticorum unum univocum ſatis ſit ad condemnandum, ad abſolvendum omnia univoca abeſſe conveniat. Nam judicium facit Galenus, & per τὰ συμβεβηκότα, & per τὰ ἀσυμβεβηκότα (c), ut hæc non adſunt aut illa, ergo, nequaquam id faciendum, alioqui non differt judicium Medici & vulgi quod in alienis miſeriis procax eſt.

Hippocrates morbos diſtinguit ex ſexu, ex ætate. Ætate, ante 14. annum leuce, ſeu lepra alba & cancer non affligit, niſi ſit congenitus affectus, ac ſi dicat, ſe prodit non merito ætatis, ſed alia ratione, hic morbus ætate nil impediente ſe prodit: A 14. ad 42. omnes morbi ſe produnt, ait Hippocrates: a 42. ad 63. (annus autem 42. notat annum climactericum 2.) ſtrumæ non adſunt. At ſi quid elephanticum foret, & in matre & in filiis ſe prodidiſſet quum mater agat annum 63.

Quod ad ſexum attinet, Hippocrates ait mulieres non laborare podagra. Seneca addit defluvium capillorum quo mulieres non laborant: (id tamen apud Hippocratem non legitur) quo fit ut miremur in hac muliere naturalem φαλάκρωσιν καὶ μίλφωσιν (d). Tamen Ariſtoteles ait mulieres non fieri vitiliginoſas, & ob menſtrua, & cutis denſitatem, tamen his omnibus morbis laborant mulieres, non quod mulierum natura mutata, ſed vita.

Filii hujus mulieris ſunt depiles ab ipſo ortu; in quo duo notanda. Prius, quod iſta depilatio eſt morbus particularis, non abſceſſus, juxta Hippocratem *ſub finem* 2. *Prorrh.* ut pityriaſis eſt aliquando vitium particulare capitis, intactis aliis partibus. Et id vitium transfuſum eſt in mares maxime, quia mares matrizant ratione Galeni: Semen feminæ initio vincitur a maſculo, ſed adſciſcit menſtruum ut fortiùs ſe reddat contra maſculinum ſemen. An major pars ſeminis a capite, unde fabulæ de Minerva.

Inter filios ſuſceptos de elephante, tamen non damnatos, unus eſt vietus, deformis, & huic detractus erat teſticulus. Legatur locus in Eunucho, de ipſo Eunucho, ille vetus, veternoſus, vietus, ſenex. Et Donatus pulchre in Commentario. Eidem filio teter anhelitus, ſed a male conformato erat.

Quoniam autem fit maxime mentio de ſignis in facie, quæ ſigna ſunt prærogativa.

(c) Ea quæ accidunt, & ea quæ non accidunt.

(d) Capillorum defluvium, & palpebrarum calvitiem.

rogativa in elephante, bella eſt quæſtio apud Gordonium de quodam elephantico, cui facies naturaliter erat affecta. Rationem reddit auctor cur ita contingere potuerit.

Familia eſt in qua pubes eſt depilis: Scytharum valet exemplum, quia ars naturam facit.

Quod attinet ad criſpitudinem & depilationem quod pro criſpo glabrum ſumitur (quia pili regeniti non ſunt pili veri, ſed anſerini) locus eſt apud Terentium de facie cadaveroſa, in Hecyra.

Forte mater habuit a propagine aliquid elephanticum, ſed id in ea bonitate naturæ domitum aut exſtinctum eſt, & intemperies per traducem propagata ſopita eſt.

Mirum quod omnes filii matrizantes ſunt depiles, uno excepto, & filii filiorum depilium, & filiæ ſunt piloſæ.

Forte habitus ipſe fuit in muliere matre & filiis validus (qui natura tamen per Galenum eſt imbecillior partibus internis) & vicit malignitatem ut ſe non prodiderit: unde Avicennas facit morbos habitus. Cacochymia deſtruit εὐεξίαν & κακεξίαν εὐχυμίαν (*e*).

Hæc adverſaria ἀτάκτως (*f*) fere adſcribere non piguit, quod aliquando ea uſui eſſe poſſint ſi forte quæſtio & examen moveatur de elephante. Sic erit hic liber ut bonus promus condus deſiderio aliquando ſatisfacturus. Lutetiæ 21. Auguſt. 1596.

ANNOTATIONES.

1. *Ad Elephantiaſin curandam quidam malo & inhumano exemplo balneum ſanguinis humani præſcripſerunt. Sed hoc tam horrendum & impium inventum cum ipſis inventoribus exſtinctum eſt. Ita enim apud humanos homines (ut ſic dicam,)* Miſerum auxilium, tolerabile miſerius malum fecit.

Lib.7.cap.19. 2. *Quoniam diximus obiter de anno Climacterico, unum & addam. Climactericus a Plinio annus ſcanſilis dicitur, ab aliis gradarius. Rara ajunt (ait Plinius) longiora eſſe tempora quia momentis horarum inſignibus lunæ ac dierum ſeptem atque novem ingens turba naſcatur, ſcanſili annorum lege occidua quam climacterem vocant. Annus ſexageſimus tertius periculoſiſſimus, quoniam uterque numerus ſeptem & novem, qui decretorii & malefici dicuntur, & ad ſuccidendam vitam pollentes, in unum quaſi confluunt ſepties novem, & novies ſeptem faciunt ſexaginta tres: & gradarius ſcanſiliſque dicitur, quod a ſeptimo incipiens, vitam hominis quaſi per gradus quoſdam agat & dirigat. Unde apud Hippocratem adumbratur ea vis & potentia dierum quadragenariorum: Ita Hippocrates:* Mors etiam per fatum, μοῖραν Græcis, forte deſignata, ut noſcant omnes, quod omnia exſiſtentia quæ naturam ex iiſdem habent tranſmutationes per tempora venientia habeant. Anno finiente, multi morbi, multæ ſanitates, juxta temporis rationem ad menſes.

(*e*) Bonum habitum, & cachexia ſuccorum bonitatem.

(*f*) Inordinatim.

menſes. Septenariis autem annorum quum multa alia inſignia corporibus fiunt, tum dentes pueris excidunt & renaſcuntur.

Et alio libro, ex multis conjectare licet vitam hominis ſeptem dierum eſſe. *Id quod multis poſtea rationibus illuſtravit.*

Denique tota Hippocratis doctrina nil aliud ſonat quam dies pares, impares, menſes, annos, & vim climacterici anni, ut paullo ante notavimus ex libro Coacarum animadverſionum.

CONSILIUM LI.

De inteſtini ulcere & hæmorrhoidibus. Pro Comite quodam Anglo.

MOrbus qui non ita pridem illuſtriſſimo Comiti moleſtus eſſe conſuevit, & mali moris, & difficilis curationis nobis eſſe videtur. Ac mali moris, quoniam ulcus eſt quod altius egit, ac dyſenterico modo depaſtum eſt, a margine inteſtini non longe diſtans, & ab acri & ſalſuginoſo humore, ſucci melancholici naturam æmulante, natum. Fovetur perennitate affluxus illius humoris qui exulcerando & exaſperando ipſi parti qua tranſit, moleſtus eſſe ſolet. Teſtatur menſtrua hæmorrhoidon excretio, quæ & cauſa mala eſt, & nova irrigatione novam irritationem affert. Vel credibile eſt ſucceſſiſſe ſuppuratæ hæmorrhoidi: hujus rei fidem facit & fluxus, & dolor hæmorrhoidon qui ſævo cum cruciatu illuſtriſſ. Dominum afflixit. Hic plenitudinem & cacochymiam auctorem agnoſcit, ſed hanc potius. Difficilis curationis, non omnino deſperatæ eſſe videtur, ſi Dominus & vitæ legem ſervarit, & conſilio conſulentium ſanitati paruerit. At id facit diuturnitas mali quæ naturam partis fatigavit; ejuſdem etiam pertinacia, & quod eo proceſſit, ut depaſcendi aſſiduitate jam & caro inteſtinorum abradatur, & tunica ipſa atteratur. Ut enim naſcens malum facile opprimi potuit, ſic inveteratum magis invaleſcit ac roboratur. His artificialibus conjecturis, non certis omnino rationibus, rem licuit æſtimare: defuit enim Medici tamquam legitimi artificis narratio & deſcriptio, quæ certiorem de re fidem feciſſet, & quaſi digito demonſtraſſet: omnino enim a narranti ore dependendum fuit, & ejus quem non ars rei gnarum & diſceptatorem, ſed aſſidua dumtaxat penes ægrum diligentia & obſequium narratorem reddiderit.

Hæc ſunt inſtituta. Corpus purgetur caſſia ſine ſaccharo, & capiat cum ſyrupo violato. Clyſteres ex decocto nervalium herbarum cum capite vervecino addita caſſia: alias anodyni ex decocto caricarum, ſeminis pſyllii, plantaginis cum vitellis ovorum. Abſtineat vino. Utatur decocto radicis chinæ. Detrahatur ſanguis ſingulis fere menſibus. Lac aſinæ in uſu eſto: Hordeata & balnea. Et eo tempore intromittentur balani ex metallicis; exceptis mucore ſeminis pſyllii cum pauco opio. Pyrotica utrique brachio. Potiones vulnerariæ & diureticæ. Injectiones ex plan-

tagine, veronica, ſolatro, centaurio minore, conſolida minore, hordeo & ſimilibus, quæ leviter detergent & retundent ſucci melancholici malignitatem.

Illinantur turundæ lenes & molles ex linimento conflato & unguento diapompholigos acto in mortario cum oleo nenupharino & violato, addendo ſpodii, carabes, utriuſque corallii ſubtiliter pulverizati, & ſupra marmor ducti ſufficientem quantitatem. Addetur huic unguento aliquid philonii romani prout neceſſitas requiret. Die 15. Junii anno 1583.

CONSILIUM LII.

De Sanguinis ſputo.

GODONIUS ad tabem propendebat, cruentum expectorabat, ut peſſimo loco res ejus conſtitutæ viderentur (1). Quando autem ſalus promitti non poterat, dulcedo tamen aliqua vitæ calamitoſæ nonnulla poterat. In eum finem hæc quæ ſequuntur inſtituta ſunt: Dandum dilutum rhei cum decocto ſcabioſæ, ungulæ caballinæ, paſſularum & glycyrrhizæ, diſſoluto ſyrupo de ungula caballina & violato. In uſu ſit conſerva roſarum & de ungula caballina.

Operiatur thorax hapſo imbuto oleo violato & de keiri.

℞. *Pulveris pulmonis vulpis præparati, ſcr. iv: diatragacanthi frigidi & ſacchari penidiati, ana unc. iij: ſacchari roſati, unc. iij. utatur ſæpe.*

Paretur ſyrupus ex ſucco ungulæ caballinæ, bipinellæ, bugloſſi, plantaginis, portulacæ: madeat in eo nodulus gummi tragacanthi cum unc. ß. ſeminis papaveris albi, & cum infuſione roſarum ſiccarum in aqua roſarum. Hora ſomni utatur cremore hordei loco cœnæ, cum ſemine papaveris albi.

Applicabuntur pyrotica utrique brachio.

Balneum ex uſu foret, ſed metu ruptionis ſubitæ vomicarum in aliud tempus differendum.

ANNOTATIO.

1. *Pauca quædam annotare nobis conſilium eſt. Ea enim de catarrho materia & fructuoſa eſt, & quum alioqui vulgaris ſit, oppido pauci in ea verſati ſunt. Mirabar quid eſſet cur fluxionibus opportuni, ita morbis incertas periodos habentibus impediantur. Unde febres quintanæ & ſeptimanæ, quarum Hippocrates meminit, tabeſcentium fere ſunt. Eſt enim materia longe a vaſis ſemota quæ id febrium genus concitat: ſi enim ea vaſa occuparet quæ aliarum febrium materia, non his intervallis febres iſtæ reduces forent.*

Hippoc. part. 7. & 9. ſect. 2, lib. 1. Epid.

Tria vero ſunt quæ animadvertenda duximus. Primum eſt, quod Galenus annotavit in Epid. *de filia Euryanactidis quæ fluxionibus acrioribus in febre fuit*

fuit opportuna: huic destillationes acres, tenues, multæ, parvæ, tussis, & nil coctum excrevit. Febris videbatur remittere, & tamen vera & salutaris remissio non erat. Die decimo nono interiit. Galenus unum notandum scripsit, & quod ad alios talibus fluxionibus obnoxios potest transferri: Nil est, *inquit*, cur in hac ægra de diebus decretoriis quæramus. Illi enim nullum ordinem habuerunt, quandoquidem destillatio a capite mortem attulerit, & tabes innata. *Hippocrates enim in fine historiæ adjecit*, ἦν δὲ συγγενικὸν φθιτῶδες (g): *Et* 4. in Epid. *in uxore Meandri Cæci, in qua dierum criticorum observatio facta non est. Quid tum? a capite fluxio fuit, Cur propterea dies non observat. Nam & Hippocrates in ulceribus tibiarum observat dies criticos.*

Quæstio hæc moveri potest. An propterea dierum criticorum confusio quædam fuerit & ordinis perturbatio, ἀταξίαν (h) *possis dicere, quod destillatio a capite ferina & coctionis incapax mortem intentarit? Præclarum hoc, nec sicco pede prætereundum.*

Secundum quod nota dignum nobis videtur est illud quod Galenus scripsit. Destillationes a capite in pulmonem malignas crede, si tenues & corrodentes fuerint, has enim nec in pulmone tamdiu morari convenit donec crassescant, ut alias fluxiones par est, quæ sunt quidem tenues, sed non corrodentes, nec æquum est statim eas excerni. Intus enim morantes nec facile concoquuntur, & viscus ipsum lacerare deprehenduntur. Si excernantur autem, tusses violentas commovent, ob quas caput repletur, ipsumque rursus materias in pulmonem depellit, metusque est ne ob tussim vehementem vas aliquod rumpatur. Quæ tussis iis accidit qui humores tenues & aqueæ substantiæ difficulter ex pulmone rejiciunt. Ascendunt enim isti humores a spiritu per tussim emisso sublati. Quod si tenues & aquei sint, disperguntur, & contra ipsius spiritus motum prius delabuntur, quam totam asperam arteriam egrediantur. *Et hic locus est notandus, & multi eum verissimum magno suo detrimento experiuntur.*

Comm. ad part. 18. sect. 3. lib. 6. Epid. Vide part. 12. sect. 1. lib. 1. Epid.

Tertium est de febre & macie quæ tenues fluxiones consequitur. Id Galenus abunde explicavit dum extenuationem corporis sequi ait ex calidis destillationibus. Et tunc Medici non reformidant phlebotomiam. Mirum autem sit cur quum destillatio ferina & calida a capite labitur, febrem primo quoque tempore promoveat. Est enim calor quidam fundens & liquefaciens, qui quum alias in aliis partibus sit, maxime in capite est: non quod forte non sit ea acris & calida distillatio quæ febrem accersat, sed est febris non ita apparens, & sepulta quæ id faciat, id est, quæ distillationem moveat. Sed hanc totam quæstionem de fluxionibus in lib. 2. Epid. meorum *diremimus.*

Quæstioni huic ultimæ annectendum est & illud præclarum Hippocratis præceptum. Quum enim a fluxionibus extenuatum est corpus, prima cura esse debet ut corpus pinguescat. Pinguedo enim illa & ἰυσαρκία *declarat fractam esse vim fluxionum istarum acrium & calorem contra naturam superatum. Præ-*

 ceptum

(g) Quidpiam tabificum cognatum. (h) Inordinationem.

ceptum quidem Hippocratis est de iis quibus aspera arteria exulcerata est, & valde tussierunt: Hos, *inquit*, quam maxime reficere oportet ut quam crassissimi fiant: *Et tamen hæmoptoici fiunt. Quum alioqui magna Medicorum pars hæmoptoicis inediam præscribat. Sed horum duo sunt genera: nam si præ copia sanguinis hæmoptoicus fiat, de cibo demendum est; si ob sanguinis acrimoniam & malam qualitatem, multi benigni alimenti usu acrimonia sanguinis temperabitur.*

FINIS LIBRI CONSIL. MEDIC. SECUNDI.

GULIEL-

GULIELMI BALLONII,

MEDICI PARISIENSIS CELEBERRIMI,

CONSILIORUM MEDICINALIUM

LIBER TERTIUS ET POSTREMUS.

STUDIO ET OPERA

M. JACOBI THEVART

D. Medici Parisiensis digestus, & multis hinc illinc observationibus, ad obscuriorum locorum intelligentiam, illustratus.

Ραθυμίας ἀπέχεσθαι, καὶ τὰ νοῦ ἀσκεῖν·
Ἡ μὲν γὰρ ἄσκησις πάντων ἐστὶ κρηπίς.

Id est

Abstinere desidia, & exercere ea quæ sunt circa mentem,
Nam exercitatio & fundamentum rerum omnium.

APPROBATIO.

EGO ſubſignatus Doctor Medicus & Decanus ſaluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis, teſtor Conſilia hæc Medica, & Paradigmata a Magiſtro GUILLIELMO DE BAILLOU Doctore Medico Pariſienſi & Decano celeberrimo, erudita oratione & ſummo judicio conſcripta, atque a M. JACOBO THEVART, Collega doctiſſimo, digeſta, & obſervationibus aucta, digna eſſe quæ typis mandentur. Datum Pariſiis Calendis Octobris Anno poſt Chriſtum natum milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo octavo.

PERREAU DECANUS.

AD CANDIDUM LECTOREM.

Nil opus Auctoris laudare volumina noſtri,
Hoc opus auctorem laudat, hic auctor opus.

J. THEVART, D. M. P.

ILLUS-

ILLUSTRISSIMO AC SAPIENTISSIMO VIRO

D. D.

FRANCISCO VAUTIER,

olim Reginæ MARIÆ MEDICEÆ Archiatro, nunc Regi LUDOVICO XIV. à sanctioribus Consiliis, & Archiatrorum Comiti,

JACOBUS THEVART,

Doctor Medicus Parisiensis,

S. P. D.

QUÆ hactenus e musæi nostri latebris in apertam lucem prodiere Clarissimi Ballonii opera, *Illustrissime Valteri*, ea tam gratiose ac comiter ab omnibus Philiatris excepta sunt, certo ut credam peccaturum me in Rempublicam iatricam, si reliqua, quæ adhuc latent, ejusdem Authoris monumenta diutius apud me retineam. Sed longe profecto gravius crimen ipse incurrerem, si paterer ea ad aliorum manus ante pervenire, quam auxiliares ac salutiferas tuas essent exosculata, ab eisque missionem accepissent. Ecce igitur, *Archiatrωn Comes dignissime*, utroque eo reatu una me exsolvo, ac medicinalium consiliorum, paradigmatumque centurias aliquot ab ipso Ballonio jam seniore conscriptas, mihique pronepoti concreditas, Illustri tuo nomini dico ac consecro. Id a me nec invito exigebat dignitas illa tua, quam summam sperare Medicus potest, & ad quam tua te virtus, tua longo rerum usu firmata polymathia, nec non in rebus medicis εὐτυχία (*b*) incredibilis evexerunt, atque id tam felici rerum successu, ut boni omnes Galli palam profiteantur ac prædicent suum se tibi debere Regem charissimum, quem nempe malignis ac pestilentibus variolis periculosissime laborantem non cardiacis tantum præsidiis (ut medicastrorum αἱμαφεβῶν (*c*) vulgus solet) sed & ipsa, quam

(*b*) Secunda fortuna.

(*c*) Sanguinis missionem timentium.

quam in ejusmodi affectibus tantopere aversantur ac damnant sanguinis missione ter, pro symptomatum urgentium necessitate, repetita, salvum & incolumem restituistis, innumeris interim in hac urbe populosissima pueris hac epidemica lue è medio sublatis. Quod ob facinus tam egregium quæ non tibi laudes, Vir præstantissime, quæ non soteria debentur? Si qui civem Romanum in prælio servaverat, quercea corona dignus habitus est, tu certe, qui Regem Christianissimum ab hoste tam infenso liberasti, auream, qualis est ab Athenienſibus Hippocrati concessa, meruisti. Nec dubito quin, si vixisses priscis illis temporibus, quibus inter heroas referebantur quicunque insigni aliquo facinore Rempublicam conservassent adjuvissentve, quin, inquam, ipse heroum auxisses numerum, honoresque prope divinos accepisses. Tu (quod de Hippocrate Pætus ad Artaxerxem scribens aiebat) sanitatis pater es, tu servator, tu mitigator dolorum, tu divinæ scientiæ princeps. Plura ne dicam vetat modestia. Jubet vero ratio & æquitas ut nullam unquam prætermittam occasionem celebrandæ tuæ erga me propensionis ac benevolentiæ, quam ipse semper ab annis ferme viginti quatuor singularem expertus sum, quamque si nullo hactenus officio, nullo vel levi munusculo, ob fundi proprii tenuitatem, compensare potui, velim saltem operum avunculi mei nuncupationem hanc perpetuum esse apud omnes memoris mei, gratique erga te animi monumentum.

Vale: *Lutetiæ* XIX *Calendas Januarii* MDCXLIX.

GULIEL-

GULIELMI BALLONII

MEDICI PARISIENSIS CELEBERRIMI, CONSILIORUM MEDICINALIUM *LIBER TERTIUS.*

CONSILIUM PRIMUM.

De Capitis dolore, & Vertigine.

ANGLUS annos natus 46. dolore capitis periodico jampridem laborabat, alias hemicrania est, alias cephalalgia, & hæc frequentior: Ita morbus diu afflixit, ut inveteraverit ac confirmatus sit: quærit a nobis ut dolorem malumque leniamus, quandoquidem radicitus evellere potis non est, nec quisquam ullo remedio sublatum iri credit, nisi forte ætas ipsa remedium fuerit. Biliosus enim valde est, & æstuantia habet viscera, unde evenire potest ut successu temporis bilis defervescat, & non ita acris generetur. Ita enim Hippocrates morbos συντρόφους (*d*) in senecta desituros credidit: Id quod Galenus de affectionibus calidis intellexit.

Gal. com. in part. 6. sect. 5. lib. 6. Epid.

Antequam autem capita perstringamus quibus nos opitulari posse tam pertinaci & rebelli dolori credidimus, nonnihil de capitis affectionibus paullo generalius præfabimur. Duo autem, aut tria perstringemus, quorum unum ab instituto paullo erit alienius, sed tamen quasi ex eventu tractandum occurrit.

Partium principum affectiones etiã leves non sunt negligendæ.

Primum est, quanti sit momenti affectio capitis etiam levis, si spectetur pars laborans, non causa doloris efficiens.

(*d*) Connutritos.

Secundum, an facultatis animalis consideratio sit in morbis necessaria, & quatenus.

Pro tertio, quoniam Galenus in morborum acutorum vigore tanti facit facultatem animalem, id quod tamen nonnullis parum probabile videtur, videndum quatenus id verum esse possit, nam mentionem sumus facturi de quadam Galeni auctoritate ex qua constare potest gravitatem affectionum æstimandam esse, alias ex dignitate & principatu partis, alias ex magnitudine causarum morbum efficientium. Ut si quod symptoma ἐπιγενόμενον (*d*) contingat per augmentum causæ morbificæ, illud augmentum consideremus alias ex humorum vi & magnitudine, alias ex natura & conditione partis laborantis, ut quod magna aliqua causa in parte minus præcipua facit, in principe parte minor causa par & idem committat, & ejusdem momenti. Totum autem hoc eruetur ex *commento quodam in* 1. *prognosticon.*

Locus hic diligenter legendus, quoniam & ad diagnosin, & ad prognosin maxime pertinebit.

1.

2. *In phrenitide delirium malum ut essentiale & pathogn. in aliis morbis ut ἐπιγενόμενον.*

3.

Postquam locutus est de iis qui in febribus falsis objectis moti festucas colligunt, muscas venantur, gesticulantes manus ad os & oculos ferunt, unum valde commemorabile adstruit: Nam hæc aut in phrenitide, aut ardente febre, aut peripneumonia, aut capitis dolore contingere ait, sed alia, atque alia horum ratio est. In phrenitide enim hæc sunt mala & essentialia & pathognomonica, & ideo sunt perniciosa, quia pars princeps laborat; in aliis autem affectibus sunt ἐπιγενόμενα & magnitudinem causæ morbificæ sequuntur. Nam symptoma superveniens non oritur nisi aucto malo, ut singultus non ex quavis inflammatione hepatis sequitur, sed ex ea magna & gravi; & ita de ceteris. Sic in peripneumonia, dolore capitis, ardente febre non hæc eveniunt, nisi quum affectionis causa increverit: Id quod Galenus his verbis explicavit; merito igitur affectiones talia committentes, id est inducentes errorem mentis & partis imaginantis, ut inde gesticulatio manuum, muscarum venatio, & festucarum collectio consequatur, censentur difficiles, græce χαλεπαὶ, quippe quæ febris acutæ, aut peripneumoniæ, aut doloris capitis sequantur magnitudinem, addit codex græcus τῶν χυμῶν εἰργασμένων, id est humorum committentium eas: a phrenitide quidem, quia pars princeps est affecta, cujus universum genus exitiale habetur, a febre vero dolore capitis & peripneumonia, ob magnitudinem (inquam) humorum committentium eas affectiones.

Sic in phrenitide habet rationem τοῦ ἐπιδεκτικοῦ (*e*), in dolore capitis, peripneumonia, febre acuta τοῦ ποιητικοῦ (*f*), id est in phrenitide, ut & in morbis partium principum dignitatem & principatum partis observat, in aliis morbis vim ac potentiam humorum: quamquam in phrenitide observatio humorum non est differenda, nec negligenda, sed in aliis morbis quid materiale cernitur, in partium principum morbis, quæ pars: nam exigua causa magnos quosdam affectus producit in parte principe, ut de vulne-

(*d*) Superveniens.
(*e*) Causæ suscipientis.
(*f*) Causæ efficientis.

vulneribus capitis ſtatuit Hippocrates: quum nullum etiamnum leve capitis vulnus negligi debere ſuadeat. Unde illud eſt Hippocratis memorabile: *Parva cauſa medelis exſolvitur, niſi quid circa locum principalem affectum fuerit.* Nam ubi vitium eſt in parte præcipua, ſæpe non eſt tam laborandum in evacuando, quam tollendo partis vitio. Id & in morbis longis & acutis obſervari debet: de acutis hic dicitur, de longis dicam: Tanti momenti eſt pars & vitium partis dominatum in corpore habentis, ut longitudo morbi ſit ei accepta ferenda. Sunt enim morbi diuturni tribus modis, vitio partis, culpa ægri, coctionis difficultate. Difficultas coctionis ob humoris copiam, naturæ imbecillitatem, & meatuum anguſtiam. Galenus de apoplexia loquens, quæ dies ſeptem non præterit, ait, *partes principes non diu ferunt fortes ſimul ac diuturnas paſſiones*, immo a parvis cauſis impendio magis læduntur, nedum a gravibus, unde non mirum eſt ſi ubi delirat quis & nimium cerebro perturbato afficitur, terreatur vulgus, Medici non ita terrentur, præſertim quum perturbationis mentis cauſas, alias ab aliis ſecernant: quamquam dicat quis quid attinet ſi quis bene aut male in febre ratiocinetur? nihil enim ad curationem attinet quamquam in univerſum ab Hippocrate eſt pronuntiatum: *In quovis morbo mente conſtare bonum, & bene ſe habere ad ea quæ offeruntur.*

Lib. de præcept. ſub finem.

Morbi longi vitio partis, culpa ægri, & coctionis difficultate. Comm. ad aphor. 51. lib. 6.

Nunc itaque alias quæſtiones explicemus, quid & quatenus conferet facultatum animalium obſervatio in morbis. Apud Galenum locus eſt qui multos hactenus torſit, neque enim putant omnino verum eſſe morbo conſiſtente nec purgationi, nec venæ ſectioni intendendum eſſe, quia tunc maxime concoctio fit. *Circa initium melius eſt minuere materiam, quo natura cetera facilius evincat. Quum morbus conſiſtit, nil opus eſt evacuare, dum natura jam concoquit, tum ob alia, tum quia vis animalis maxima ex parte laborat, & fatigata eſt*, græce κεκμηκυίας τῆς δυνάμεως, *licet naturalis & vitalis fortis perſiſtat.*

At quorſum mentio fit de facultate animali? quorſum ſenſus? ratiocinatio? memoria? phantaſia? motus? nam licet æger maneat immobilis, nil propterea deterius illi contingit. Eſt enim facultas naturalis morborum coctrix & maturatrix: at ratiocinetur quis vel non, moveatur necne, nil attinet; at reſpiratio & ſenſus neceſſitatis ſunt alicujus: reſpiratio vero ad vitalem facultatem quodammodo refertur; ut autem animal ſubſiſtat neceſſaria ſunt hæc tria, vita, nutricatus, reſpiratio. Ad vitam ipſam reſpiratio referri debet, nec enim voluntaria omnino actio eſt, ut nec pulſus: fit enim κατ' ὁρμὴν (*g*), non omnino κατὰ προαίρεσιν (*h*). Ceterum Galenus parvi facere videtur facultatem animalem. *Quum valemus*, ait, *cerebro opus eſt ad actiones voluntarias, non ita quum ægrotamus. Ad vitam cor & cerebrum par momentum habent, ſed non idem in morbis.*

Ut animal ſubſiſtat tria neceſſaria, vita, nutritio, & reſpiratio. 7. Meth. Bene valentibus cerebro opus ad actiones volunt, non ita quum ægrotamus. Ad part. 5. l. 2. prorrh. Germana explicatio locorum Gal.

Quo pertinet locus præclarus in Prorrhetico. *Quum virtus ſine manifeſta evacuatione imbecilla fuerit, duorum horum alterum eſſe oportet, vel enim gravans copia oſtenditur, vel unius principiorum intemperies ac natura-*

(*g*) Secundum impetum. (*h*) Secundum electionem.

lis & vitalis virtutis imbecillitas est deterrima, & cito hominem tollit: una enim cum his animalis exsolvitur, sed si quæ facultas in cerebro residet, afficitur, non protinus cor afficitur. Quo ex loco demonstratio & illustratio eorum quæ hic dicuntur erui elicique potest.

Ceterum ut tandem luce quadam allata aliquid concludatur, his nos cancellis orationem nostram coercemus. In corpore nostro est συντονία, & τόνος (*i*) quidam ut animal subsistat nec sua mole obrutum ruat, aut dissolutum cadat ac prolabatur. Est enim harmonia quædam & contentio omnium virium, ut chordarum in lyra: hæc si dissolvitur, male se res habet. In vigore morborum facultas naturalis coctioni dat operam, vitalis afficitur & laborat, & exsuscitat, opitulaturque naturali laboranti: restat animalis; huic si vis aliqua inferatur, aliquid deterius continget: nam duabus prioribus laborantibus, saltem animalis aliqua ex parte integra incolumisque maneat; licet autem quod pertinet ad ratiocinationem & motum progressivum, non ita necessaria sit animalis facultas, ad respirationem & sensum facit, & ad conservationem istius συντονίας (*k*) valet. Ideo Hippocrates: *In morbo mente constare bonum*, ait, licet nil sit necesse ratiocinari febricitantem. Bonum autem signum est & causa, quia quum respiratio ab ea facultate pendeat, quum libera est illa respiratio voluntatis, & instrumentorum integritatem significet cum mediocritate usus conjunctam; ut causa autem valet, quia usui & necessitati satisfaciat: quamquam autem diximus respirationem cum vita coincidere, & ad nullam particularem actionem referri, sed ad vitam solam.

Hippocr. in Aphoris. Mente constare in omni morbo bonũ.

Mentio quoque facta est de sensu. Hic in morbis est perneceſſarius, nec enim sine irritatione quadam crisis fieri potest; si autem facultas sensifica laboret, natura non sentit punctiones & calcar ipsorum humorum, unde frustrata crisi sæpe succumbit & opprimitur.

Facultatis sensificæ læsio efficit ut natura frustrata crisi sæpe succumbat. Lib. ii. Meth.

Sunt qui ita conciliant locos istos contrarios, fatentur quidem verum illud esse Galeni *in methodo medendi*, ventriculi & jecoris, denique facultatis naturalis ita opus & munus esse necessarium ut sine iis salutaris coctio esse nequeat, sed in morbis thoracis ut in pleuritide, peripneumonia, & ceteris id genus, majorem quamdam esse necessitatem facultatis animalis quam naturalis; hic tamen distinctione opus est: nam etiamnum in istis morbis est quædam prærogativa & efficientia facultatis naturalis; humor enim coqui & præparari exclusioni debet, quod ab energia facultatis naturalis pendet. At ut foras coctus humor & quasi putrefactus excludatur, viribus & laterum firmitate opus est, id autem est ipsius facultatis animalis: sed talis functio cum ipsa respiratione coincidit, ut semper sese eodem quæstionis solutio referat ac revolvat: hæc autem paullo subtilius explicata sunt quam ut Medicum deceant, qui in artis operibus potius quam subtilibus disputationibus exactioreque actionum examine suam industriam ostentare debet.

Hæc autem de facultate animali obiter tractavimus, ut plus tamen temporis

(*i*) Robur, contentio & tonus. (*k*) Contentionis.

poris & operæ insumserimus quam nec crederemus : eo autem lubentius fecimus, partim ut nostrum quoddam quantulum est fallentes & lenientes otium, nobis ex aliqua parte faceremus satis, partim ut labore levaremus eos quos hactenus ea quæstio exercuit de necessitate facultatis animalis in morbis : Nunc ad nostri ægri dolorem capitis demulcendum veniamus : mavult enim sibi simpliciter provideri ac consuli, quam rebus ad exactius examen disputando revocatis, interea nostram manum auxiliarem postulare.

5. *Deliberationis & curationis capita.*

Tria concurrere videntur quibus doloris tam frequenter redeuntis causa assignari potest, plethora particularis ipsius cerebri, cui, assiduitate dolendi juncta est jam ἡ διάθεσις κεφαλαλγικὴ (*l*) : viscerum intemperies, acerrimæ bilis & calidorum exhalationum parens : tertium acuties ipsius sensus, potissima tantorum dolorum (quod attinet ad naturam suscipientis partis) occasio.

Doloris assiduitas caput infirmius reddit minima occasione lædi facile, immo quia pars ægra & dolens suam quodammodo naturalem œconomiam pejorem habet & immutatam, proprium alimentum est oneri. Unde Galenus ait, eos qui capitis dolori frequenti sunt obnoxii, capite infirmissimo esse, & eas partes alioqui imbecillas repletio quaquaversum distendens dolorem concitat.

Comm. ad part. 5. lib. de natur. humor. Lib. de sacr. morb. Vide aliam Hipp ea de re demonstrationem quum agit de 40. num. 1.

Hippocrates hanc sensus acutiem a prima origine repetit, *dum etiam in utero natura partes defæcat atque repurgat, vel supra modum, vel infra, vel intra modum* : quo autem purius cerebrum & defæcatum magis, eo hominem sapientiorem reddit, sed tantum bonum compensatur quodam malo : dum hac ratione mutationes aëris facile persentiscit ; unde illud Hippocratis : *Cerebrum plurimam vim habet in homine, hoc enim eorum quæ ab aëre fiunt interpres est, si sanum exsistat.*

6. *In pueris & quid contingat sub finem lib. de sept. partu.* ἀμβλύνονται ἐν ταῖς μύξαις αἱ δυνάμεις *ad part. 11. lib. 1. prorrh. Gal. cap. 11. lib. de ther. ad Pis. idem narrat de quodam sodali, qui etiam in lecto aëris mutationes persentiebat.*

Et quum cerebrum in homine inter cetera animantia insignem magnitudinem habeat, multas & varias nervorum propagines, non sæpe totum dolet, sed alias antica, alias postica parte, alias sinistra, alias dextra ; prout pestifera vis morbi huc aut illuc inclinaverit.

Ceterum ad dolendi facilitatem facit assidua agitatio actioque animi, quæ humores rapit sursum, inflammat. Quandoquidem assidua cogitatio occæcat & corpus infirmum reddit, Celso, unde magna pars urbanorum, & studiosorum imbecillo est ventriculo. *Ii quippe*, ait, *valetudinarii vivunt qui corporum suorum robora inquieta cogitatione, & assidua vigilia minuere consueverunt.* Sequitur enim illud quod eleganti verbo vocatur ab Hippocrate cerebri ἀνάλωσις, id est consumtio, quæ iis maxime contingere potest qui pertinacius res & cogitant & tractant.

Ut consulatur utrique plethoræ, & particulari & universali, licet sæpius sanguis detractus, tamen circa ver & autumnum potest detrahi, nisi forte a detractione deterius habeat, ut quum purior & biliosior sanguis erit ; sanguis enim bilem frenare ab Avicenna creditur.

7. *Sanguis frenum bilis. Avic.*

(*l*) Dispositio cephalalgica.

Poteſt & obſtinato magis malo arteriotomia decerni, & quum redit dolor, eſt velut acceſſio febrilis maxime exſiſtente febre particulari & veluti capitali.

Alvus ſit mollior: quibus enim eſt ejuſmodi, ii nec pleuritide, nec magnis aliis morbis capiuntur, ait Hippocrates. Concinnanda opiata laxans vel caſſia deglutiatur, ſuperbibito folliculorum decocto. A validioribus eſt temperandum, quia corpus impendio magis incaleſceret & agitaretur: at humorum tranquillitas & quies eorumdem perturbationi & ſeditioni eſt præferenda.

Si hæmorrhagia, aut ſeta porcina aut myrefolio, aut alia arte irritari poſſet, id porro optabile foret. Hirudines quoque pone aures applicabuntur & frequentes cucurbitulæ.

Ad ſenſus acutiem veteres non reformidant ſopientia & foris admota & aſſumta: Et foris conſerva nenupharis & violarum cum ſemine lactucæ, lintea in lacte repente macerata, & fronti ſubinde admota, immo cataplaſma vulgare, & ex mica panis.

8. *De prudenti uſu Narcoticorum Galen. multa. Comm. ad part. 5. ſect. 6. lib. 6. Epid. Et Ballon. lib. 1. conſil. conſ. 65.*

Dolor capitis incipiens emplaſtro adſtringente mitigabitur. Id docet frontale puerorum capiti applicatum, quod ſtrictius additum dolorem repellendo compeſcit. Eſt enim frons pars maxime excipiens, occiput mittens. Uſurpato ad tempus emplaſtro adſtringente, digerente utendum ex floribus viridibus chamæmeli, hederæ terreſtris; veſica ſuilla lacte, vel aqua ſemiplena, vel pullus per medium ſectus admovebitur. Nares illinendæ oleo de ſemine cucurbitæ, immo aliquid narcoticum in aurem immittendum dolore ſæviente: intus ſyrupus nenupharis, hordeata cum ſeminibus ſtupefacientibus: Quæ temperant & pinguefaciunt ſanguinem & craſſiorem reddunt, juvant: Decoctum pedum & crurum vituli, piſces, lactucæ; denique omni arte humectandum, quia humiditas ſenſum ipſorum ſpirituum obtundit.

Galen. ad finem cap. 9. lib. 6. de ſanitate tuenda.

Inedia inutilis, immo malefica eſt, ventriculus enim repletur per jejunia ichoribus, qui ſuffuſiones & dolores capitis magnos excitare ſolent. Juvabit interdum frigidam ſæpe ore continere, immo omnia quæ aſſumta ſunt in paſtu frigida aqua includere, ait Celſus.

Vinum jejunos bibere novitio invento inutiliſſimũ. Plin. cap. 1. lib. 25.

Vitare piperata, condita, odorata, zythum; id autem maxime ad ſanitatem facit non bibere vinum niſi hauſto juſculo, aut cibis ſatis abunde præſumtis.

Haurire ſerum lactis æſtate.

Frequens uſus conſervarum nenupharis, cichorii, violarum, roſarum, addito papavere albo.

Vinum aqua hordei frangendum dum domi vivet.

Errhina vitentur niſi velit mane aquam tepentem nare attrahere.

Frictio capitis eſt ubi juvat, eſt ubi obeſt. Student omnes caput ſiccare in biliosis, & iis quibus caput bilioſius & æſtuantius eſt, nocet: non ex parte ipſius cerebri, ſed ex parte membranarum ejus & pericranii; frequenti enim frictione caput & ſiccius & minus perſpirans redditur.

Vitet odorata.

De

De lotione capitis, de balneo, de pedum lotione judicium porro adhibendum.

Lotio capitis ab antiquis usurpata, a nostris intermissa, immo omissa, quia facile peccatur in lotionis usu, si modo prudenter administretur, plurimum auxilii est allatura. Lixivium sit potius ex his quæ laxant & temperant.

Frequens balneorum usus aquæ egelidæ odore & fumo carentis (quamquam ita Galenus canonem prudentiæ adhibet) capitis solius caliditatem quovis alio modo habentis balneum juvat: quum vero spiritus flatulentus ob humorum pravitatem ad caput fertur, hos lavare non convenit, ac si dicat, si localis est affectus in cerebro, juvat lotio: si a toto corpore, disconvenit. Pipionum applicatio in partes divisorum urgente dolore confert. Vide an hæc Galeni de balneo opinio vera sit. Sed quia æger quodammodo podagrizat, ut ita loquar, & imbecillitatem habet pedum, cautius agendum: de istis malis ita videbitur.

Gal. locus notandus 4. acut. Hipp. 3. acut. inter balnei dotes ait gravitatem capitis balnei usu tolli & juvari ad par. 58. lib. 3. acuto.

Ligatio tibiarum adstrictior omnino vitetur.

Spongiæ imbutæ decocto paratò ex vino, addita rosa, sumach, nuce cupressi applicentur pedibus. Item sacculi sicci: Emplastrum palmeum: tritico calefacto pedes imponantur.

An vomitus conferat experiundum, nam caput replet.

Veneris sit usus moderatior & quem languor non excipiat; nam Venus maxime capiti & generi nervoso officit, corpus infirmius reddit, & ad resistendum morbis impotentius: ideo Hippocrates a coitu hominem imbecillimum reddi credidit quod ab homine exeat fortissimum: semen autem est; deinde in coitu homo quasi ex homine exsilit, ait Plinius.

Pilularum communium frequens usus esto.

Syrupus paratus ex succis oxalidis, pomorum, limonum, malorum aureorum, buglossi, borraginis.

Ultimus hic sit conservandæ tuendæque sanitatis canon quem Celsus eleganter descripsit.

Quum omnibus inutilis sit post cibum aut contentio, aut cogitatio animi, tum his præcipue, qui vel capitis, vel arteriæ dolores habere consueverunt, vel quoslibet alios oris affectus. Vitari etiam gravedines destillationesque possunt, si quam minime eum (qui his est opportunus,) aërem vel loca, aquasque mutet; si caput in sole protegit, ne incendatur neve subitum ex repentino nubilo frigus id moveat, si post concoctionem jejunus caput radit, si post cibum neque legit neque scribit.

ANNOTATIONES.

1. *Maxima pars Anglorum rufo est capillo, vel quod artificio mangonioque id fiat, quod in naturam tandem mutatum est; fluxionibus calidis & biliosis in articulos obnoxia est, hæc autem calidioris temperamenti sunt argumenta: quod ad actiones attinet sunt promti, agiles, acuti, superbi, elatique animo, & tamen regio illorum est valde frigida; credo id esse a dieta, nam multa carne utuntur, zytho fortiori, generosis vinis & piperatis, aut cinna-*

cinnamomo conditis ; hæc omnia bilem generant, immo affectiones cholericas; unde apud Hippocratem de Biante pugile vorace, experiebatur affectiones cholericas bile ſurſum ac deorſum exeunte ex carnis eſu, (*ait Hippocrates*) maxime utebatur porcinis, crudis, vinis odoratis, dulciariis, polenta, *ita vivunt Angli. Unum autem notandum de Britannis, id eſt Anglis apud Cæſarem* in Comm. : *Ii ſucco erythrodani faciem & pilum infucabant, ut in bello eſſent horribiliores : hinc forte ruforum capillorum hereditas ex inſtituto ad naturam converſa eſt, ut de macrocephalis notat Hippocrates : & Ariſtoteles* probl. 2. lib. 38. *quærit cur piſcatores qui mare incolunt, & ſeptemtrionales plagas, rutilo ſint capillo. De iis autem idem dici poteſt quod de Scythis dixit Hippocrates, quorum aër eſt frigidius valde, Scythæ fulvi ſunt ob frigus ingens, non vehemens ſol ad eos accedit, a frigore vero albedo exuritur & fit fulva.*

Cap. 10. de aër. locis & aquis.

2. *Inter eos qui ita delirant ut feſtucas colligant & muſcas arceant abigantque, quidam aliter atque aliter affecti ſunt : Nam quatenus falſo ſibi perſuadent feſtucas & muſcas adeſſe, quæ non adſunt, eatenus imaginatio læſa eſt; quatenus vero conantur aut colligere aut nocivas muſcas abigere, ut quæ nocere poſſint, eatenus ratiocinationis vis nonnulla relucet, bene enim in eo ratiocinantur quod omne nocivum expelli debet.*

3. *Unde in omni febre eſt videndum ac providendum ne vis febrilis cerebrum occupet, quum enim pars ſit magni momenti, ubi ſemel affecta eſt non niſi ægrotantium diſpendio eſt affecta.*

4. *Bonum eſt in quovis morbo ratiocinari, non quod proinde æger convaleſcat : ſed ait Galenus* in comm. illius aphoriſmi *& bonum & malum intelligi debet quantum in ipſo eſt hoc aliquid. Nam quod ad vitam aut mortem attinet, oportet omnium ſignorum vires perpendere.*

5. *Locus eſt admirabilis* lib. de carnibus *Hippocratis, ubi agit de cerebro, aitque pinguedinis parum habere, multum glutinoſi, & ideo non facile exuri poſſe ; id ad morbos cerebri plurimum valet.*

6. *Contra locum iſtum de ſacro morbo alius eſt contrarius plane* lib. 1. de diæta, *ubi ait corpus maxime ſanum eſſe & mutationibus non obnoxium, aëris & temporum, ſi habet ſuum temperamentum ex rariſſima parte ignis & ex tenuiſſima parte aquæ. Eos ſaniſſimos ad quadraginta annos vivere ajunt, & iis morbis tolli qui circa talem annum quadrageſimum prehenderint, quomodo ex tenuiſſima parte aquæ & tenuiſſima ignis quum ſit facilius effluxus, ita ſanum corpus licet æſtimare.*

7. *Verum quidem illud Galeni* cap. trigeſimoſept. lib. ad Traſyb. *quod cogitatio & vigilia magis quam ſomnus intellectum perſpicacem reddat, unde illud: Craſſus venter mentis acutiem non facit; ſed omnia ſunto mediocria, nam notandum illud Hippocratis* ad finem 2. de diæta acut. pertinax vigilia cibos crudos & ἀπέπτους (*m*) reddit, *crudos qui coquantur quidem cum tempore,* ἀπέπτους *vero qui vix naturæ gratiam recipiant, & inter cetera animadverti debet quod ſedula oculorum in rem aliquam attentio necnon ipſius*

(*m*) Incoctiles.

ipsius animi vertiginosos homines reddit, ut ex Theophrasto fere sub finem libelli de vertigine *apparet.*

Vide com. Ballonii in lib. Theophrasti de vertigine.

Sed si cui est animus inquies, & qui opere pascebatur & delectabatur, is non statim ab opere summoveri debet, sed amica consolatione levandus est & aliquid sufficiendum quod in otio negotium solitum nullo agri dispendio supplent; animum enim sedulum & actuosum cessare mors est.

De labore mentis Aristoteles in posit. *duo sunt genera laborum, unum violentum, alterum naturale, visus labor, auditus, vocis, curarum. De visu ita anima in id quod videtur intenta movetur & calefacit, calefacta humido evacuato siccatur; per auditum allabente sono anima concutitur ac laborat, laborans calefit & siccatur.*

Sequitur post de cura locus perbellus 2. de diæta, *unde illud Plinii*, cogitatio assidua occæcat, abducto intus visu: *hic locus erit pro vertiginibus.*

8. *Ad hunc scopum locus est Galeni observandus* cap. 9. lib. 6. sanitatis tuendæ; sunt, *ait*, capita quædam quæ ob arteriarum temperamentum, in vertigines & capitis dolores incidunt. *Nota, illud arteriarum temperamentum*, his, *ait*, arterias aperire convenit: *illo loco agit de inæquali intemperie; inæqualis enim intemperiei magna vis est ad morbos generandos & curandos: bifariam autem interpretari possit quis intemperiem inæqualem, vel quod sit calidi & frigidi quædam inæqualitas, ut quædam partes sint justo calidiores, aliæ frigidiores, nam fateor cerebri parenchyma esse frigidum, arterias plenas sanguine arterioso & ferventiore, unde quum temperamentum cerebri cum arteriarum & sanguinis in iis & venis contenti temperamento bene congruit, tunc omnia rite in cerebro administrantur, si aliter, nequaquam; ut quum ventriculus frigidiusculus est & hepar calidius, omnia male geruntur; tunc enim quum partes principes & officiales contrario modo, & temperie se se habent, œconomia male administratur; vel inæqualem intemperiem interpretantur, quum inducitur intemperies, sed nondum introducta est, & quasi hectica: priorem interpretationem de inæquali intemperie fovet Galenus* loco citato lib. de sanitate tuenda. *Alio loco Galenus ob spiritus humidi crassique in cerebro agitationem fieri & apoplexiam sæpe procedere. Sic hypochondriaci fiunt vertiginosi, & vapore flatuque ab intestinis surgente, & peculiari in cerebro generatione talis spiritus maligni, & ad id maxime facit inæqualis intemperies cerebri, flatuum maxime & malorum symptomatum auctor; hanc* in Epid. *belle Galenus expressit quum ait, Calidis vaporibus sursum elatis repleri & inæqualiter affici cerebrum.* Inæqualiter autem, *ait*, afficitur cerebrum quum quædam partes secundum naturam sunt, aliæ non refrigeratæ ipsis secundum naturam habentibus proximæ sunt, hinc molesta fit distributio frigiditatis, a male habentibus, ad recte valentes. *Sed inter cetera omnia quæ Galenus scripsit ad essentiam vertiginis pertinentia locus ille pertinet, in pulmone iste spiritus cum materia dyspnœam facit, in ventre melancholiam hypochondriacam, flatuosam, in corde palpitationem, in cerebro Echo, tinnitus, vertigines: Et quia cerebrum pars est magni momenti ideo ab eadem causa eximium illud symptoma exsistit. Nam in cerebro flatus circumaguntur & arterias venasque perturbant, in ventre tormina movent, motum peristalticum impediunt, ventrem adstringunt, choleram siccam excitant,*

Inæqualis intemperies 2. modis fit.

Comm. ad aph. 17. lib. 3.

Ad p. 5. sec. 6. lib. 6. Epid.

in cerebro motum impediunt & spiritus animales perturbant motusque suos ratos, & statos retinere impediunt.

9. *Illud Hippocratis est* 2. Epid. *Excandescentia valet ad bonos succos generandos & bonum habitum comparandum, ut Galenus* comm. in part. 11. sect. 3. lib. 6. Epid. *notat, quod illud dicitur de obesis, pituitosis, segnibus & ignavis, non de biliosis, quibus quies & tranquillitas potius confert, aliis vero stupidis cogitatio valet, unde illud* τὸ τῆς ψυχῆς περίπατος φρόντις ἀνθρώποις (*n*). *Et quia elegans locus ille Hippocratis* 3. Epid. sect. 4. *audienda sunt verba Hippocratis plane aurea:* δεῖ ἐμπαιῶν ὀξυθυμίην χρώματος ἀναλήψιος ἕνεκα καὶ ἐγχυμίσιος (*o*) lib. 6. Epidemiorum sect. 5. *dum Galenus citat Hippocratem aliis verbis utitur:* ὀξυθυμίη χρήσιμος εἰς ἐυχυμίαν καὶ τῆς κατὰ φύσιν ἕξιος ἀνάκτησιν (*p*). *Id quod Hippocrates* lib. de ossium natura *docet dicens*, colorum mutationes fiunt corde laxante, unde florentes & pellucidi, aut constringente, unde subvirides aut pravi alius coloris; *ceterum aliud est* ἐγχύμωσις (*q*) *aliud* ἐκχύμωσις (*r*) *Gorræus* in voce ἔγχυμα καὶ ἐγχύεμμα (*s*).

Et Plin cap. 1. lib. 23. Et Aph. 28. lib. 6.

10. *Quomodo vinum lædat afferens convulsiones, deliria, ubi inanito corpore sumitur, aut non præsumto cibo Galenus explicat* com. ad aph. 21. lib. 2. & ad aph. 36. lib. 7. *qui loci sunt commemorabiles; tamen idem Galenus* comment. ad aphor. 5. sectio 6. lib. 6. Epid. *in doloribus capitis & hemicraniis præbet; quomodo merum autem vinum juverit somno conciliato Galenus eo loco explicat; id quod est notandum; quoniam id communi omnium opinioni repugnat; & si ad affectus nervorum & cerebri remedia calefacientia & siccantia conferunt, cur vinum calefaciens & siccans non valet? An quia fundit vinum magis? an quia ut alimentum subit magis, & si quid nocere potest magis nocet? fundit enim & non discutit; quod autem vinum jejuno non bibendum sit Plinius* lib. 28. cap. 1. *jam citato de medicis qui commendabant se novitate placitorum & cibis præsumi præbibique voluerunt.*

11. *Nota cur dicat arteriæ dolores; at id est consentaneum Galeno qui* capite 9. lib. 6. de sanitate tuenda, *ait quosdam ob peculiare arteriarum temperamentum obnoxios esse vertiginibus, & doloribus capitis, quibus arteriotomia competere solet, quod notandum; nam illo loco agit de inæquali intemperie, de qua abunde agit* & comm. ad part. 5. sect. 6. lib. 6. Epid. 1.

(*n*) Animæ cogitatio deambulatio hominibus.

(*o*) Oportet excitare iracundiam, gratia revocationis coloris, & ad succos intra revocandos.

(*p*) Iracundia utilis est ad succorum bonitatem & reacquisitionem habitus secundum naturam.

(*q*) Infusio succorum.

(*r*) Effusio succorum.

(*s*) Infusa & effusa.

CONSI-

CONSILIUM II.

Pro ſeptenni puero moleſta raucedine laborante.

IN morbis nec præcipitanter timidos, nec temere ſecuros eſſe oportet; hinc enim & illinc nonniſi, aut præ timore morborum derelictio, aut præ confidentiæ ſecuritate temeraria remediorum uſurpatio, & prognoſis parum tuta: Ideo rem attollere malum, pejus vero extenuare, ſi quid eſt quod ſit alicujus momenti. Rem attollere, vel quo plus profeciſſe videaris, vel quo ignaris & idiotis excellentior Medicus exiſtimeris non vacat vel ſuſpicione inanis glorioſæ, vel fortaſſis ignorantiæ aut avaritiæ.

Nunc de raucedine; eſt ubi raucedo floccipendi debet, & non attolli; eſt ubi magni fieri debet; unde Galeno *quæ diſtillationes hominibus primo tuſſim concitant, deinde raucedinem, neque conſiſtunt, alteram tabis differentiam afferunt*: ſed alio loco facit plurimi ipſum vocis vitium: *quum multas ob cauſas tabes conſequatur tum maxime ob diſtillationem fit, eam præcipue quam vitium vocis conſequi ſolet.* Adeo magni momenti eſt vocem vitiari.

Gal. in 1. Epid. circa initium. Eſt autem comm. ad part. 17. ſect. 1. lib. 1. Epid. ad part. 32. ſect. 3. lib. 3. Epid.

Raucedo ſymptoma eſt laborantium faucium, vel ob pulmonis aſperæque arteriæ humidiorem intemperiem, vel ob humorem ſuperfluum a capite ſtillantem in fauces, & vocis inſtrumenta plus æquo humectantem, vel non ſolum ob humorem a capite labentem, ſed ab aliis partibus vel inferioribus ad pulmonem miſſis vel attractis.

Ita enim Galenus tabem advenire, ait, aut ob diſtillationes a capite aut ob vitium ipſius pulmonis, aut affecto pulmone, non ob diſtillationem a capite, ſed ob affluxum ab aliis partibus: unde videre licet quam male vulgus credat ſemper caput accuſandum eſſe ut auctorem diſtillationum & affluxus ad pulmonem; attamen Galenus hic contra putat ſæpe affluere humores ad corpus pulmonis aliunde quam a capite. Ergo humectatio inſtrumentorum voci devotorum raucedinem parit: ſicca enim magis corpora magis ſonora ſunt, quamquam moderata temperies facit ut clara & ſonora ſit vox. 2.

ad part. 17. ſect. 1. lib. 1. Epid.

Si id verum, corpora ergo calida & ſicca ſonoram magis rem aut ſonum ederent; de ſiccis verum non de calidis, nam vehementi calefactione exaſperatur magis arteria.

Ideo formidabilis eſt raucedo, præſertim perſeverans, & maxime quæ ab infantibus accidit & incipit: jam enim non amplius ſymptoma eſt, ſed morbus. 3.

Hæc autem raucedo fit vel peculiari vitio epiglottidis quæ eſt primum vocis inſtrumentum, ex Avicenna; vel ipſius arteriæ, idque ab externa vel interna cauſa: vel ipſius pulmonis vitio; item quibus gargareon ſeu ligula exeſa eſt, iis vox vitiatur & tabidi fiunt, ait Aphrodiſæus.

Maxime autem vitiat vocem vehementior pulmonis calor, aut humi-

4. *Omnino tamen siccitas laudabilior est in instrumentis vocis, modò ne excedat: Vide paulo post.*

ditas aut refrigeratio; quum a calore est, major & gravior est vox; quum frigiditas acutior, siccitas exasperat, & vocem gruum voci similimam movet. Nimia humiditas veram raucedinem facit, quamquam in quibusdam raucescit vox ingratiorque est non ob simplicem illam humiditatem, nam aliquando humor elueretur, sed ob vitium vel nativum ipsius arteriæ & bronchiorum, vel ob vitium adscititium: ceterum tremula fit vox quum nimium humectatur vox, rauca quum pauca est humiditas; aliquando dilatatio major raucitatem facit, & tunc quædam est lassitudo & loquendi difficultas. At quidam ex veteribus notavit, a calore

5. multo ipsius pulmonis & arteriæ vocem vitiari, id quod sanguineis & junioribus a sanguinis repletione contingit; cogitur enim animans ob attractionem frequentiorem aëris fuliginosi excrementi expulsionem quodammodo irraucescere.

In hoc puero tribus nitendum est conjecturis, vel enim raucescit quia thoracem & præcordia calidiora habet; vel quum sit natus utroque parente calidioribus partibus donato, non mirum si pulmo calidior plurimum frigidi attrahit, & aërem foris, unde raucedinis major occasio: immo æque facile æstate irraucescit, ac hieme, præsertim vesperi & in loco frigidiore; & idem pulmo attrahit undique sanguinem & spiritum, unde plethoricis symptomatis facile gravatur, id quod necessitatem spirandi auget. Immo & puer hic nocte hiante ore dormit, & interdum illi fere perpetuo os apertum est, quare? quia credo illi incumbit necessitas frequentioris inspirationis & exspirationis, unde raucedinis occasio. Id quod sæpe febrientibus accidit ob frequentiorem aëris frigidi attractionem cujus causa est febris, maxime vero si focus in pulmone consistit, & hæc prima conjectura nostra est. Secunda est, quod sit μεγαλόφωνος (t) præter ætatem. Tertia, quod natus sit ille μητρόθεν (u) stirpe tabida.

Aristot. prob. 22. lib. 1. calori nimio febrientes raucescere autumat.

In pueris caloris & inæqualitatis arteriæ signum μεγαλοφωνία.

De eo quod diximus præter rationem ætatis eum μεγαλόφωνον esse, id contemni non debet: nam μεγαλοφωνία καὶ βαρυφωνία (x) caloris indicium est, calor autem cor auget, auget & pulmonem; accedit & ipsius arteriæ inæqualitas, nam id ipsi puero accidit quia est προθυμότερος (y), ut verbo Hippocratico utar, quod & jam grandioribus quum incipiunt hircire, Græce τραγίζειν, id est hircorum more vocem reddere asperiorem: vocem enim graviorem habet quam ætatulam deceat: & in ista præmaturæ vocis gravitate dilatatio inæqualis ipsius arteriæ contingit, id quod ad inducendum raucedinem quamdam facit. Si itaque a calore gravior est vox, & arteria, ut tenerior, vim quamdam patitur & inæqualior fit, unde raucitatis occasio, ista autem raucitas minus formidabilis est. Est enim potius ut signum bonum, quandoquidem virilitatis & vis cujusdam masculæ est argumentum; puer enim iste, quia πρόθυμος (z) est, ideoque abundat

(t) Magna & stentorea voce præditus.

(u) A parte materna.

(x) Magna vox & gravis vox.

(y) Promptior.

(z) Promptus.

dat calore & pluri alimento fovendus eſt: corpulentia, virilitate, vividitate, ut ſic dicam, & quadam ἀγχινοίᾳ (a) ætatem ſuperavit.

De dilatat. vocis legatur id quod Gal. ſcripſit lib. de voce. Unde hujus demonſtratio peti poteſt.

Ceterum ipſa dilatatio ante ætatem nocere poteſt; ex ſententia enim veterum dilatatio iſta raucitatis vocis cauſis adnumeratur.

Ex dilatatione enim iſta quædam laſſitudo accedit, & difficultas in loquendo. Id quod ab hoc puero alienum non eſt; nam dum loquitur niſu quodam & contentione quadam utitur: & vaſa jugularia, præſertim venæ, dilatantur & intumeſcunt; id quod duarum cauſarum alteram agnoſcit, vel iſtam arteriæ dilatationem vel pulmonis repletionem, & revera ipſe puer narrat ſibi inter loquendum & reſpirandum aliquid acidum in arteriam deerrare; acidum autem maxime voci officit, & ſi quid incidit in fauces acridiuſculum, non mirum ſi irrauceſcat: nunc ad cetera pergamus.

Ut bonorum hereditates, ita & morborum ſucceſſiones ad poſteros perveniunt.

Tertia conjectura erat, quod ille μητρόθεν ſtirpe pulmonica ſatus eſſet; nam a ſtirpe generis morbi in poſteros derivantur, & ut bonorum hereditates ita morborum ſucceſſiones ad poſteritatem perveniunt: avus enim anno ætatis vigeſimo octavo tabidus ex pulmone interiit; matrem pueri ſuſtulit pulmo & thorax purulentus: copia autem puris erat inſignis, & omni ſuperior fide. Antequam ita purulenta diem ſuum obiiſſet per annum unum & dimidium ante querebatur de ſiccitate linguæ, ſiti & calore incredibili thoracis; omnia ſicca erant: nil expectorabat, ne tuſſiebat quidem: quum poſtea per dies viginti continuos de dolore ſiniſtri lateris queſta fuiſſet, & novies φλεβοτομηθεῖσα (b) cum frequenti ſpiritu & inquietudine incredibili fato conceſſit.

Morbi congeniti ſeu parentales Plin. metuendi.

Quum itaque puer tam parum ſano utroque parente a ſtirpe materna ſatus ſit, præſertim vero pulmonis propria ac gentilitia affectione quæ ceteros fere attingit, non mirum ſi quicquid partibus thoracicis acciderit quamvis τῇ φανταστῇ (c) exiguum negligi non debeat.

Gal. ad part. 24. ſect. 4. lib. 6. Epid.

Ergo concurſum, συνδρομὴν Græci vocant, cauſarum in hoc puero animadvertimus, caloris dominatum in pulmone & corde (eſt enim bilioſiore patre & matre genitus) unde pulmo cogitur ſæpius alas ſuas explicare, ut cordi refrigerium afferatur: teſtatur μεγαλοφωνία καὶ βαρυφωνία (d). Hoc enim teſtimonio eſt, multum caloris adeſſe & quum in corde ſint focus, & lares caloris innati, cor calidius, & majus magnum amplumque thoracem requirit. Animadvertimus etiam irrigationem faucium etiam ab acidiuſcula pituita: humectatio autem arteriæ raucam vocem maxime facit; ſiccitas autem, ſi paullo ſit immoderatior, vocis vitium affert: tamen humectationi ſiccatio præferenda; ut etiam ſonora corpora, claraque fiunt, quæ ſicca, ita præ humiditate flacceſcunt ſonumque edunt obſcurum; ideo natura vocalia organa ſicciora effecit, maxime aſperam arteriam atque epiglottida, quo clarior vox efficeretur; ſed ſiccitas modum excedens vocem quoque vitiabit.

(a) Perſpicacia & ſubtilitate.
(b) Vena ſecta fuiſſet.
(c) Phantaſiæ.
(d) Magna vox, & gravis vox.

His ita positis antequam ad remedia accedamus, quorumdam animadversio est ob oculos ponenda.

Qui calidiore temper. & pulmone ii tabi & destillationibus obnoxii.

Primum quod distillationibus obnoxii sunt & pulmonum morbis, immo & tabi & præsertim quæ a pulmone est, illi qui calidiore sunt temperamento, qui sanguinem calidiorem fervidioremque sive natura sive vitæ instituto habent. Et tamen quia tale hominum genus os pituita salivaque plenum habet, putat se frigidius & caput & cerebrum, & pulmones habere; contra fit, ut experientia deprehenditur. Est enim quidam qualitate acri præditus calor, qui liquat, fundit & διάχυσιν καὶ ἔκτηξιν (*e*) facit, & in hoc multi falsa opinione catarrhi labuntur & decipiuntur. Plura in eam rem doceremus nisi id totum amplius fusiusque edisseruissemus *in nostris commentariis.*

Ballonius de his in 1. & 2. l. Epid. & consil. lib. 1. & in opusc. de Gibbis & asthmate.

Secundum est, Galenus audacter iis sanguinem mitti jubet, quibus pars aliqua male conformata, maxime vero ait, si thorax: a majori valet argumentum; ergo multo magis iis detrahendus, quibus corpus pulmonis calidius est, amplius, plenius; vitium enim thoracis aliquando est ab infirmiore natura, ut alatis contingit. De ea re est etiam tractatio nostra copiosa *in eo tractatu, quem de gibbositate scripsimus.*

Liberaliter sanguis detrah. in Thoracis mala conformatione.

Galen. de sang. miss. adv. Era.

At εὐεξία & τὸ προθυμον (*f*) in hoc puero in laudabilibus duci debent, id enim bonum, & ut signum, & ut causa: ut signum, quoniam declarat legitimas esse naturæ ipsius functiones in hoc corpusculo nutriendo: ut causa, quoniam declarat calori etiam paullo majori pabulum non deesse.

Et hic sese contrariæ indicationes offerunt, si, ut facilior sit respiratio, & pulmo non ita augescat, vel ob pleniorem ventriculum ipsum diaphragma opprimentem non stranguletur urgeaturque, ipsius pueri genius defraudetur, dum de demenso ciboque detrahetur, prohibebitur corpus incremento; pueri enim non facile jejunium ferunt, ii maxime, qui inter eos sunt vegetiores, seu προθυμότεροι (*g*). Et etiam si plenius alatur, plus sanguinis generabitur, & occasio erit major ipsi pulmoni sui implendi, & oppressionis occasio major erit, tum ex multitudine sanguinis, tum ex ventriculi tumore; ventriculus enim ingesto alimento, ut pars membranea, facile dilatatur, & assiduitate capiendi multi alimenti dilatatur magis; unde sive plenus, sive vacuus, ut amplificari solitus, ipsi diaphragmati liberæ respirationis instrumento oneri est; diaphragma pressum thoracem angustum reddit parte interiore, hinc pulmo angustia thoracis corde æstuante majus refrigerium requirit & attrahit sanguinem, quum non sufficiat inspiratio exspirationi, immo & cor dilatatur, id quod in multis observatum est. Cor enim calidius affectum, aut oppressum, multi aëris indigens, vehementer movetur, & inferne aërem nequiens attrahere, sanguinem valide attrahit; sanguis vi attractus, & copiosior quam par sit, immo quodammodo cumulatus, & conculcatus, opprimit & vasa distendit:

Hippocr. 13. Aph. lib. 1.

(*e*) Diffusionem ac colliquationem.
(*f*) Bonus habitus & promptitudo.
(*g*) Promptiores.

distendit: hanc affectionem Veteres medendi magistri barbaro, sed apposito nomine sanguisugum vocaverunt; partes enim hirudinum modo alliciunt & attrahunt. Deinde cor vehementius & celerius movetur majoris refrigerii ergo: & pæne animans suffocari videtur; & veluti καρδιωγμοὶ (*h*) adsunt attracto multo sanguine, & corde perspiratum non habente; quæ causa, ni fallor, impulit quosdam Veteres ut velocem & crebrum cordis motum palpitationi similem καρδιωγμῷ nomine donaverint, idque ex consecutione quadam, quia homines viderent in isto crebro, & veloci motu, & palpitatorio καρδιάσιν (*i*); maximo enim incendio vis vitalis laborat, ait Galenus. Ergo quod ad therapiam spectat; Bona victus servanda lex est, in cibo, potu, aëre, quiete & corporis exercitatione. *Comm. ad aphor. 65. lib. 4.*

Exerceat vocem jejunus; nam qui pleni loquuntur multum rauci fiunt, ait Aristoteles; sed maxime major vitanda repletio; diæta potius refrigerans esse debet quam calefaciens; Veteres in affectibus thoracis nimii fuerunt in calefaciendo: moderata potius in usu sunto.

Melicratum in usu esto aliquando, emollit pulmonem; videatur autem ne quid errati in calidiusculo hoc puero contingat, partes enim usu rerum mellitarum & saccharatarum intumescunt, unde apud Hippocratem οἶνος γλυκὺς μεγαλόσπλαγχνός ἐστι (*k*); melicratum promovet expectoratum, quamquam glutinosius aliquando sputum reddit, non ex se, sed ex eventu, id quod ex Hippocrate & Galeno notandum est. *3. de diet. acut. vinum dulce μεγαλόσπλαγχνον.* *3. de diæt. acut.*

Lenientia & temperantia valent. Tabellæ bechicæ, glycyrrhizæ succus cum melle Narbonensi, aut melicrato, amygdala, ficus, passulæ.

Cassia in linctu frequens, addita conserva violarum, alias in jusculo dissoluta: cassia condita nuper allata.

Intingere glycyrrhizam in ptisana, & lingere.

Sectio venæ, quum sit argumentum calidioris pulmonis & repletionis.

De balneo videatur num conferat, quamquam est ubi balneum conferre potest, est ubi non potest, Galenus & Hippocrates in affectionibus pulmonum balneum laudant. At dicet quis, si inflammatio in pulmone est, oberit: si copia humorum liquando & fundendo suffocationis periculum afferet. Revera Hippocrates vult cocto morbo balneum conferre; peripneumonicis, & pleuriticis (addit enim Galenus pleuriticos) balneum magis confert quam febri ardenti. Deinde vero etiam confert iis quibus nares siccæ, id est, quæ nihil reddunt, cerebro nimium reficcato: confert & iis quibus æstuant præcordia, id quod Galenus expresse docuit. 7. *Fernel. lib. 2. meth. ad fin. Ad part. 58. lib. 3. acut.*

Actiones & motus sint moderati, ut ne agitato corpore nimium pulmones incalescant.

Est & commodum ut aliquis ejus voci præsit ut nimio clamore arteriæ & pulmoni non vis aliqua inferatur. 8.

Lingere mel erit optimum, caules rubri valent, item syrupus de glycyrrhiza,

(*h*) Cordis morsus.
(*i*) Os ventriculi morderi.
(*k*) Vinum dulce viscera tumefacit.

cyrrhiza, cum capillis veneris, hyssopo, melle, saccharo, & sapa, in parva quantitate.

Amygdalatum conferet, lac asinæ, & alia arteriaca moderata: formulæ & hypoglottides exceptæ gummi tragacanthæ.

ANNOTATIONES.

1. *De voce & ejus differentiis multi multa. Cicero has differentias ponit, canorum, fuscum, acutum, grave, flexibile, durum, & hæc in voce. Claudius Nero fuscam vocem habebat, cujus corrigendæ ergo Musicam amavit, Suetonius: Terpno musico canenti Nero post cœnam in multam noctem assidebat, paullatim ipse meditari & exerceri cœpit, nil eorum omisit quæ musici vel conservandæ vocis causa, vel augendæ factitarent, sed & plumbeam chartam supinus pectore sustinebat, clystere vomituque purgabatur, abstinebat pomis & ceteris officientibus: donec blandiente profectu (quamquam exiguæ vocis & fuscæ) prodire in scenam concupivit, subinde inter familiares græcum jactans proverbium: Occultæ musicæ nullum esse respectum. Æneas Sylvius, qui postea Papa fuit, in magno hominum conventu de voce & Musica cum aliis contendere solitus erat, & quum id quidam objicerent, ut aliquid audax nimis & temerarium, respondit, solus homo levissimus est cantor.*

Sed observatione est quoque dignum Elephanticos vitiosam habere vocem. Idem de hypochondriacis dicendum; in quibusdam non caput, non pulmo accusandus, sed lustranda sunt hypochondria & hepar ipsum maxime.

2. *Elephantici vocis vitium habent; quidam etiam a natura; & revera aut occulta est causa istius vitii vocalis, aut si percipitur ægre id fit.*

3. *Ex voce præsertim mala ducimur ad cognitionem eorum quæ intus latent. Hippocrates* lib. de arte. *Ex voce & urinis, ait, nos doceri, per interpretationes peregrinas ἀλλοτρίας ἑρμηνείας.*

4. *Si humiditas nimia raucos facit, siccandum; contra fit. Huc pertinet locus Aristotelis paullo ante citatus, quod vehementiore calefactione maxime exasperatur aspera arteria*, prob. 12. lib. XI. problematum.

5. *Dicunt Agrippam annotasse solos Gallos musicos. Hispani ob siccitatem pulmonis vocem submissiorem habent: vasa enim & thorax non dilatantur; at Germani vocem gravem quasi hoantem & fuscam habent, quia amplus thorax, calor multus, & excrementum fuliginosum multum, quod fuscam & minus canoram vocem facit.*

6. *Hippocrates inter eos quibus purgationem interdicit, raucos memorat, quasi raucedo catharsi non egeat. Ita Galenus* ad part. 115. lib. 4. acut. *raucos non purgari vult Hippocrates; horum enim frigiditatem & humiditatem sanare consuluit, capite, & reliquis membris, quæ affecta sunt, exsiccatis topicorum usu.*

7. *De balneo unum est notandum, quod ante cibum alias dotes habeat quam post cibum. Nam ante cibum extenuat corpus, macrumque reddit: post cibum pinguefacit. Ideo Galenus docens qua ratione quibus præcisum est membrum, dysenteria cruenta non laborent, suadet ut de cibo detrahant, balneo utantur ante cibum, non post cibum*: comm. ad part. 40. sect. 4. de art.

art. *deinde vero balneum iis adversum est qui gravi morbo tenentur & quibus nobilioris visceris imbecillitas inest & quibus præcordiorum durus ac renitens tumor.*

8. *Sequendum illud quod est apud Suetonium in Nerone : tantum abfuit a remittendo laxandoque studio, ut vocis conservandæ gratia, milites, non nisi alio pronuntiante, appellaret. Nil serio jocove egerit, nisi adstante phonasco & monente ut parceret arteriis & sudarium ad os applicaret ; & de Augusto : pronuntiabat dulci & proprio quodam oris sono, dabatque assiduam phonasco operam. Is vocem intorquere, remittere, lenire, exasperare docebat.*

CONSILIUM III.

In quo quæritur cur Empyici nocturnas potius quam diurnas habeant exacerbationes.

UXor præsidis Carmelii annos nata viginti novem, nata patre pulmonico qui tabidus interiit, eo fere anno exstincta est, quo & pater, adeo magna est vis morborum congenitorum. Id quod Hippocrates passim, & Aphrodisæus, qui morbos hereditarios statuit, docens calvitium iis non contingere qui humore abundant, qui capillo sunt promisso & simplici, nisi forte vitio stirpis calvities contingat, ut contra humorum conditionem & vim, vis congenita sese ostentet & proferat. Fuit tempus quum suppressi fuissent menses ob causam manifestam (nam ægre mariti morbum ferebat) cœperunt fluere : belle satis habebat : tandem questa est de linguæ rubore, & siccitate juncta siti insigni : Pulmonum ardor erat & ἐρυσιπελατώδης (*m*) aliquid concepit : peperit. A partu substiterunt lochia : febris : dolores lateris sinistri. Circa vesperum febris recrudescebat, jactabunda, ægre spirans, frequens spiritus : animam actura videbatur. Febris mane (ut in morbis fere omnibus accidit, favente quodammodo aurora) remittebatur : Inæqualitas erat caloris & frigoris. Iste status dies pæne triginta perstitit. Nullo juvabatur remedio, licet decies aperta vena fuerit. Tandem mors. Aperto cadavere omnia sana occurrerunt præter pulmonem. Pars sinistra pulmonis fere magna sui parte tabuerat & tabo infecta erat, sana reliqua substantia. Purulenta materia continebatur illa thoracis parte æquans sua quantitate tantum, quantum duæ pintæ Parisienses complecti & comprehendere possent : tamen fœtor non erat : non erat gravis spiritus : non multum tussiebat, & nihil istius materiæ sputo excernebatur.

Immo ex Hippocr. morbi congeniti & parentales vix curantur. Prob. 1. lib. 1.

Facies ejus fere index erat affectionis pulmonicæ : nam tota pæne facies

 sæpe

(*m*) Erysipelatodes.

Ad finem 2. acutior.

sæpe erat velut subalbida, & iis quos Hippocrates ἑψημένους vocat, latine *excoctos* dices, non dissimilis: Galli vocant, *il a un visage de conin parboullu.* Et hæc facies aliquando turgidula est & familiaris iis qui sunt aut suppurati, aut quibus pituita putri scatent pulmones. Sed & genarum alias erat rubor fugax: & sæpissime ignes sacri in faciem involabant. Ex doctrina autem Hippocratis & maculas, & πόμφους (*n*), & ignes sacros iis oriri quibus pulmonum corpus intemperie laborat, didicimus. Id quod notandum erat.

Hæc capita fuerunt deliberationis antequam in gravissimum morbum incidisset. Laborandum fuit in corrigenda intemperie connata & genitiva: in febre tollenda nocturna (hæc autem febris jam illam affligebat sex aut quinque mensibus antequam inciderit in morbum in quo ipsa periit); in fetu confirmando (gravida enim erat), cum suppar studium esse debeat conservandæ & fetæ & fetus.

Et quum olim igni silvatico (qui herpes dicitur) partes faciei occupante laborarit, nunc velut febre non putri & erysipelatode laborat. Ut enim tumores contra naturam differunt, ita & febres: quarum quædam sunt sanguineæ, ut synochi imputres; aliæ biliosæ, in quibus potius alterationi, quam vacuationi locus esse debet.

Nec mirum si tantopere laboret, tenetur enim dominatu caloris acris, mordacis, fuliginosi: Eos autem qui eo sunt temperamento, pinguescere sanitatis terminus est; Biliosa est, itaque nocentissima inedia; Phlogosis est in pulmone: non tamen ita oportet accuratos in phlogosi pulmonum, ut in hepatis phlogosi: Hepar enim officina est sanguinis. Et quod dedit negotium, fuit cognitio & ratio exacerbationum nocturnarum.

Et quum hæc mulier (ut ante diximus) faciem aliter atque aliter haberet affectam, mox genis colore rubro & calore suffusis, facie reliqua colore albicante qualem quoque descripsimus: omissum est aliud quoque symptoma de quo graviter querebatur. Hoc autem fuit ἀμβλυωπία seu hebetudo visus: ideoque illa sibi sanguinem detrahi ægre ferebat: hac enim ratione fore putavit visum imbecilliorem. Et tamen si cui unquam mulieri salutaris fuit phlebotomia, huic uni fuit. Hæc enim visus hebetudo non ab obstructione, aut paupertate spirituum animalium, aut ab imbecillitate, aut denique a vitio instrumenti fuit, sed a sanguine fervidiore & copiosiore qui in illa inferne ferebatur sursum. Id illi contigerat quod & iis quibus e nare hæmorrhagia futura est: obscurius enim vident donec largo sanguinis fluxu venæ depleantur: atque hujus rei causa solis Medicis, quibus ipsa ratio suffragatur, cognita esse solet. Pulmonica erat a pulmonum fervore; huic menses non satis legitime responderunt. Lacrymari erat facilis, quod ἐξύθυμος (*o*), & imo pectore angens sese animi iram coquebat, & præ pudore foras exerere non audebat, hinc lacrymæ pro omni refugio & solatio. Interea ad caput & pulmones calidiusculos raptus humorum fiebat.

Ac

(*n*) Bullas. (*o*) Iracundus.

Ac quod oculorum ſeu viſus hebetudo ab ea, quam diximus, cauſa dependeat, vel auctoritate ſummi Hippocratis innoteſcet. Ita Hippocrates: *Quibus nec febricitantibus, nec decoloribus caput & vertex dolet, &c. his hæmorrhagia futura eſt. Quibus ſanguis fluit, hi ſani videntur: His autem vel ſplen elevatur, vel caput dolet, vel quippiam ob oculos obverſatur*, (Græce μαρμαρυγώδες τι): ſic viſus obtenebratio iſta hæmorrhagia ſolvitur, ergo nec imbecillitatis, nec obſtructionis index eſt. 2. Prorrh. Ibidem.

Et idem Hippocrates loquens de ſpecie quadam morbi podagrici & iſchiadici in iis quibus magna ſunt viſcera, & olim ſanguis e naribus fluxit, ait, interroga num fluxerit copioſe olim ſanguis e naribus, item num hebetudine viſus (Græce ἀμβλυωγμὸν vocat) laboraverit. Sic hæc hebetudo a ſanguine & ferventiore & uberiore eſt. Vide & de nyctalopia apud eumdem Hippocratem quæ pueros, adoleſcentes & juvenes tenet, & certis temporibus curatur per ſe: huicque non ſunt virgines & mulieres, ſi utriſque menſes proveniant, obnoxiæ. Unde hæc nyctalopia? non aliunde quam a ſanguine & copioſo & fervente. Notandum id, ut ne cunctanter venam aperiamus in viſus obſcuritate, id quod vulgus falſo reformidat, perſuaſus ab imbecillitate eſſe id quidquid mali eſt. 2. Prorrh. *Nyctalopiæ nomine auditur quum ægri nocte vident. Contra alii nomen hoc accipiunt. Part. 60. lib. 2. progn.*

Sed quæſtio oriri poteſt cur, quum tanta copia materiæ purulentæ in thoracis capacitate contineretur; non multum tuſſiebat, & nihil materiæ iſtius πυωειδοῦς excreatione educebatur. Galenus tres omnino cauſas aſſignat, propter quas pus in thorace contentum non excernitur, puris lentorem & craſſitudinem, membranæ pulmonem ambientis denſitatem, facultatis in ægrotante infirmitatem. Addendum unum puto: Pars pulmonis ſiniſtri exeſa & corrupta erat, quare iſtud pus tanta collectum copia non ſollicitabat facultatem ad excretionem ſui: Facultas enim valida erat, membranæ denſitas non impediebat (nulla enim ea in parte erat utpote conſumta) pus non erat adeo ſpiſſum craſſumque. Dicam meas conjecturas. Pulmo non ſentit, habet enim corpus ἀναίσθητον; ſi aliquis ſenſus ineſt, ob membranam ineſt; at hæc tabuerat, ideo non poterat eſſe ſenſus inſtrumentum: ideo vellicatio & punctio non ſentiebatur, niſi in membrana coſtis ſubtenta & ſuccincta, unde dolor percipiebatur acutus, ſed pulmoni non erat reciprocus. Pars enim pulmonis effœta pus in latere ſiniſtro contentum non exſugebat, ideo non expectorabatur, nec tuſſis erat quæ irritamenti & calcaris inſtar eſſe poſſet.

Alia conjectura; craſſior pars iſtius puris, aut putris pituitæ, (de hoc autem paullo poſt ex Hippocrate) obducta erat parietibus & thoracis & pulmonis reliqui; & ſic impediebat quominus materia collecta in capacitate thoracis pungeret & irritaret, ut inde tuſſis moveretur. Quomodo vidimus pleroſque cum tuſſi (quæ eſt calcaris inſtar ad repurgandum corpus pulmonis) quantitatem aut puris, aut pituitæ πυωειδοῦς (p), quantitatem (inquam) omni majorem fide excreviſſe, & poſtea ſani ſatis vixe- 1. de morb.

(p) Puriformis.

runt, & quum tabuissent pæne, bonum corporis habitum & εὐσαρκίαν (q) recuperaverunt.

Dicet quis cur toties dictum est puris, aut pituitæ putris & πυώδους; Quid illud est pus, aut pituita πυωειδής; An idem sunt, an longe distinguuntur? Dico ego pituitam putrem recoctam & præsertim admixto sero putri ac bilioso, ut id quod excernitur virulentum quodammodo sit & subviride, idem facere fere quod & pus.

Sed hoc differunt, quod pus est malum ut signum & ut causa. Ut signum, quoniam abscessum & inflammationem systrophicam processisse declarat, unde consumtio partis pulmonis secuta est. Ut causa, quia nisi exeat febrem lentam fovet, rigores inæquales affert, & corrumpit partem & in qua manet, & contagio vicinam. Ista vero pituita putris & æqualitatem nacta & lævorem, mala est ut causa, quoniam afficit pulmonem ipsum mora nisi exitum habeat. Quomodo videmus quosdam mungere viride & æruginosum & πυώδες (r) fere (unde vulgus non inepte dicit, *il mouche comme de la boue de bosse.*) Et in tussibus quum pituita excernitur & sputum album est semiputre, & ὁμοῖον τοῖς πυώδεσιν (s), sic loquitur Hippocrates *lib.* 7. *Epid. circa medium*: ἀπόχρεμψις ὁμοίη πυώδεσιν (t), quum cocta fuisset, & hæc materia initio bona erat, pituita enim & proprium erat capitis excrementum, sed per moram & putredinem quamdam, & virorem acquisivit, dum cumulata in parte non haberet suam εὐπνοιαν (u); contra erat quædam κατάπνιξις (x), ut loquitur Theophrastus, quæ putredinis & gravis odoris est causa.

Theoph. libro de sudoribus.

Ac præter moram istam & κατάπνιξιν & difflationis carentiam, observari debet quoque esse quosdam quibus ob proprietatem quamdam pituita omnis fere, quæ in eorum corpore gignitur, habet aliquid κακόηθες (y), unde quamcumque in partem incurrit, sævitiam suam manifestat: dentes rodit & e suis alveolis radicibus erosis disturbat: chœradicos tumores movet: denique mille tædia milleque mala concitat: Eadem pituita si in pulmones irruit, exulcerat, afficit, denique in putredinem eosdem pulmones resolvit: excreta e pulmone eadem materia aliquid habet insuave, & aspectu horrendum. Vulgus putat esse pus, saltem pæne eosdem habet effectus, quos & pus ipsum.

Dentes ignibus indomiti cavantur tabe putris pituitæ. Plin.

In ista ægra tanta materia, quæ aperto cadavere inventa est, pus non erat, meo judicio, sed pituita πυωειδής (z), quæ speciem abscessus præseferebat. Si enim pus verum fuisset, unde tanta copia, quum argumenta apostematis non præcessissent. Sed uno fere anno antequam excessisset erat illi ingens sitis, lingua sicca, febris nocturna, calor acer & mordax, inappetentia, facies colore subalbido (vulgo *de couleur comme une pomme cuite*) nisi quod malæ fugaci quodam rubore suffunderentur, in

Sub finem huius commentarii explicabitur ex Hippocr. aliud esse τὸ πύον, aliud τὸ πυῶδες.

(q) Bonam carnositatem.
(r) Puriforme.
(s) Simile suppuratis.
(t) Excreatio materiæ uniformis.
(u) Facilem respirationem.
(x) Difflationis carentia.
(y) Malignum.
(z) Puriformis.

in facie crebro ignes sacri & volatiles: quæ omnia male affectorum pulmonum signa erant. Sic a longo tempore fovebat illud malum & collectionem malignæ pituitæ, quam si, tussi irritante, excrevisset, ab eo periculo fuisset asserta: at tussis non erat: causas autem verisimiles paullo ante recitavimus.

Et ne cui mirum videatur hoc de ista putri pituita commentum, adducendus est Hippocrates tamquam pro nobis fidejussurus. *Fiunt suppurati nonnulli si pituita de capite delapsa ad latus agglutinata fuerit & putruerit. Tunc enim latus ut plurimum inflammatur, & patitur eadem quæ & ex pleuritide suppuratus.* Id quod si alias alicui ægro accommodari potest, huic nostræ ægræ aptandum est: licet enim suppressa fuissent lochia, & dolor lateris secutus fuisset, non tamen credo per ἀναδρομὴν (a) sanguinem id tanti mali peperisse: sed data occasione & ob partum, & ob suppressum sanguinem, malum, quod ante signa aliquot sui ediderat, nunc sævit & sæviendo seipso fit deterius. De his aliorum esto judicium, nec enim mearum opinionum ita sum amans & assertor, ut non, si quis melius aliquid afferat, facile acquiescam. *lib.1.de morb.*

Unum restat explicandum de exacerbatione nocturna in purulentis. Et quamquam de periodis morborum & humorum disputare velle, opus est arduum & difficile, tamen quoniam de exacerbatione nocturna mentio aliqua facta est, sicco pede id præterire est alienum. Audiatur Hippocrates: *his signis purulentos dignoscas: Si febris non dimittit, sed interdiu mitior, noctu vehementior. Si copia sudoris elicitur, ac tussiendi cupiditas est, nec quicquam tamen dignum commentatione expuunt. Si oculi cavi reddunturur, maxillæ vero ruborem trahunt, & ungues manuum curvantur, digiti vero potissimum summi calescunt, atque in pedibus tumores consistunt, neque cibum appetunt, ac pustulæ circa corpus erumpunt.* *Part.60.lib.2. prog.*

Galenus probabilem rationem afferre visus est, interpres vero a-Vega frigidior paullo videtur in ejus rei reddenda ratione. *Accidit omnibus hectica febre laborantibus ut noctu febris augeatur: non quod ratione febris nox augeat febrem, sed per accidens quod quidem tale exsistit: per febres hecticas, partes enim solidæ ignitiores evadunt. Ob id sui similis in se manet eodemque habitu febris caliditatem obtinens, ut calx, debilem contingentibus. Si edunt bibuntque, accidit idem quod & calci aqua perfusæ: quo fit ut contingentes exterius ægrum multo calidiorem sentiant.* Sic ob alimentum id contingit, non ratione τῆς διαθέσεως (b): nam cum alimento calor est febriculosior: Statim adhibito augetur cibo qui vehementissimus percipitur tempore τῆς ἀναδόσεως (c). *Αναδόσεως tempus.*

Hæc quidem verisimilia sunt quæ adducit Galenus, ut reddat rationem cur exhibito alimento calor hecticus augeatur: sed si sero non exhibetur alimentum an increscet noctu? hoc non dicit: Item non explicat, quod pus habeat maxime suos paroxysmos nocturnos. Audiendum autem illud

(a) Recursum.
(b) Dispositionis.
(c) Distributionis.

Hippocratis pronuntiatum *in Epid.* quum de multis locutus fuiſſet qui aut tetano, aut opiſthotono correpti fuiſſent: nam ſanies quædam & ichor horum ſymptomatum terrificorum auctor erat. Tandem Hippocrates pronuntiat κατὰ τὸ ἐπιφώνημά τι (*d*) (quamquam non video unde id dependeat, nec enim periodus de ſuppurationibus & doloribus ad noctem repetentibus, iis quæ prius dicta ſunt, conſentit & adhæreſcit.) Ita Hippocrates: ἤραγε ἐν πᾶσι ἐμπυήμασι, καὶ τοῖσι περὶ ὀφθαλμῶν, μάλιστα ἐς νύκτα οἱ πόνοι: Id eſt, *ac certe in ſuppurationibus & iis quæ ad oculum pertinent, dolores in noctem incidunt*: ergo & febres. Sic Hippocrates docet cur ſuppuratis febris noctu augeatur, quia dolores & labores in ſuppuratione noctu irritantur. Sed tamen nondum ex Hippocrate conſtat cur proprium ſit τῷ ἐμπυήματι (*e*), ut de nocte ſuam habeat ἐπισημασίαν (*f*). Sic Galenus mance explicat cauſam paroxyſmi febrilis, & tantum ad generales hecticas febres recurrit: nec tamen adhuc ratione ipſius affectionis noctu febrem irritati ait, ſed ex eventu, nempe dati alimenti. Quid ſi æger hecticus aut empyicus ſumat cibum tantum circa meridiem? A Vega ait tempore Hippocratis ſolitos homines ſemel cibum capere, & id veſperi: Ita fiebat ut quum hectici forent circa tempus ἀναδόσεως τῆς τροφῆς (*g*) febris augeretur. Sed pace & Galeni & alterius interpretis Hiſpani dicam, hæ rationes ſunt paullo frigidiores. Explicandum erat cur empyici, quatenus tales, magis noctu febricitent: quod commode feciſſent ſi operam dediſſent in explicanda ſententia Hippocratis ex V. Epid. adducta de nocturno paroxyſmo τοῦ ἐμπυήματος (*h*).

Epid. 5. Morbi oculorum habent ſuas exacerbationes ad noctem.

Locus eſt apud Hippocratem de diſtinctione febris nocturnæ & diurnæ, qui aliqua ratione contrarius videtur eſſe huic loco, qui eſt de nocturno paroxyſmo in ſuppuratis, ita Hippocrates, *febris nocturna non admodum letalis, longa tamen eſt: diurna longior. Sunt quibus* ῥέπει πρὸς τὸ φθινῶδες, *ad tabem vergit.* Ideo nocturna non admodum letalis eſt, quod coctionis ſit capax, & quod interdiu excutitur quod nocte coctum fuerat, id quod in laudabili ducendum eſt: dies enim & vigiliæ magis digerunt. Diurna longior dicitur, quia de nocte nil exſudat, nec ex facili ægri ſomnum capiunt ob curationes: nox enim in curationem impenditur. Ideo ex Hippocrate Galenus colligit diurnæ conditionem eſſe deteriorem, quod ad tabem ducat. Nam quum paroxyſmus diurnus eſt, difflandæ materiei tempus in noctem incidit; at nocturnum tempus difflationi non eſt accommodatum, ut diurnum: ideo diurna eſt longior & ad tabem adducit, & ob curationem. Nam nox quieti eſt propria & accommodata: at noctu & cibus datur, & medicamenta capiuntur, ſic tabeſcunt diuturnitate temporis; quia ſi cubent interdiu, ſomni defectu marcent; ſi non cubent, dum nec noctu nec diu dormiunt, veſpertilionis & non hominis vitam agunt, hæc Galenus. Miror ego quum ſuppuratorum febres

Particul. 6. ſect. 3. lib. 1. Epid.

Gal. in com. Difflatio in febrem incidens maxime eſt commendabilis, quod paroxyſmum aut levet aut finiat.

(*d*) Secundum quoddam epiphonema.
(*e*) Empyematí.
(*f*) Annotationem.
(*g*) Diſtributionis alimenti.
(*h*) Empyematis.

bres ſint hecticæ, quum eorum conditio ſit peſſima, cur non diurnos potius habent paroxyſmos, quam nocturnos, ſi quidem deterior eſt nocturna febre ipſa febris diurna. Motus autem puris & purulentæ materiei in noctem potius incidit, ex ſententia Hippocratis. De his aliorum eſto judicium.

De motu quidem humorum inter omnes conſtat, quod ſanguis mane, bilis circa meridiem, ſuccus melancholicus veſperi, & pituita noctu moveatur, unde eſt analogia inter tempora univerſalia & unius diei particularis: utrumque tempus enim una ſolis circuitione finitur: dies quidem circuitione totius cæli, annus vero propria ipſius ſolis. Sic morbi qui alioqui in aliqua anni parte fiunt, ea diei parte quæ illi reſpondet exacerbantur, ut æſtivi in meridie, autumnales veſperi, quod veſperum reſpondet autumno. Quæſtio autem orietur. Numquid vernales morbi mane irritabuntur, ut hiemales noctu? Tamen vere tot morbi pullulant: in aurora pauci admodum. Immo tempus matutinum morbis & ægris amicum videtur: raro in auroram morbi incidunt. Et quum videmus in auroram morbos incidere, de iis male ominamur. Ut in peſtilenti ſtatu, quidam qui ſomno indulſerant noctu, ſi in aurora rigere cœperunt, opinionem fecerunt latentis veneni: adeo aurora favet ægris. Nam licet ægrotent febre aut nocturna, aut continua, tamen circa crepuſculum omnia ad naturalem ſtatum creduntur venire: Itaque nulli morbo fere contingit exacerbari mane in aurora. Reſpondent quidam de matutino tempore id quod de vere ſaluberrimo reſponderi ſolet, vel per ſe ſalubre eſt, nec morbos parit quoad τὴν γένεσιν (*i*) pertinet, ſed quod ad τὴν παροξυσμόν (*k*): Aliud enim eſt τὸ γίνεσθαι & τὸ παροξύνεσθαι (*l*). Autumno autem, ratione ipſius, & quatenus talis eſt, morbi fiunt & magis quam aliis temporibus; omnes autem fiunt deteriores illo in tempore, quia tempus eſt inſalubre. Et veſperi ob horæ malignitatem exacerbantur morbi. Et quidam peculiari reſpectu & ratione, quia ſunt autumnales: Sic & γίγνονται & παροξύνονται (*m*). At in aurora poſſunt ratione præſentium humorum morbi παροξύνεσθαι, ſed vix fiunt ratione ipſius temporis: Immo ſi qua in morbo tranquillitas obſervetur, maxime in aurora id fiet. Unde etiam deterrimi morbi, cujuſmodi ſunt peſtilentes, circa diluculum miteſcunt ſuamque ſævitiam deponunt, immo videntur ægri reſtituti quum alioqui eodem ipſo die peſte jugulentur. Et tranquillitas morbi, ſymptomatum mitificatio, pulſus æqualitas mane apparens ſuſpecta eſſe debet: Id quod multos ſæpe fefellit.

Hæc Hippocr. 2. Epidemiorum docet & tota antiquitas idem cenſuit.

Tempus matutinum benignum eſt, favetque naturæ, & morbos manſuefacit.

Hanc de vere quæſtionem movit & explicavit, non ſatis ample tamen, Fran. Valleſius in com. ad 2. epid. ſect. 1.

Antequam ſcribendi finem faciam, dicam unum de differentia puris & purulenti, Græce τὸ πύον & πυώδες. Diximus enim ante tantam copiam materiei albidæ & putiformis detractam eſſe ex ſiniſtra thoracis parte, quam neſciebamus an ea referri deberet ad pus, an ad aliquid puri ſimile: abſceſſus enim effatu dignus non præceſſerat, ut tanta purulentæ materiei

7. *Celſus etiam de vulneribus loquens ait, vulnera & nimius calor & frigus infeſtant, maxime horum varietas: ideo eſt autumnus perniciosus.*

(*i*) Geneſin.
(*k*) Paroxyſmum.
(*l*) Generari & exacerbari.
(*m*) Generantur & exacerbantur.

teriei copia congereretur. At Hippocrates ſummus doctor eam diſtinctionem aſſignat : πύον τὸ ἐκ σαρκὸς, πυῶδες τὸ ἐξ αἵματος καὶ ἐξ ἄλλης ὑγρασίης : Id eſt, pus ex carne : purulentum & puri ſimile ex ſanguine & alio ex humido : quaſi vero omne pus non ſit ex ſanguine, quum πύον dicatur τὸ αἷμα σεσηπός (*n*). Ex carne autem pus fieri ait quod ſuppuratio non videatur fieri ſine eroſione partium carnoſarum capacitatis in qua pus fit : unde ex carne eroſa pus fit : unde in contuſione eſt procuranda ſuppuratio, quia nulla nova caro generari poſſit antequam contuſa caro in pus vertatur. Et Celſus ait pus exire ex vulnere ſaneſcente, quod corruptæ carnis in pus converſionem ſequatur novæ carnis generatio. Niſi quis ex loco Celſi inferat non propterea ex carne pus fieri, ſed ex ſanguine, ubi enim ſedata eſt inflammatio, tunc ſanguis non corrumpitur, & ita laudabilis agglutinatur, unde σάρκωσις (*o*). Argumento eſt quod ex vulnere ſaneſcente (quod tunc ulcus eſt) etiam ſanguis fluit, ait Celſus : Et eodem auctore nondum ſoluta inflammatione plus puris effluere debet : quare ? Quoniam ſanguis eſt illaudabilis & corruptus. Idemque auctor eſt concretum in vulnere ſanguinem inflammationis cauſam eſſe, vulnus glutinari prohibere, & in pus converti. Contra Hippocratem ſtare Galenus videtur ex ſanguine pus fieri ratus, quod in phlegmone in abſceſſum abeunte ſanguis extra vaſa effuſus in pus vertatur. At Hippocrates ex carne pus verum ait fieri, materiam vero puriformem ex ſanguine & alia quadam humiditate ait fieri. Et vix in phlegmone ſuppuratio fit ſine carnis eroſione, id ſinus indicat poſt puris evacuationem. Et ſanguis extra vaſa fuſus & calefactus, humidam & calidam carnem quam attingit, corrumpit, ex qua carne ſi natura robuſta fuerit, verum pus naſcitur : cui non raro admiſcetur aliquid πυῶδες (*p*) ex humoribus & ſanguine extra vaſa effuſo. Unde apud Hippocratem, *abſceſſus in ſuppurationes multis convertuntur*, & multum carnis oſſiumque decidit.

Etiam morbi deterrimi mane mitejcunt, ideo in maiis ducendum quum morbi circa auroræ invalejcunt. Lib. de alimento.

Cur non referat hypoſtaſes in morbis & excretiones ſemiputres ex pulmone ad τὸ πυῶδες. Hipp. lib. de ulceribus.

Pus ex carne purulentum & puri ſimile ex ſanguine & alia humiditate. Cap. 26. lib. 5. Part. 22. l. 3. Epid ſect. 3. Part 24. ſect. 3. lib. 3. Epid.

Notandum autem eſt etiam ex Hippocrate humores ſæpe κακονθεῖς (*q*) eſſe, ut in pus non vertantur : unde Hippocrates dicebat, *fluxio non erat puri ſimilis, ſed alia putredo* : id eſt, non verum pus fiebat nec ab humoribus, nec liquatis carnibus, nam corrumpebantur, oſſa nervique decidebant. Et Galenus ait *in comm.* ob humiditatem & aëris tranquillitatem humores putrebant, ſed pus non generabant, partes enim ſolidæ computreſcebant διὰ τῶν χυμῶν ὑγρῶν μοχθηρῶν (*r*) : Nota additionem vocum harum quæ videntur πλεονασμὸν (*s*) redolere, χυμῶν ὑγρῶν (*t*). Atque ut Hippocratis opinionem de vero pure & eo quod πυῶδες dicitur, ut unum ex liquata carne veri puris nomine donetur, alterum vero non, concludamus, non alienum fuerit afferre brevem diſtinctionem inter pus verum & ichores, ſeu alias quaſdam humiditates quæ ex ulceribus effluunt : quam diſtinctionem Celſus breviter explicat, *Sanies eſt ſanguine tenuior, varie craſſa,*

Humores maligni in pus non vertuntur.

Cap. 26. lib. 5.

(*n*) Pus dicatur ſanguis corruptus.
(*o*) Carnis accretio.
(*p*) Purulentum.
(*q*) Malignos.
(*r*) Propter humores humidos malignos.
(*s*) Pleonaſmum.
(*t*) Humorum humidorum.

crassa, glutinosa, & colorata. Pus crassissimum albissimumque, glutinosius & sanie & sanguine. Exit autem sanguis ex vulnere recenti, aut jam sanescente. Sanies est inter utrumque tempus: pus ex ulcere jam ad sanitatem spectante. Unde in eodem capite paullo post, *pejus est pus multum, tenue, dilutum; magisque si ab initio tale est.* At (ut ante dictum est) pus non manat ab ulcere initio: notatque Celsus, ex ulcere majore plus puris exire debet, quam ex minore: item plus puris exire debet nondum solutis inflammationibus: at sanescente ulcere inflammationes minuuntur, & tamen sanescente ulcere pus manare debet, ergo sedata inflammatione. Sed hæc ex comparatione sunt audienda.

Ergo Hippocratis distinctio περὶ πύου καὶ πυώδους de pure & purulento statui debet. Nos autem distinctionem a duobus fontibus derivari docuimus. A priore quidem ex sententia Hippocratis qui pus a carne esse putat purulentum, seu ἕκελον πύου, id est πυῶδες (*u*), & puri simile a sanguine & alia humiditate. A posteriore fonte, ex parte humorum: nam quidam sunt qui facile suppurant & a natura reguntur; alii non suppurant, sed aut in corruptum quid, aut ichorem, tabum & saniem convertuntur. Nam quum sanguis laudabilis ad partem affluit tumoremque facit, suppuratum laudabile procuratur. Si humor malignus & κακοήθης gratiam naturæ non admittit: sed ut humor est ἑτερογενὴς (*x*), ita pus quoddam ἑτερογενὲς & ὁμωνύμως (*y*) dictum gignit, unde variolæ, exanthemata, carbones, ecthymata, herpetes a maligno sunt humore: Unde in iis pus verum gigni non potest. Qui enim humores toto genere contra naturam sunt, sunt coctionis incapaces. Corruptio enim in parte fit. Id quod Celsus elegantissime scripsit: *Genera tenenda sunt in quibus noxa corpori est. Ea quinque sunt. Quum quid extrinsecus lædit, ut in vulneribus. Quum quid intra se corruptum est, ut in cancro. Quum quid innatum est, ut in vesica calculus. Quum quid increvit, ut vena quæ intumescens in varicem convertitur. Quum quid deest, ut quum curta pars est.*

Ea distinctio pendet ex Galen. loco supra adducto com. in part. 24. sect. 3. l. 3. Epid. Locus pene aureus Cap. 26. lib. 5.

Ut ad ægram reditus fiat: ista eluvies & copia purulentæ materiei pus non erat, nec erat consumtio (saltem magna & æqualis copiæ humoris) corporis ipsius pulmonis, nam si pus fuisset verum, & præcessisset ulcus pulmonis, oportuisset præcessisse magnum ulcus, magnamque absumtionem corporis ipsius pulmonis: ergo a sanguine erat ἢ ἐξ ἄλλης ὑγρασίης (*z*), ut Hippocrates loquitur. Unde videmus aliquando ex thorace vulnerato, aut non vulnerato (idque post cadaveris sectionem) ingentem copiam alias pituitæ purulentæ, alias saniei cruentæ, in conspectum venire, quæ materia propterea non est pus verum. Aliquando excernuntur quædam σαρκοπυώδεα (*a*), & id fit dum discerpitur & eliquatur caro ipsius pulmonis. 9.

Hipp. 4. Epid. de uxore Meandri Cæci.

Sed tandem finiamus quæstionem de nocturna exacerbatione in purulen-

 tis,

(*u*) Simile puri, id est puriforme.
(*x*) Heterogeneus.
(*y*) Heterogeneum & æquivocè.
(*z*) Et ex alia humiditate.
(*a*) Carno-purulenta.

tis, ſive pus fuerit legitimum, ſive ſanies, ſive πυῶδές τι (*b*). Nos enim in ægra noſtra vidimus, & in Lucio equite (uterque enim conſimili morbo conſumtus eſt, & cum iiſdem ſymptomatis) exacerbationes maxime nocturnas, dyſpnœam, ſpiritum difficilem, metum præſentis ſuffocationis, denique deſperationem: ut in ſingulis acceſſionibus nocturnis de funere & exequiis potius cogitaretur, quam de exequendis medicorum præceptis: & tamen ſingulo quoque mane, ubi materia deferbuerat, & calor remiſſus erat, pæne uterque reſtitutus videbatur. Cauſa autem veriſimilis iſtius perturbationis & exacerbationis nocturnæ eſſe videtur: In omnibus ſuppurationibus (agitur enim de empyicis) dolores ad noctem incidunt: id quod non tantum audiendum dum pus fit, ſed dum pus continetur aliqua parte fovens febrem lentam. Quum autem empyicis, & propterea hectica febre implicitis partes ſolidæ ignitæ ſint, non mirum ſi noctu calor increſcat (non ob alimentum, ut vult Galenus) ratione ipſius διαθέσεως (*c*), quod tamen non vult Galenus, & quia nox humectat (ideo calor hecticus calce non diſſimilis ſe prodit) revocatur calor & ſpiritus intro: ſic calor increſcit non ſolum qualitate, ſed & quantitate. Et ita dum revocatur calor ad centrum, difflatioque prohibetur ob noctis dominatum, calor iſte maleficus eſt, malignus, ſqualidus, non ἀτμώδης (*d*), nec nanciſcitur ἑστίαν, id eſt, focum, locum, domicilium aptum & conveniens, & calor fixus non accipit fluentem iſtum calorem febrilem tamquam amicum, & ἐπικρατοῦντα contemperantem moderantemque, ſic non bene convenit iſti calori fluenti cum fixo: licet uterque in ægrum conſpiret. Sic quum recurrit calor maleficus & nanciſcitur æque malum & perniciosum, dum augetur calor & dolor, non fiunt acceſſiones novæ febriles, ſed αὐξήσεις (*e*) caloris & exacerbationes quædam, non ob novi humoris motum, ſed ob ignitam naturam ſolidarum partium ſeipſa factam πυρετωδεστέραν, id eſt, ignitiorem. Quomodo Galenus docet dictatque ſomnum aliquando obeſſe, ut quum humores, calor & ſpiritus revocantur intro & augentur inflammationes & dolores: ita in empyicis fieri ſolet.

Calor noctu increſcit ob ignitam partium ſolidarum ſubſtantiam.

Calor naturalis verum ſolis heliotropium eſt.

Com. in aph. 1. lib. 1.

Quærat autem quis an pus ſuos motus habeat nocturnos potius quam diurnos: nam & in inflammationibus internis paroxyſmus eſt nocturnus. Et id non eſt proprium nec hecticis, nec empyicis ut nocturnas moleſtias potius experiantur, quam qui aliis morbis implicantur. Unde

Mirati ſumus cur antiquitas, peculiari quodam privilegio & prærogativa, exacerbationem nocturnam puri & purulentis aſſignaverit: nec enim id novum eſt. Nam & venerea lue affecti, præſertim ubi ſolidas partes invaſit & conſpurcavit, nocte dolent magis, & arthritici, & ὀδοντάλγιες, & κεφαλαλγικοὶ & καταῤῥώδεες (*f*), denique multo maxima pars ægrotantium. Præter rationes a nobis adductas ſunt & hæ probabiles: primo quia omnes ferme morbi ſub tempus noctis ingraveſcunt: multis id quidem

(*b*) Quidpiam purulentum.
(*c*) Diſpoſitionis.
(*d*) Vaporoſus.
(*e*) Incrementa.
(*f*) Dentibus & capite dolentes, & rheumatici.

dem de causis: partim quia ob adveniens tempus nocturnum fit admirabilis quidam motus & revocatio intro, motus quidem plane contrarius motui ipsarum vigiliarum: Deinde, coctio fit noctu: coctio quidem non solum humorum naturalium, sed & contrariorum & febrilium. At dum pus fit, febris augetur, & dolor: quæ ratio & analogia de pure in abscessibus, in aliis morbis & febribus audiri potest: maxime autem id apparet in empyicis: dolent enim partes solidæ, & augetur calor febrilis qui interdiu in partes omnes expansus erat. Accedat ad eas rationes, quod inter vigilandum animus occupatur & vigiliarum motus sequitur: & mens ipsa sese noctu recolligens tota in morbi & doloris cogitationem incumbit. Admirabilis enim motus est intro inter dormiendum: Declarant dormientium phantasmata. Mirum enim est quod qui dormit, præsertim si paullum laborat, animo pæne turbatur, somnisque excercetur permolestis. Ubi primum aperit oculos, omnia evolant, omnia fiunt composita & pacata & serena. Si rursum claudit oculos, eædem falsæ imagines sese menti offerunt ac obversantur. Secundo si oculi aperiantur, ista effugiunt & prætervolant. Interdiu sensus ab innumeris objectis pelliciuntur: & ista irritamenta & illecebræ retinent animum. Præterea amici sua præsentia interdiu dolores quodammodo deliniunt & demulcent, dum amica consolatione & alloquiis ægros prosequuntur. Et hæ rationes sunt fortassis cur in morborum futuris crisibus nox quæ præcedit molestior sit, quia somno interrupto, clarior fiat gravitas & molestia, quam interdiu. Atque ex Galeno colligere possis noctem ipsam non esse causam cur potius malum ingravescat tunc quam interdiu, sed quod quum alias, tum magis de nocte appareat. Has rationes nostro marte & ingenio paraveramus, ita enim quisque suo sensu valet & abundat. Et tamen inter legendum occurrit locus Aphrodisæi, in quo quæstio generalius disceptatur, cur dolores magis noctu augeantur. Et Aphrodisæus vir acutus & eruditus, commentus est rationes nostris non dissimiles, ut quis credat nos e penu illius eas desumsisse, & illam palmam (si qua debetur inventori) præripere voluisse: at nos non tantum arrogamus, ut non profiteamur per quem profecimus, quando plagii crimen plane vitandum putamus.

Com. Aph. 13. lib. 2. Aphor.

Locus ille Alex. Aphrodisæi est probl. 116. lib. 1. probl. Eamdem quæstionem de dolorum circa noctem irritatione discussit Langius 42. Epist. lib. 1. Epistol.

Hæc sunt quæ contractis orationis velis a me discussa sunt, amplioribus verbis excutienda: est autem opus oratione quæ commendetur lepore & utilitate: lepore grata futura est legentibus: utilitate quia ægris disputatio erit salutaris.

ANNOTATIONES.

1. *Galenus enim* comm. in particul. 62. lib. 2. prognost. *ait dolorem, tussim & ptyalismum in suppurato accidere quum corpus seu membrana, quæ pus obvolvit, eroditur: & quia tenuior sanies penetrat obvolvens corpus, fit tussis & ptyalismus.*

2. *Pus ipsum ut glutinosum aliquando impedit quominus & venæ & arteriæ hiantes sanguinem effundant. Id quod Galenus explicat* ad aph. 27. lib. 6.

3. *Pus enim bifariam in thorace reperitur, aut ob inflammationem præcedentem: aut* τῷ ῥαγῆναι (g), *quia ruptio facta est, & a parte in aliam pus deductum est*: com. ad par. 60. lib. 2. prog.

4. *Galenus accommodate ad locum præsertim quærit an fieri possit ut quis pus excernat nulla febre præcedente? Auctor enim* lib. 2. de natura humana *loquens de iis qui intermittunt labores pristinos*, Quibus, *ait*, sine febre multum puris exspuunt: & quicumque in lotiis multum habent quod subsideat puris dolore absente: & quicumque dejiciunt non secus atque in dysenteriis cruenta, ii quidem omnes annum agentes 35. & adhuc grandiores sponte morbis occupantur. Verum quibuscumque influit in pectus, ii purulenti evadunt, quippe quum purgatio sit acclivis ac diutius in pectore moram trahat, putret & fit affectus purulentus; quibuscumque autem in vesicam eructatur, id album a loci calore evadit excerniturque. *Galenus* com. in part. 10. lib. 2. de nat. humana.

5. *Quid enim illud est quod in pleuritide, quum inflammatio sit, excernitur pituita quædam putris, & ea solvit pleuritidem? quid illud est? An non sanguis biliosus pleuritidis auctor? Cur non aut pus, aut sanguis excernitur si materia conjuncta est malo? An quia membrana inflammatur, ideo sanguis quodammodo pituitescit, ut fit in inflammationibus partium nervosarum? fit enim excretio aut seri tenuis, aut mucosæ pituitosæque materiæ. Ad hunc locum pertinebit illud Hippocratis* in Coacis: Quidam anginosi quum evaserint fiunt purulenti si non sit expurgatio sursum pituitosa. *An hæc pituita materia est synanches? videtur esse, quia quo excreto malum cessat, id videtur esse causa mali. Quæstio quæ hic proponitur scitu digna est.*

6. *Si revocatio spiritus & sanguinis intro febres & dolores in partibus externis lue laborantibus auget. At contra fit, nam Langius ait, interdiu dolores venereos sedari, quia suo tepore, & calore sanguis & spiritus fovent, & recreant partes quæ nocte desertæ ab iis doluerant.*

7. *Matutinum tempus veri est simillimum: quod ver si corpus omnino sanum excipiat, in eo statu conservat nil de natura innovans. Non sic æstas, autumnus, hiems; licet enim corpus omni carens reprehensione excipiant, tamen quia peculiarem unumquodque horum temporum humorem generat, non ita, ut ver in eo bono statu corpus servant. Hæc Galenus* com. ad apho. 20. lib. 3. *Hanc de matutino tempore ægris favente opinionem, & de sævitia morborum in tempus matutinum orientium judicium, leges apud Fernelium* cap. 8. lib. meth. med. in febribus. *Et forte ea ratione ab adverbio antiquo manum pro mane deductum adjectivum manus, a, um, priore syllaba longa, id est bonus, a, um, quod matutinum tempus sit auspicatius & favorabilius, & hæc conjectura nostra est. Celsus* cap. 5. *lib. 3. apertissime explicat hanc quæstionem de matutino tempore, aitque matutinum tempus sua natura melius esse, sed morbi vitio aliquando non est melius. Textus est illo loco sicco pede non transeundus.*

8. *Unde in hydropicis, & in cacochymis sanguis est sanioſus, medius inter*

(g) Ob disruptionem.

ter sanguinem & pus verum. Immo puris nomen habere potest, quum ex opinione Donati in Terent. *pus dicatur omnis succus & humor corpori onerosus. Et forte illud est Hippocratis quod in corpore ægro capacitates corporis sunt plenæ ichoris: iste ichor est πυώδής τι (h). Unde paullo ante diximus in tussi materiam tandem pituitosam albam crassamque reddi, & dum coquitur, ἀπόχρεμψις ὁμοίη ἐστὶ τοῖς πυώδεσι (i). Hippocrates* 7. Epid. de Charite.

9. *Pus aliquando generaliter sumitur pro humore albicante, ut quum Hippocrates* libro de aliment. *ait venam a pure nutriri: aliquando pro corrupto humore a sanguine erat, καὶ ἐξ ἄλλης ὑγρασίης (k), ut quum Hippocrates* 4. de morbis *vermes in pueris contentos in utero gigni ait, quum ex sanguine & lacte putrente, quod dulce est, pus fit fervidum animalis materia. Sed puris nomen, ut hic generaliter usurpetur patet ex Hippocrate. Et Donatus* in Ter. *pus omnis humor dicitur corpori onerosus, unde expuere omnem molestiam.*

CONSILIUM IV.

De sanguinis missione in melancholicis; & data occasione explicatur illud Hippocratis, cur sanguis faciat ad sapientiam.

EX Galeni & omnium Medicorum sententia, melancholici alii sunt a fæce & limo sanguinis, & maxima eorum pars lienosa est: hos juvat etiam febris, ut quæ coquat digeratque eum succum frigidiusculum qui est limus & superfluitas sanguinis: Et quartana febris tuta esse dicitur, & a magno morbo, id est, a comitiali, vindicare, quod successu temporis, humor crudus mitificetur: ut mirum non sit, si quartana, a tali nata humore fæculento, e genere morborum chronicorum censeatur: Ideoque Macrobius conferens jecur cum splene, ait illud caloris, hunc frigoris sedem esse & domicilium: & ideo sinistras partes debiliores dextris, quod dextras calor suus regat, id est, ab jecore calido manans (de quo dubitari potest quum cor fons caloris vocetur), at sinistræ contagione frigoris eas obtinentis hebetes redduntur: de quo abunde diximus in eo opusculo quod de causis convulsionis conscriptum est. Alii sunt melancholici per assationem humoris biliosi, aut sanguinis ipsius: unde corpora biliosa quæ carent perspiratu fiunt melancholica: in his assatio, suppressioque spectatur. Galenus utrumque breviter est complexus: nam & quæstionem tractavit de mittendo sanguine ipsis melancholicis, & explicavit quinam sint melancholici, sive natura, sive vitæ instituto, sive ex eventu, ut suppressionis ratione, sive propter cibos potusque id contingat.

Melancholici alii a limo, alii ab assatione sanguinis,

Cap. 7. lib. 3. de affect. loc.

(h) Quidpiam purulentum.
(i) Excretio similis est suppuratis.
(k) Et ex alia humiditate.

gat. Hippocrates ab effectis melancholicos collegit *in Epidemiis*. Ac primum videamus quinam ex Galeno melancholici dicantur. *Ex corporis habitu æstimandi sunt melancholici: molles, candidi & obesi nequaquam sunt melancholici; macri, nigri, hirsuti, & quibus latæ venæ, aptissimi sunt ut iis humor melancholicus cumuletur.* Et fit nonnumquam ut homines prærubro colore (ἐξερύθρους Græci vocant) affatim in melancholicam temperiem decidant: secundo loco flavi, idque maxime, si vigiliis, laboribus, & tenui victu usi fuerint: Item Celsus; Tenuioribus plus sanguinis, plenioribus magis caro abundat. Melancholici sæpe sunt macri & tamen amplas & plenas habent venas. Deinde exponit Galenus qui cibi humori tali generando sint idonei: quo loco vere exponit quinam sint ii in quibus humor melancholicus facile generetur & cumuletur: paullo post ex sententia Dioclis docet sanguinem crassiorem generari in melancholicis hypochondriacis, in iis præsertim venis quæ alimentum a ventriculo excipiunt: id autem evenit ratione caloris exsuperantis. Hippocrates aliter (ut ante dictum est) melancholicos observavit. *Morbos fortiter atrabilarios habent balbus, calvus, aut gracili voce præditus, aut hirsutus.* Et paullo post, *Balbi, celere lingua præditi, atræ bilis humori obnoxii sunt* (Græce μελαγχολικοί εἰσι (*l*).) Et ante, *vocis gracilitatem varix solvit.* Ac locus iste Hippocratis de balbis, de calvis, quod sint melancholici admodum obscurus est: nec enim rationem reddit Hippocrates suo impeditus laconismo. Aliqui enim interpretari possint & balbos, & gracili voce præditos melancholicos esse, quoniam frigidiore sunt temperamento, ideoque pituita multa crassa frigidaque abundant. At pituita consistentiæ ratione humori melancholico, qui sanguinis limus est, assimilis esse solet. Quo modo Galenus interpretatur: *melancholicus humor quartani circuitus causa est, & incontinentiæ linguæ & stuporis partium, quia ob humoris crassitudinem tales affectiones consequuntur, quales ex crassa & lenta pituita eveniunt. Sic incontinentia linguæ & stupor* aliquid non est absolute melancholicum, nec absolute pituitosum, sed mixtum aliquid. Nam timor, tristitiaque absque causa manifesta, elephas, cancer, scabies, lepra, & vitiligo nigra melancholici sunt affectus absolute. Sic aliud est dicere balbos, linguaque hæsitantes, ἰσχνοφώνους (*m*), melancholicos, aliud nigros & hirsutos. Nam priores melancholici dicuntur sumta improprie pituita pro humore melancholico: nigri & hirsuti proprie melancholici dicuntur, sumtoque in propria significatione melancholici nomine. Sic conciliandi loci videntur. Dum hic finem impono occurrit alius Galeni locus vere confirmans ea quæ ante diximus. Itaque enim Hippocrates: *in morbis melancholicis ad hæc* (id est ad ver & autumnum) *periculosi decubitus stuporem corporis, vel convulsionem, vel furorem, vel cæcitatem significat. Apoplexiæ, convulsiones & cæcitates* (ait Galenus) *ob humorem pituitosum fiunt; fiunt & ob melancholicum, quoniam utrisque est crassitudo.* Sic hoc loco stupor corporis aut partis melancholici humoris soboles videtur, quod tamen alio

2. Epid.

Sect. 5. lib. 2. Epid.

Comm. ad aph. 40. lib. 7.

Aph. 56. l. 6.

(*l*) Melancholici existunt.

(*m*) Gracili voce existentes.

alio loco negat Galenus. At his omissis quæ subtiliter comminiscitur Galenus, multo subtilius Arculanus explicat qua ratione blæsi, balbique melancholici dicantur: hæc ejus verba sunt, minus elegantia quidem, sed rem vere exprimentia: *Corpora habentia cor calidum, cerebrum autem humidum, sunt dispositioni melancholicæ opportuna, nam caliditas cordis est choleræ nigræ in corde generatrix, cerebri autem humiditas causa est cur facile impressio ejus suscipiatur quod in corde gignitur: ideo balbi & lingua vacillantes ad melancholiam parati sunt, maxime si linguas lenes habuerint, & oculos mobiles, & cetera*: sic pilositas, rubor faciei calorem cordis significant, blæsitas, mollitiesque linguæ cerebri humiditatem. Arculanus autem solutionem quæstionis de melancholicis & balbis eruisse videtur ex Hippocrate: Nam ille 2. *Epid. sub finem*: *Quorum pectora bilem generant balbi, furiosi & calvi sunt*: in quo explicatur ista cordis intemperies calida, auctor inconditorum animi motuum: nomine autem pectoris cor ipsum per synecdochen audiendum est. An vero rationes Arculani ipsæ per se nitantur, an facile evertantur, ipse videris. Nam Hippocrates absolute blæsos, & gracili voce præditos melancholicos affectus pati docet, Arculanus non absolute blæsos, sed quorum cor est præcalidum & fuliginosi excrementi parens, cerebro ipso humidiore exsistente, ut ex balbutie linguæque hæsitantia apparet. Nisi forte conjungamus hos duos, blæsos & hirsutos, quos disjunxit Hippocrates, conjungit vero Arculanus.

Ad Aph. 40. lib. 7.

I. *Quibus cerebrum humidius, cor autem calidius, ii melancholiæ sunt opportuni. Arculanus cap. de melanchol.*

Nota de conjunctione & disjunct. blæsi & hirsuti.

Nisi dicamus non vere balbos esse melancholicos, ut quibus humidius frigidiusque cerebrum exsistat, sed improprie balbos, ut quibus præ calore partim adventitio, partim cerebro innato, multæ pituitæ sit διάχυσις (*n*), fusio colliquatioque, unde ptyalismus & oris totius perpetuus mador, hinc balbuties mollitiesque ipsius linguæ. Hæc nostra est conjectura: quæ licet dignitate & veritate cum prioribus non contendat, habet tamen suum quoddam patrocinium quo aliquatenus tuta esse posset.

Pituita διάχυσις a calore balbutiei causa.

Paullo longius digressi sumus quam opinati fuerimus: sed ea digressio est ad id quod instituimus valde opportuna: sciendum enim fuit quinam sint vere melancholici, ut de sanguine mittendo in melancholicis plenius constet. Nunc itaque ad rem institutam redeamus. Primum vero audiendus est Galenus qui de instituto hanc de phlebotomia quæstionem ex hypothesi examinat. Audito enim Galeno, ejusque rationibus ad trutinam reductis, veritas facilius innotescet: Ita Galenus: *Ubi universum corpus sanguinem melancholicum continet, curatio a phlebotomia incipiet: ubi solum cerebrum infirmius* (quod ad dispositionem attinet) *sanguinis detractione non eget, licet alia de causa sanguis mitti possit. An vero cerebrum solum, an totum corpus sanguine melancholico abundet, discernendum. Corporis enim habitus est considerandus.* De hoc paullo ante dictum. Itaque ubi cerebrum aut intemperatum est, aut sanguine melancholico plenum, non necessario ceterum corpus ita affectum est: at contra. Si totum corpus ita affectum est, vix immune est ab ea affectione cerebrum. Ita enim Galenus: *Constat autem ad totius corporis intemperaturas mentis læsionem consequi, affecto nimirum*

Cap. 7. lib. 1. de loc. aff.

Ad part. 34. sect. 1. lib. 1. Prorrhet.

(*n*) Diffusio.

nimirum cerebro, non secus ac totum corpus affectum est. Quæstio tamen esse possit, an si solum cerebrum sanguinem multum melancholicum contineat, a sanguinis detractione sit abstinendum. Hanc eamdem distinctionem docte observat Galenus de malo cerebri topico, deque malo per consensum nato, quum agitur de vertigine: *Capitis solius caliditatem, quovis alio modo habentis, balneum juvat: Quum vero flatulentus spiritus ob humorum pravitatem ad caput fertur, hos lavare non convenit.* Qui locus diligenter advertendus est, quoniam gravis in eo lapsus esse solet. Nunc ad sanguinis detractionem in melancholicis redeamus: vena media secanda est: & si melancholicus sanguis non videatur, supprimendus est: sin talis appareat, vacuandus pro virium modulo. Ut autem finem commentandi faciam, quoniam nos hic prolixos esse non oportet, concludemus totam hanc commentationem. Conclusio autem fiet in præclara Hippocratis sententia, hæc autem est ejusmodi: *Credo inter ea quæ sunt in corpore, nil magis ad prudentiam conferre quam sanguinem.* Hic enim quum in constanti habitu consistit, consistit & prudentia: sanguine vero permutato, concidit & prudentia. Græca littera est ἐνεργειτικωτέρα (*o*); εἰ μὲν τὸ αἷμα ἐν τῷ καθεστηκότι σχήματι μένῃ μένει καὶ ἡ φρόνησις, ἐξαλλάσσοντος τοῦ αἵματος μεταπίπτει καὶ τὸ φρόνημα. Hoc autem Hippocrates familiari & apud nos nato exemplo docet: Quum corpus invaserit somnus; sanguis frigefit: id dum fit, languidiores fiunt corporis meatus, Græce διέξοδος (*p*). Id patet, nam aggravata corpora reclinantur: & oculi ardent & prudentia permutatur, Græce ἀλλοιοῦται, opinionesque peregrinæ mentem exercent, quæ insomnia vocantur. Ad hanc tandem sententiam pertinet quoque locus Hippocratis *lib. 3. de diæta*, quum loquitur de immodica repletione quam somni turbulenti sequuntur, *qualia patitur corpus, talia videt anima visis jam concluso.* Et in temulentis aucto repente sanguine, μεταπίπτουσι αἱ ψυχαὶ καὶ ἐν ψυχαῖς φρονήματα (*q*): Sic sanguinis ἐξαλλαγὴ τοῦ φρόνησιν ἐξαλλάσσει (*r*). Nam si omnino conturbatur sanguis, omnino ἡ φρόνησις ἀπόλλυται (*s*). Deinde subdit Hippocrates, τὰ γὰρ παθήματα καὶ τὰ ἀναγνωρίσματα ἐστίν. ὅταν διὰ τοῦ εἰωθότος ἔθους μεταστῶμεν, ἀναίρεται ἡμῖν ἡ φρόνησις (*t*). Hic locus est valde obscurus, & vix intelligibilis: Ita interpres, affectus & cognitiones consuetudines quædam sunt, id est, a consuetudine proficiscuntur: quum autem a consuetudine recesserimus, tollitur nobis prudentia, id est, habitus ratione comparatus ad administrandas vel res privatas, vel publicas. Porro (ut dicebat Poeta) *gravissimum est imperium consuetudinis*: per eam enim & animi morbi & artes comparantur: nec non per eamdem conservantur. De artibus id constat facile: Animi vero pathemata nonnisi consuetudine in bonum malumve habitum transeunt. Nam

Com. in 4. acut.

Permutatio sanguinis efficit ut concidat prudentiæ. In sanguine magna pars vitalitatis residet, ait Plin.

Augumentũ sanguinis affert μεταπτωσιν τῆς ψυχῆς.

Publius Syrus.

(*o*) Majorem habet energiam.
(*p*) Exitus.
(*q*) Permutantur animæ & in animabus prudentia.
(*r*) Permutatio prudentiam permutat.
(*s*) Prudentia permutatur.
(*t*) Affectus & cognitiones consuetudines quædam sunt; cùm autem à consuetudine recedimus, tollitur & prudentia.

Nam quæ boni malive ſpecie objiciuntur, ſi aut ratione perſequimur, aut vitamus, in eo appetitio cernitur, eaque cum ratione conjuncta. Quum reluctamur rationi, pluſque poteſt delectatio quam ratio, tum contra mentis præſcriptionem allicitur appetitio eaque ratione vacat. Si tranquilla ratio motu turbido cietur, perturbationes fiunt, quæ quum inveteraverint, morbi exſiſtunt. Si contra rationi obediunt auſcultantque, virtutes morales inde exſurgunt & expullulant. Hic artes, virtutes vitiaque a conſuetudine ducuntur, a qua quum receditur perit prudentia, quæ virtutibus morum perpetuo cohæret opinione Ariſtotelis. Hanc ſententiam quorumdam auſpicatu & ingenio ſic ſumus interpretati; pleraque in eam rem ſtatui ſcribique poſſent, niſi vereremur ne inſtituta hæc brevis explicatio mentis Hippocraticæ in commentarium redundaret. Nunc alios quoſdam locos luſtremus in quibus Hippocrates eamdem pæne celebrat ſententiam, quod ſanguis maxime ad prudentiam faciat. *De animæ ſapientia inſipientiaque ſic ſtatuendum: quod humidiſſimum eſt in igne & ſiccifſimum in aqua ſi in corpore temperamentum acceperit, homines fiunt ſapientiſſimi, quia ignis habet humiditatem ab aqua, aqua autem ſiccitatem ab igne, uterque autem ſufficit.* Et convenienter iis quæ dicta ſunt, Hippocrates de phrenitide loquens ita ſcripſit: *Sanguis qui eſt in homine maximam partem ad prudentiam confert: quidam dicunt totum. Quum vero bilis commota ad venas & ad ſanguinem ingreſſa fuerit, ſanguinem ex conſueta compage ac motione dimovet & ſeroſum facit, homo deſipit & non ſibi conſtat* (quia calefactus ſanguis totum corpus calefacit) *præ febris copia, & ſanguinis ad ſeroſitatem tranſmutatione, & motione non ſolita contingente.* Græca verba ut appoſite dicta inculcanda ſunt: bilis commota διακινεῖ καὶ διουρεῖ τὸ αἷμα ἐκ συστάσιος εἰωθυίας καὶ κινήσεως, καὶ διαθερμαίνει. Homo vero non ſibi conſtat præ copia febris calefacto toto corpore, ὑπὸ τῆς τοῦ αἵματος διουρήσεως καὶ κινήσεως τοῦ τῆς εἰωθυίας (*u*). Et poſtea de melancholicis loquens, nam ab atra bile delirant homines, ὅταν φθορὴ τὸ αἷμα ὑπὸ χολῆς καὶ φλέγματος (*x*): Nam tales, ut vocat, μελαγχολώδεες (*y*) habent παράνοιαν (*z*), alii vero μαίνονται (*a*). Sic ingreſſus bilis aut pituitæ in ſanguinem motum naturalem impediens & ſanguinem ſeroſum, proinde morboſum reddens, prudentiam adimit, & delirandi porrigit occaſionem. Idem facit aër opinione Hippocratis: *Qui aer ad venas pervenit, confert ad ventriculorum ingreſſum & ad cerebrum, ſic enim ſapientiam & motum membris exhibet.* Id dum non fit, ſed pituita in aquæ ductus irrumpit, tum convellendi occaſio eſt, ut paullo ante demonſtraverat. Ut omnia ad ἀνακεφαλαίωσιν (*b*) reducantur, vis eſt in verbis Hippocratis ponenda. Primum hoc ſtatuit Hippocrates: *ſanguinem ad ſapientiam facere, nam qualis ſanguis, talis ſpiritus, qualis ſpiritus, talis animus*: Hic autem medice nos locutos intelligas. Sanguinem autem bene temperatum eſſe oportet,

Hippocr. 1. de diæta.

Ad finem lib. 1. de morb. κίνησις τῆς χολῆς. *Ingreſſus bilis in ſanguinem.*

2. *Iſtud ſanguinis vitium vocat Hipp. in Coacis* αἵματος φθορὴ καὶ ἔκλυσιν. *Hic locus eſt obſcurus, ſed paullo poſt aperietur. Apud Galen. com. ad part. 13. 1. prorrh. ait tamdiu morbum crudum dici, quamdiu bilis cum ſanguine ſurſum fertur. Lib. de ſac. morbo.*

(*u*) Et ex tranſmutatione ſanguinis & conſuetæ compagis.

(*x*) Corrumpitur ſanguis ex bile & pituita.

(*y*) Habentes habitum melancholicum.

(*z*) Dementiam.

(*a*) Furore laborant.

(*b*) Recapitulationem.

oportet, & ſuam conſiſtentiam & motum naturalem habere. Propterea Aſiaticos ceteris prudentiores Hippocrates dicebat ob cæli clementiam & bonitatem temperamenti. Quibus ergo ſanguis eſt optime temperatus, blando, benigno, & halituoſo ſpiritu perfuſus, non alteratus, non mixtione alius humoris alienatus ſuique diſſimilis, denique in qualitate, quantitate, motu, conſiſtentia laudabilis, ii prudentia & benignitate morum ſunt commendabiles. Quorum ſanguis aliter habet, eorum mens facile vacillat & ægrotat. Senſus denique bonitas temperamenti perfectione & ſpirituum puritate cenſetur. Expendamus verba Hippocratis quum morbum ægrotationemque & defectionem ſanguinis depingit, quæ cauſa eſt cur homo imprudens inſipienſque reddatur. Primum conſiderat τὸ χῆμα καθεςηκός: vertunt, *conſtantem habitum*: hic ubi perſiſtit, prudentia in homine relucet. Opponit τῷ χήματι καθεςηκότι τῶν ἐξαλλαγῶν: id eſt digreſſum defectionemque ex iſto habitu. Et tunc prudentiæ fit jactura. Iſtam autem ἐξαλλαγῶν (*c*) conſiderat in qualitate, & in quantitate ſanguinis. In qualitate, ut quum refrigeſcit ſanguis, id quod in ſomno fit, unde inſomnia & peregrinæ opiniones; aut quum incaleſcit, ut dum bilis ſanguinem ſubit, quod contingit in phrenitide, ut poſtea aperiemus. In quantitate, ut in ebrietate, aucto enim ſanguine ἡ φρόνησις καὶ σύνεσις (*d*) vim patitur & alteratur. Deinde addit, ſi conturbatus omnino fuerit ſanguis, ſequitur τῆς φρονήσεως (*e*) ἀπόλεσις caſus, ruina, deperditio. Aliud enim eſt ſimplex ἐξαλλαγὴ (*f*), aliud omnimoda ταραχὴ (*g*). Hæc ſunt quæ *libro de flatibus*. *Libro vero de morbis* aliis vocibus eſt uſus. Nam in ſanguine naturaliter conſtituto conſiderat τῶν σύσασιν (*h*) quam Ariſtoteles πῆξιν (*i*) vocat, & κίνησιν (*k*) naturalem his opponit, nempe τῇ συσάσει τὴν ὄρησιν, τῇ δὲ κινήσει διακίνησιν ἐκ τῆς εἰωθυίης κινήσεως (*l*). Id autem fit maxime quum in ſanguinem bilis ſubit, & fiunt ὀπῤῥοαι (*m*), ut *libro de acutis* loquitur Hippocrates. Itaque ſive ſanguis διουρεῖ (*n*) (id quod Ariſtoteles vocat τὸ αἷμα ὑγραίνεσθαι (*o*), id eſt ſeroſum humidioremque fieri, propterea-que morboſi ſanguinis rationem ſubit) ſive dimovetur ex proprio & naturali motu & curſu, tunc mens aberrat, magnarumque in corpore mutationum naſcitur occaſio: forte eſt illud quod *in libro de flatibus* dixit, ſanguinem habere ſuum χῆμα καθεςηκός (*p*). Ceterum duo ſunt notanda, prius, quod bilis ſanguinem ſubiens, ſeroſumque reddens, aut emovens, ſanguinem calefacit, calefactus ceterum corpus recalefacit, hinc erroris mentis occaſio: itaque ſemper hic conſideratur intemperies perturbationis mentis cauſa: alterum, dum loquitur de atra bile ſanguinem ſubeunte,

In lib. de locis & aeribus.

Sanguis in quantitate, qualitate, motu & conſiſtentia laudabilis, ad prudentiam facit.

Ante ex Hipp. locum addu-

(*c*) Permutationem.
(*d*) Prudentia & intelligentia.
(*e*) Prudentiæ.
(*f*) Permutatio.
(*g*) Turbatio.
(*h*) Syſtaſin.
(*i*) Reſtagnationem, concretionem.
(*k*) Motum.
(*l*) Syſtaſi ſerofitas, motui motum ex conſueta compage.
(*m*) Defluxiones.
(*n*) Seroſam acquirat naturam.
(*o*) Sanguinem ſeroſum fieri.
(*p*) Habitum conſtantem.

ſubeunte, unde aut παράνοια aut μανία (q), vocat τὸ αἷμα φθαρῆναι ὑπὸ χολῆς & φλέγματος (r), unde ante dixit prudentiam aboleri ἀπὸ τοῦ παμπαν ταραχθῆναι τὸ αἷμα. Notanda vis verbi φθαρῆναι (s). Nec enim contentus fuit Hippocrates πρὸς τὴν μανίαν (t) verbis διακινεῖν καὶ διουρεῖν (u) ut ante. Ceterum unum addam animi gratia, quod forte delicatius exquisitiusque a me dictum putaverit aliquis: nempe nomen ἐθίσματα (x) non tam consuetudines illas significare quæ ad virtutes morales comparandum valent, quam consuetam illam constitutionem, motionemque & statum sanguinis, quæ constitutio nativaque motio bonarum & quietarum animi functionum causa exsistit. Quid enim illud est quod scripsit Hippocrates, τὰ παθήματα & ἀναγνωείσματα ἐθίσματα ἐςίν (y); affectus & cognitiones consuetudines quædam sunt: melius referemus τὰ ἐθίσματα ad τὴν σύςασιν καὶ κίνησιν εἰωθυῖαν (z) de qua ante diximus, quam σύςασιν καὶ κίνησιν εἰωθυῖαν ubi sanguis deferuit, ab eaque est depulsus ac dejectus, tunc mens labat aberratque. Si enim sanguinis quies, aut nativa quædam suique generis motio & consistentia ad prudentiam facit, quæ iis sunt contraria, mentem emovent & de rationis gradu dejiciunt. Sic τὸ ἐθίσμα (a), id est consueta sanguinis motio agitatioque naturalis, temperies & consistentia & affectiones animi & cognitiones has illasve parit. Sed hoc longius quidem repetitum videtur, ex interioribus tamen Hippocratis arcanis: Item unus locus alterius est interpres & enarrator. Sed suus cuique abundat sensus. De sanguine seroso eodemque morboso nil amplius dicam quum plerisque in locis operum nostrorum abunde dixerimus, & alias, quum majus quoddam suppeditabit otium, aliquando dicturi sumus. Duo breviter annotabo de sero & ichore: unum est Hippocratis, Galeni alterum: ita Hippocrates: *quæcumque carnem in orbem circumsitam habent, ea omnia ventriculum habent. Omne enim inconcretum & quod non coaluit, sive pellicula, sive carne contegatur, cavum est. Impletur autem dum ægrum est sanie*, Græce ἰχώρ, *dum sanum est flatu*, Græce πνεῦμα, melius spiritum quam flatum vertas. Alter locus Galeni est quo apparet tantam esse vim immutationis ipsius sanguinis, sive per se, sive ob mixtionem rei alienæ, ut inde movendæ mentis nascatur occasio: Ita vero Galenus: *Crudo in morbo bona crisis fieri non potest: crudus autem est in quo bilis una cum sanguine sursum fertur, quocumque tempore id fiat: magisque tale aliquid evenit, quum igneæ caliditatis in cerebro collectæ immoderatio fuerit*: Græce θερμασίαν ἠθροισμένην (c) in capite dicit, ut focus in capite exsistat.

ximus de decoloribus in quibus est τοῦ αἵματος & ἴκλυσις καὶ φθορά (b).

Lib. de arte.

Aliud est abundare flatu qui πνεῦμα dicit, aliud flatu qui φῦσα.

3.

Ad part. 13. sect. 1. l. 1. prorrhetic.

(q) Delirium aut furor.
(r) Sanguinem corrumpi à bile & pituita.
(s) Corrumpi.
(t) Ad furorem.
(u) Commoveri & serosam naturam acquirere.
(x) Consuetudines.
(y) Affectus & cognitiones consuetudines quædam sunt.
(z) Systasin & compagem consuetam, emotionem consuetam.
(a) Consuetudo.
(b) Sanguinis exsolutio & corruptio.
(c) Caliditatem coacervatam.

At vero hæc propositio, quod sanguis ad sapientiam vel plurimum, vel omnino faciat, non modo a nobis leniter tractata & degustata est summo labro, sed satis accurate explicata est. Eo autem libentius eam explicandam suscepimus, quod sæpius ab Hippocrate repetita est. Ubi enim generationem phrenitidis explicat, in qua delirii summa sunt omnia, ait id effici tum quia sanguis habeat motum quemdam non solitum, tum quod admistione bilis aut similis humoris alieni, suam σύστασιν (*d*) amittat, & ut alio loco loquitur, τὸ σχῆμα καθεστηκὸς, id est habitum naturalem constantem, alio loco ad hæc duo addit φθορὰν, corruptionem. Sed ex bilis mixtione ἡ φθορὰ (*e*) sequitur, & ex motu solito commotio, & consistentiæ nativæ permutatio. Et *in Coacis* Hippocrates loquens de decoloribus ait, in his esse τοῦ αἵματος φθορὰν καὶ ἔκλυσιν (*f*): nomine τῆς ἐκλύσεως sanguinis consistentiæ dissolutionem significat. Denique fit τοῦ αἵματος ἐξαλλαγὴ (*g*), hinc sanguinis fit διαστροφὴ (*h*), & hanc sanguinis διαστροφὴ sequitur corporis ipsius διαστροφὴ quædam, ut loquitur Hippocrates: maxime autem de Epilepsia a flatu nata.

Quamdiu bilis cum sanguine miscetur sursumque fertur, tamdiu morbus crudus dicitur. Gal.

Quid sit sanguinem amittere suam consistentiam. Lib. de flatibus, διαστροφὴ αἵματος (i). Lib. de flat.

Quod autem sanguinis mutatio sive in motu, sive in consistentia, seu in quanto, seu in quali, & facile fiat, & maximi sit momenti, ipse Hippocrates demonstrat exemplo familiari & sub sensum plebejorum cadenti. Illud autem a somno ducitur. In hoc enim ob blandum vaporem a cibo crudo recens ingesto & nondum modificato excitatum, sanguis aliquantulum alteratus, & paullo frigidior redditus, hominem consopit, dissolvit & effeminat, ut semimortuus appareat. Idem in temulentis apparet, quum copia vaporis extranei peregrinas opiniones affert, & corpus aut languidum, aut furibundum & ferocienti bestiæ assimile reddit. Si tantula hæc commutatio in sanguine, & ejusdem simplex alteratio, tanti momenti est, istasque affert turbas, quid fiet, vel quum vitiosus ipse per se erit, vel admistione humoris alieni genitus est?

Tamen objiciat quis, non est necesse sanguinem alterari, nec vapores subire venas, sed per inanes vias & spatia dum feruntur sursù implent suo vapore intacto sanguine, in Timæo.

Abunde quidem ea de re dixeramus, tum *in paginis prædictis initio hujus commentarii*, tum in 2. *libro Consiliorum meorum* explicans *locum libri* 4. *Acutorum*, ubi docet humorum ἐποιδήσεις καὶ στάσεις (*k*) unde sequuntur τῶν πνευμάτων ἀπολήψεις (*l*). Tamen quoniam nuper legenti occurrit locus integer ex Platone a Galeno ad finem libri in alium locum translatus, & qui miro quodammodo humorum vim explicat, eum pede sicco transeundum non putavi. Quæ vero ratio eo me maxime adduxit, ea est, quod illo loci Plato videtur explicare Hippocratis sententiam de motu bilis in sanguinem, & sanguinis in serum mutatione, unde perturbationes mentis consequuntur. Et id quod nunc a nobis dicetur, erit instar commentarii ad locum illum Platonis: explicabitque vicissim *alium locum libri*

(*d*) Systasin.
(*e*) Corruptio.
(*f*) Sanguinis exsolutionem & corruptionem.
(*g*) Sanguinis permutatio.
(*h*) Conversio.
(*i*) Conversio sanguinis.
(*k*) Effluxus & stationes.
(*l*) Spirituum interceptiones.

libri Acutorum, in quo auctor libri utitur vocibus non usitatis, unde obscuritas gigni solet. Nunc autem audiamus Platonem loquentem, ut textum textui opponendo veritas tandem eluceat atque appareat.

TEXTUS PLATONIS.

Quum quatuor sint ex quibus corpus constet, ignis, aër, aqua & terra, horum excessus, defectus & propriæ sedis mutatio (*Græcè* μετάστασις), *& si horum unumquodque non suscipiat id quod convenit,* τάσεις καὶ νόσους παρέχει, *melius* στάσις, *id est perturbationes & morbos afferunt. Quum enim a natura recedit & commutatur unumquodque* (μετάστασις *dicitur*), *quæ frigida erant calefiunt, quæ gravia levia fiunt, & multas mutationes* (μεταβολὰς (*n*)) *suscipiunt. Hoc de elementis, nunc de humoribus: Pituita alba intus detenta nocet & molesta est ob spiritum bullarum,* διὰ τὸ πομφολύγων πνεῦμα: *Si vero foras exspiret* (ἔξω τὰς ἀναπνόας ἴσχειν) *mitior quidem illa, sed tamen corpus variegat* (καταποικίλλει) *unde leucas, alphos, & congeneres affectus parit. Sed vide qui noceat pituita, non nocet nisi in bullas vertatur, & Galenus* com. ad aphor. 51. lib. 7. *ait pituitam per se non molestam esse nec sternutamentum provocare nisi aut in flatum vertatur, aut acrimoniam acquirat. Id quod ex Platone desumtum videtur.*

Nomen τῶν στάσεων (*m*) *a Platone usurpatum.*

Pituita alba intus.

Pituita alba foras.

COMMENTARIUS.

Antequam ultra progrediamur, dicatur aliquid de pituita alba, dulci eaque innocenti, quod dolores non pariat. Hæc aut intus manet, aut foras exit. Intus nihil molestiarum infert, nisi dicatur id facere ob flatum bullarum: id quod obscurius dictum est: nisi forte quum refervet, aut pars ejus præ cruditate in flatum, aut agitatione in spumam quamdam vertatur, & tunc doloris nonnihil afferat. Flatus enim levi de causa excitatur, & cruciatum infert. Et dum natura eam coquit, excitare potest flatus & πομφόλυγας (*o*). Si extra movetur materia phlegmatica alba, & si habet ἀναπνοὴν (*p*), leucas, & alphos in cute parit. Notandum id περὶ ἀναπνοῆς (*q*), id est si perspirat & exhalat ista materia, vitiligine alba cutim inficit. Habere τὴν ἀναπνοὴν foras humores dicuntur, quum natura foras emittit. Plato id ab Hippocrate mutuatus est. Nam *ad finem* 4. *de morbis*, dum explicat cur pedes in hydrope tumeant aut non, ait alias aquam habere suam πνεῦν, ἀναπνοὴν, παραπνοὴν (*t*), utitur enim his tribus, aut non habere: & prout id fit, aut tumet pars, aut detumet. Ad eamdem sententiam Aristoteles quærit cur pueris & mulieribus minus frequens sit vitiligo quam viris, & mulieribus si accidat, jam

Unde apud Galen. 2. ad Glauco. junguntur hæc ἄπεπτον & φυσῶδες (*r*): *In materia enim cruda facile* ἡ φῦσα (*s*) *excitatur.*

Probl. 4. l. 10.

(*m*) Stationum.
(*n*) Transmutationes.
(*o*) Bullis.
(*p*) Perspirationem.
(*q*) De perspiratione.
(*r*) Incoctile & flatuosum.
(*s*) Flatus.
(*t*) Spirationem, perspirationem, despirationem.

jam annosis accidit. Quia, ait, vitiligo exitus spiritus est, at corpora puerorum & mulierum minus perspirant, quam virorum. Quæ autem corpora consenuerunt, perspirantiora fiunt more ædificiorum veterum, quorum structura partium jam laxior esse incipit: Hippocrates vocat ἀραίωσιν (u) in senibus. Sic quum ait Aristoteles vitiligo exitus spiritus est, attingit eam Platonicam ἀναπνοὴν. Minus quidem medice Aristoteles de vitiligine. Ergo apparet ut pituita alba dolorem non exhibet, saltem commemoratione dignum. Id quod Galenus quoque docet explicans eodem ex Platone vires seri humorum. Pituitæ sero torpor & frigus inest, non mordacitas nec malignitas, nisi forte aut salsa aut acida evaserit. At Plato postea cum pituita alba jungit succum aut bilem nigram, & tunc affectiones sequuntur maxime terrificæ: cujusmodi est morbus sacer. Fit autem quum pituita atræ bili mista divinas περιόδους (x) quæ sunt in capite invaserit ac infestaverit: Et quod notandum maxime, ita ait, Ut in somno mitior est, sic eadem pituita atro juncta succo quum vigilantes invaserit, diutius urget. Videmus enim vulgo evenire ut vigilantes paroxysmo epileptico prehendantur potius quam dormientes. Quod non abs re a Platone dictum est. Et si plenum commentarium scribere nobis animus foret, plenioribus velis solveremus, & diligentius in ejus rei quæstionem incumberemus. De pituita satis. Nunc ad alia.

Lib. de aëre & locis.

Comm. ad part. 38. sect. 2. lib. 6. Epid.

Pituita atræ bili mista Epilepsiam parit.

Pituita alias in somno, alias extra somnum aliter agit.

TEXTUS PLATONIS.

Pituita vero salsa acidaque fons est omnium affectionum & morborum quicumque καταῤῥοικοὶ (y) *dicuntur, id est, quorum essentia in defluxione consistit, & varia sortiuntur nomina, prout in has aut illas partes humor defluxerit.*

Plato multum tribuit æqualitati aut inæqualitati, libertati aut impedimento meatuum. Id Plin. admonuerat c. 24. lib. 22. Hipp. 4. acut. par. 27. τὰς ἐπιῤῥυσίας (a) *censet* τῆς μελαίνης χολῆς καὶ ὀλοιμίαν ῥευμάτων (b).

COMMENTARIUS.

Diligenter animadvertere debet an affectiones ῥευματικαὶ agnoscant solam sui causam pituitam acidam ac salsam. Galenus *loco prius adducto ex sexto Epidem.* dolorem & malignitatem his maxime duobus humoribus & eorum sero attribuit. Sed hæc inquirere alius sunt loci atque temporis: Itaque ex inquisitione supersedendum puto. Nunc de bile flava.

TEXTUS PLATONIS.

Quæcumque in corpore inflammantur ardentque, a bile flava id habent. Quum enim foras exhalat, Græce ἀναπνοὴν ἔξω ἔχουσα, *refervens omnis generis tumores* φυσήματα (z) *emittit. Inclusa gignit morbos exurentes plurimos: Maximumque quum puro sanguini admixta fibrarum genus ex proprio ordine*

(u) Rarefactionem.
(x) Periodos.
(y) Rheumatici.
(z) Inflationes.
(a) Defluxiones.
(b) Atræ bilis, & acrium fluxionum.

ordine depulerit, quæ fibræ eo sanguini datæ sunt, ut nec minus tenuis nec crassus foret, nec præ caliditate (quum humor sit) e corpore effluat, & ne præ densitate motioni sit ineptus, & vix in venis sese convertat. Et cetera. Addit, in mortuo sanguine si quis fibras colligat, is diffluit: alioqui cum ambiente frigore relictæ coguntur.

COMMENTARIUS.

Non est dubium quin bilis quum accensa fuerit & foris & intus excitato summo ardore & deflagratione, molestias non inferat. Quod ante de pituita alba dictum est quæ haberet suam quamdam foras ἀναπνοὴν (*c*), idem & de bile dici potest. Unde quum Hippocrates bonum esse ait erysipelas foras exire, id non fit nisi per istam exhalationem & translationem intus foras. Mirum autem cur dicat bilem in habitum corporis φυσήματα gignere, intus vero πυρίκαυστα νοσήματα (*d*). φύσημα enim flatum significat, & aliquid spirituosum, aut inflationem: Et idem facit foris bilis, quod pituita intus. Hæc enim molesta est (ut dictum est ante) ob flatum τῆ πομφολύγων (*e*): quid aliud est quam dicere καὶ τὰ φυσήματα (*f*); nam πνεῦμα, φύσημα, καὶ πομφόλυξ habent aliquid συγγενές (*g*). Dicendum est bilem ubi fervet in habitu corporis non tam tuberculum aut vere tumorem excitare, quam tumorem improprie & potius pustulas. Et τὰ φυσώδια καὶ φυσήματα (*h*) ad pituitam potius quam ad bilem flavam referenda sunt. Tamen quoniam ubi bilis cum sanguine fervet, bullæ & tenues vesiculæ excitantur, ideo parum medice fortasse ea omnia nomine τῶν φυσημάτων (*i*) comprehendit: τὸ γὰρ φύσημα (*k*) in bullante humore dicitur. Et ebullientis sanguinis eruptio φύσημα ab Euripide nominatur: quam significationem Plato est secutus.

De viribus bilis qui corpus contineat, sensus acutiem faciat, meatus corporis apertos retineat, coctioni prosit: vide fragm. Gal. ex Stobæo in præfatione libror. de dogmatis. Hippoc. & Platonis. Per fervorem enim φλυσάκια (m) & pustulæ excitantur.

Sed quæritur hic maxime cur bilis cum sanguine mixta fibras e proprio ordine dimovet. Quomodo id fit? Primum quid est fibrarum genus ἐκ τῆς τάξεως (*l*) deturbare? an fibras elidit, destruit, ut sanguis expers fibrarum dicatur? Id videtur Plato hoc loco, & Hippocrates (ex cujus doctrina Plato desumsisse videtur) primus id statuisse. Ita Hippocrates: *Sanguis ad sapientiam maxime facit: Quum bilis commota ad venas & ad sanguinem ingressa fuerit, sanguinem ex consueta consistentia ac motu emovet, serosum facit & calefacit. Calefacto hoc, corpus concalescit, & homo desipit sanguine in serum transmutato, motu non solito contingente, & præ febre.*

1. *de morbis* ad finem.

Ita ad verbum Hippocrates, & paullo post de maniacis. *Quum sanguis a bile & pituita corruptus fuerit, morbum habent & dementes fiunt.* Vide quid loquatur per verbum φθαρῆναι (*n*): corrumpitur enim sanguis per rei

(*c*) Perspirationem.
(*d*) Morbos velut ab igne genitos.
(*e*) Bullarum.
(*f*) Et inflationes.
(*g*) Spiritus, physema & bulla habent aliquid cognatum.
(*h*) Flatulenta & physemata.
(*i*) Inflationum.
(*k*) Nam quod est physema.
(*l*) Ex ordine & consistentia.
(*m*) Pustulæ servidæ.
(*n*) Corrumpi.

rei alienæ admiſtionem; verbum διουρεῖν per *reſolvi in ſerum* vertimus. Et apud Hippocratem ἡ γονὴ διυρηθεῖσα, ſemen morboſum & ſeroſum & generationi ineptum ſignificat. *Sanguis*, ait Hippocrates, *qui a corpore morboſus deſcendit genituram ſeroſam facit*, διουρεῖ (o), *& ad compingendum difficilem. Seroſa autem facta genitura, tempore aut pauco, aut multo cum ichore & ſanie egreditur.*

lib. de ſteril.

Afficitur ſanguis a bile tripliciter.

1.

2.

3.

Quum itaque Plato ait a bile cum ſanguine puro mixta fibrarum genus elidi & perturbari, id videtur eſſe quod ſcribit Hippocrates: A bile ſanguinem ſubeunte, ipſum ſanguinem tripliciter affici. Primum ſuam conſiſtentiam amittit, attenuatur enim, id quod non fit niſi fibrarum vitio: item ex proprio motu dimovetur, & alium quemdam curſum inflexit: tertio caleſcit: unde hæc? per bilis ſubeuntis vim & poteſtatem. Plato tamen paullo obſcurius loquitur quam Hippocrates. Nam ait genus fibrarum a proprio quodam ordine deturbari ob ipſam bilem. Non dicit fibras corrumpi, non ſanguinem attenuari & in ichorem reſolvi: unde quæſtio eſt, an tanti ſit iſta deturbatio fibrarum ex ordine quodam ſuo, ut ſanguis propterea ſuam quamdam σύγασιν, καὶ κίνησιν, καὶ συμμετρίαν (p) amittat? Sequuntur & alia verba Platonis ita obſcura, ut nec eam rem aperiant, nec quorſum dicantur, facile conſtet.

TEXTUS PLATONIS.

Quum hanc in ſanguine vim habeant fibræ, bilis natura facta vetus ſanguis, Græce χολὴ γεγονὼς παλαιὸν αἷμα, *quum rurſus ex carne in ipſum ſanguinem illiquefacta mittitur calida humidaque ſenſum primo invecta ob fibrarum vim gelaſcens coit; gelatoque ac reſtincto illius violenter fervore, tempeſtatem intus tremoremque excitat. At ſi majore ſe vi inferat, evictis a caliditate propria fibris, confuſoque eorum ordine effervescens victrix evadit. Et ſi ad extremum perdurare validior poteſt, ad medullas penetrans perurenſque animæ ibidem quædam diſſolvit retinacula, hancque ipſam liberat. Quum minor copia eſt, corpuſque liqueſcens & reluctatur, devicta aut per corpus univerſum excidit, aut in ſuperum infernumque ventrem per venas expulſa, deque corpore, velut ex diſcordi civitate, ejecta, inteſtinorum lævitatem difficultatemque affert, & cetera id genus mala.* * *Textus Græcus ſonat, bilis caliditate ſua ſuperans, fibras effervescens in confuſionem* διίσωσε *ad verbum conſervat. Si deſtruit fibras, & proprie ſanguinem, quomodo dicetur* διασώζειν (q); *Nam vox illa* διίσωσε *ſi prævalere ſignificat, fruſtra dixit* κρατήσασα χολὴ, *id eſt, vincens ac ſuperans; hic interpres dixit,* διίσωσε, *victrix evaſit, & tamen* τὰς ἶνας (r) *non refert ad participium* κρατήσασα (s), *ſed ad verbum* διίσωσε (t): *quia participium* ζέσασα (u) *accuſativum non regit,*

(o) Seroſam naturam acquirit.

(p) Syſtaſin, motionem & ſymmetriam.

(q) Conſervare.

(r) Fibras.

(s) Vincens ac ſuperans.

(t) Superavit.

(u) Effervescens.

git, sed est verbum absolutum. Et plenonasmus est dum dicitur κρατήσασα διέσωσε, *superans superavit.*

COMMENTARIUS.

Instar commentarii in hunc Platonis locum, utilis erit explicatio sententiæ Hippocraticæ, quam Galenus summo studio industriaque conscripsit. Docet Hippocrates qui fiant apoplectici quidam repente & absque causa manifesta, quibus corpus, aut plenum est omnino, aut cacochymum, aut utrumque. In aliis dolor est & tristis sensus in parte quadam, in aliis stupor est & immobilitas. Ubi est summa plenitudo, humorum fiunt interceptiones, & spirituum. Ubi notabis Hippocratem alibi meminisse ἀπολήψεων τῶν φλεβῶν (*x*), alibi vocat τῶν πνευμάτων ἀπολήψεις ἀνὰ τὰς φλέβας (*y*). In priore venæ proprie intelliguntur, in posteriore quum ait ἀνὰ τὰς φλέβας arteriæ, unde per ἀπόληψιν (*z*) spirituum per venas, audies vel pulsus intermissionem, vel ipsam etiam ἀσφυξίαν (*a*): fit autem id quum humores aut in venis aut extra venas sunt ita coacti & compressi præ multitudine, ut calor naturalis opprimatur ac velut strangulatur, id quod vocat πῆξιν καὶ σφήνωσιν τῶν χυμῶν καὶ στάσιν: barbari humorum conculcationem ac incuneationem vocant.

Legatur lib. Theophr. de vertig. Part. 27. l. 4. acut.

ad part. 23. 4. acut.

Ac non mirum si ubi hæc eveniunt aut sanguis qui non erat vitiosus corrumpitur, ut qui non habeat suam ἀναπνοὴν (*b*), aut jam corruptus erat. Unde Galenus *comm. in lib. de acut.* ait, *exeuntibus & flabellatis succis qui sunt fluxionum auctores incorruptus & naturaliter fusus liquidusque fit sanguis. Quum manent iidem succi*, Græce στάντων δὲ χυμῶν, *nativumque calorem exstinguunt* καὶ ἀποβάλλουσι (id quod obscurius dictum, ni velis interpretari disjicere & dissipare τὸ ἔμφυτον θερμὸν (*c*)) *sanguis tamquam in mortuo corpore* πήγνυται *concrescit ac cogitur*; eadem & fere Platonis verba in eo textu quem illustrandum suscepimus. Quum bilis facta vetus sanguis (id est ac si dicat id quod *in comm.* Galenus ait, ubi corpus κακοχυμώτερον ἢ (*d*)) ex carne illiquefacta in sanguinem immissa fuerit, ob fibrarum vim gelascens coit. Et eo loco idem Plato ait quod Hippocrates *in libro* 4. *Acutorum* & Galenus *in com. Quum dolores accesserunt* (nam diximus aliàs initio morbi vehementis corpus attonitum immotumque reddi, alias mobile, sed dolens) *bilis atræ, acriumque fluxionum fiunt eruptiones & incursus*, Græce ἐπιῤῥύσεις. Hoc quid aliud est, quam humores biliosos velut liquefactos in sanguinem influere & cum eo misceri, & veluti naturalem compagem sanguinis, Grece σύσασιν, violare, aut extra vasa in partes quasdam peculiares hepar, cor inferri, & sic magnas in corpore turbas excitare? Plato fibras violari perturbarique philosophatur; Galenus *in eo comm.* sanguinem per influxum, & plenitudinem

Ad part. 27. lib. 4.

(*x*) Interceptionum venarum.
(*y*) Spirituum interceptiones secundum venas.
(*z*) Interceptionem.
(*a*) Pulsus carentiam.
(*b*) Perspirationem.
(*c*) Calidum innatum.
(*d*) Morbosius & magis cacochymum.

nem suffocari conculcarique, qui jam aut vitium contraxerat, aut difflatione prohibitus corrumpitur. Subdit Hippocrates: *Dolent morsæ partes, intenduntur &c. Itaque corrupto sanguine, spiritibus naturales vias nequeuntibus transire, fiunt perfrigerationes & dolores, gravitates capitis, tenebricosæ obversationes, aphoniæ*, &c. ὑπὸ τῆς στάσεως, *ob stationem, si jam ad cor & hepar fluxiones repant.* Ubi notabis tria, διαφθορὰν αἵματος (*e*): spirituum ἀπόληψιν (*f*), καὶ humorum sanguinis aut utrorumque τῶν στάσιν (*g*). Unde sanguinis διαφθορὰ (*h*), an jam talis erat sanguis? Nam Galenus ait fluxiones acrium humorum contingere τοῦ σώματος ὄντος κακοχυμωτέρου (*i*). An per admistionem acrium humorum? an per plenitudinem & πῆξιν καὶ στάσιν καὶ σφίνωσιν (*k*); id quod Galenus videtur insinuare. Nam ubi sanguis κακοχυμώτερος (*l*) naturam stimulat ad excretionem: si id fit intus, & non foras, malo est: in particula forte succus & sanguis laudabilis esse poterat, sed per affluxum acrium humorum calore oppresso, sanguis partis corrumpitur. Sanguis (ait) διαφθείρεται (*m*), repleta a fluxionibus particula quæ afficitur. Plato vult per ingressum istius bilis elidi fibras, & attenuari sanguinem. Et etiam verisimile est quum acres & biliosæ sint effluxiones, & tenues, quum sanguinem subeunt ipsum attenuari: nisi forte congelatur & πήγνυται per suffocationem, suffocationem quidem per repletionem.

Si attenuatur qui fit facile πῆξις & στάσις.

Quod attinet ad ἀπόληψιν spirituum & venarum (nam duo hæc ante adscripsimus,) observatur & impedimentum motus in spiritibus, & in humoribus & in sanguine. Dictum quoque ex innumeris Hippocratis locis in sanguine considerari κίνησιν, σύστασιν, καὶ συμμετρίαν, καὶ φθορὰν (*n*). Sic motus in ipso sanguine pervertitur, hinc prudentia hominis alteratur.

De statu quem στάσιν (*o*) vocat, & Galenus & Hippocrates. Platoni, ut ante dictum est, nomine τῶν στάσεων (*p*) tumultus, discessio, & seditio intelligitur, item factio. Et quum humores dicuntur ob contrarias qualitates & a natura discessiones turbare & commovere corpus, ἡ στάσις (*q*) humorum dicitur. Et tamen in aliis locis ἡ στάσις significat cessationem a motu, statum, stationem & quietem. Sic dico contraria nomine τῆς στάσεως (*r*) comprehendi videntur: στάσις per se stationem significat & ex eventu discessum, ἀποστασιν seditionem. Quia in factione primus qui facit factionem ab una discedit parte eamque deserit, ad aliam sese adjungit atque confert, ab ea stat parte; sic præunte motu ac separatione in parte alia priori contraria statur, confiditur, consistitur. Hinc statio Græcis

στάσις,

(*e*) Corruptionem sanguinis.
(*f*) Interceptionem.
(*g*) Stationem.
(*h*) Corruptionem.
(*i*) Corpore morboso existente.
(*k*) Concretionem, stationem & incuneationem.
(*l*) Morbosior.
(*m*) Corrumpitur.
(*n*) Motionem, systasin, symmetriam, corruptionem.
(*o*) Stationem.
(*p*) Stationum.
(*q*) Statio.
(*r*) Stationis.

στάσις. Et quod prius dixit Plato quatuor humores efficere τὰς στάσεις non τάσεις (*s*), ut male legitur, idem paullo post de bile loquens ait χειμῶνας efficere, id est, tumultum ac tempestatem. Et *in libris de acutis* explicans signa plenitudinis sanguineæ ait τῶν ὀμμάτων στάσιας, constantiam & immobilitatem oculorum nervorum principio immobili atque veluti congelato. Et manuum addit διαστάσεις (*t*) quæ opponuntur ταῖς στάσεσι (*u*), porrectionem enim & mobilitatem manuum αἱ διαστάσεις significant. *Comm. ad par. 26. 4. ac.*

Ergo τοῦ αἵματος φθορὰν καὶ διαφθορὰν (*x*) (nil interest) Hippocrates considerat, quum nimirum sanguis suam σύστασιν (*y*) amittit aut per rei alienæ mistionem (ut de bile dictum est) aut per propriam in se alterationem & corruptionem ob qualitatum aut dissidium aut exsuperantiam. Præter hanc φθορὰν (*z*) spectatur motus impeditus spirituum. Alibi motum impeditum in sanguine respicit: sed id eodem refertur: unde alias dicitur τῶν φλεβῶν ἀπόληψις (*a*) (de sanguine audiendum) alias τῶν πνευμάτων ἀπόληψις (*b*): vide opinionem Galeni. Hæc autem maxime fiunt in corpore cacochymo. Dolor irritat fluxionem, fluxio fit & augetur dolor. Auctis doloribus contrarii effectus contingunt. Ideo ait Hippocratem interpretans Galenus: Idque ipsum alterius causa redditur contraria. Atque ista corruptio sanguinis & spirituum fit ob plethoram partium quam facit humorum influxus, influxum autem dolor & morsus partium. Celerior fit corruptio si corpus cacochymum, & augetur quum suffocatur sanguis ob plethoram: & impeditur aditus humoribus & spiritibus. Et fit στάσις (*c*) sanguinis causa perfrigerationis. In textu Galeni legitur ὅταν δὲ ἐστι τὸ αἷμα, legendum ὁτάν δὲ ἑστῇ τὸ αἷμα, quum steterit sanguis: Ante enim legitur στάντων δὲ χυμῶν (*d*). Et insignis est hic in textu error. Ex his omnibus apparet quantum συμμετρία (*e*) sanguinis in quanto & quali ad sapientiam actionesque temperatas conferat. *Comm. ad part. 23. & 27. 4. acut. Comm. in part. 27. lib. 4. acut.*

Paullo longius orationem commentationemque nostram produximus quam institutum fuerat. Sed æstus quidam interpretandi & locos explicandi nos abripuit.

Nunc ad rem institutam aggrediamur; locorum enim obscuritas & difficultas effecit, ut aliquid operæ impenderimus in iis explicandis quæ obiter in classicis auctoribus animadverterimus: quamquam aliqua ex iis præter rem, in re tamen & e re esse possint. Diximus quos tumultus, quas turbas & seditiones afferat sanguinis mutatio seu in quanto, seu in quali, seu in consistentia, & aliis id genus. Ergo quicumque naturæ sunt ita comparatæ ut sanguis ceterique humores varias mutationes subeant, eæ sunt variæ, inconstantes, & tamen in aliqua constantia incon- *Fundamenti disputationis.*

 stantiam

(*s*) Stationes, non contentiones.
(*t*) Mobilitates.
(*u*) Stationibus.
(*x*) Sanguinis corruptionem & alterationem.
(*y*) Compagem.
(*z*) Corruptionem.
(*a*) Venarum interceptio.
(*b*) Spirituum interceptio.
(*c*) Statio.
(*d*) Humoribus stationem habentibus.
(*e*) Symmetria, commoderatio.

De ea constantia aut inconstantia post dicemus ex eodem Arist.

ſtantiam habent: Hujuſmodi eſt melancholicorum natura. Ideo diximus ex Ariſtotele melancholicos perpetuo medicinam appetere, & ob ſuam temperiem vehementes appetitiones motioneſque habere, nec non corpus eis perpetuo dolere: unde & lamentis Medicos afficiunt, & querelis ſubinde repetitis obruunt & obtundunt. Is locus ad inſtitutum apprime facit. Tales μελαγχολικὺς (*f*) interpres vertit, qui atra bile laborant. De iiſdem locus eſt alius apud eumdem Ariſtotelem dum diſputat de voluptatibus; impotentiamque aliam ex imbecillitate ortam, aliam ex temeritate conſiderat. *Acutorum hominum & atrabilariorum maxime eſt temeraria impotentia, quoniam acuti propter celeritatem, atrabilarii autem ob vehementiam, rationem ſuam & judicium non retinent, hoc ipſo quod viſionem aliquam objectamque ſpeciem animo facile ſequantur*: & alio loco, *facilius impotentia ſanari poteſt eorum qui atra bile tenentur, quam eorum qui ſtatuunt, nec ſtant in eo quod ſit judicatum.* Quibus ex locis apparet & impetus animi in iis quos atra bilis tenet, vehementes eſſe, & varios eſſe ancipiteſque melancholicos. Unde videmus præclaros primarioſque homines, ingenio valere, & melancholicos eſſe, & tamen multa facere quæ hominem conſtantem decent: immo ad quamdam ἔκστασιν (*g*) facile & ad ἐνθουσιασμὸν (*h*) facile deveniunt. Et Plato aſſeverat ingenioſos plurimum concitatos & furioſos eſſe ſolere: Democritoque placuit nullum virum ingenio magnum eſſe poſſe, niſi qui furore quodam percitus fuerit ac concitatus. Et de Poëtis Platonis illud, *fores poëticæ fruſtra abſque furore pulſantur.* Unde vero in melancholicis varietas iſta, iſta σφοδρὰ ὄρεξις καὶ ὁρμὴ (*i*); nec enim in iſto furore & ecſtaſi diu manere poſſunt. Unde & illud quod dolendi finem non faciant; an humor in iis efferus? venenatus? non potens regi gubernarique a natura? Id quod placuit Ariſtoteli. Et ſimilem affectionem melancholicam explicat Hippocrates, quam ſua lingua φροντίδα vocat, *curam* vertunt interpres: animi quædam affectio eſt in qua ita ad rem aliquam attentus eſt, ut ab ea non facile recedat. Et quod in ventriculo eſt ἀλύκη (*k*), id eſt in animo φροντίς: ἀλύειν enim Galenus interpretatur, nullo modo quieſcere, ſed ab uno negotio ad aliud facile tranſire: Et tunc ad animum quodammodo τὸ ἀλύειν (*l*) referendum eſt. Hæc autem τῆς φροντίδος (*m*) ſigna ſunt ex Hippocrate: *anxietas, lucis ac hominum fuga, tenebrarum amor, timor, ſepti tranſverſi tumor, in viſceribus ipſis velut ſpina eſſe videtur & punctiones*: hoc ultimum annotandum eſt: etenim conveniens eſſe videtur iis quæ ab Ariſtotele dicuntur, nempe quod dolor ſit quidam aſſiduus. Nos id experientia docet: nam videas melancholicos tales querimoniis modum finemque non imponere: dolet modo pars hæc, modo illa. Et revera aut fuliginoſum excrementum cauſa eſt, aut flatus quidam malignus, virulento quoque

4. *Hippoc. 7. l. 7. ethic.*

Ariſtot. pro. 1. lib. 30. Melancholic. ingenioſi. In Phædro.

Ad finem 2. de mor. Comm. ad aph. 56. lib. 7.

Probl. 13. lib. 30.

(*f*) Melancholicos.
(*g*) Ecſtaſin.
(*h*) Enthuſiaſmum.
(*i*) Impetus multus, & orexis vehemens, & varietas motuum.
(*k*) Inquietudo.
(*l*) Affligi & mœrere.
(*m*) Curæ.

quoque ſero comitatus in membranas καὶ τὰ περιόστια (*n*) ſeſe inſinuat dolorum eam iliadem concitans: Immo placide non dormiunt, ſed turbulentis inſomniis mens eorum agitatur. Id explicat Ariſtoteles: *melancholici ideo crebro in ſomnis excitantur, quia calore largiore urgente animus moveri æquo amplius cogatur. Et quum motus vehementior ſit, merito dormire nequeunt.* Putat autem Ariſtoteles placidiſſimum eſſe ſomnum quum motus plurimus eſt: motus autem eſt plurimus quum larga caloris copia in partem interiorem retrahitur: id autem fit ubi cibus ingeſtus eſt, tunc enim & calor plurimus, & vapor plurimus, & motus plurimus, ſic inſomnium aut nullum aut paucum: Et iſto motu deſiſtente, animus quieſcit & prudentior fit. *Ubi enim plurima vehementiſſimaque eſt agitatio, nullum oboritur ſomnium*, ait Ariſtoteles: *nec animus tunc quieſcit & per ſe eſt quum ſomnium nullum eſt; contra qui in motu plurimo eſt, nec paulliſper quieſcit, hic nequit intelligere. At quum gravis ſomnus eſt, motus eſt plurimus, agitatur animus, ideo non intelligit, intelligendo ſomniat.* Id facit pro melancholicis; nam ſi in eorum animis eſt perturbatio, ſi motus plurimus, ergo ſomnus gravis & placidus eſſe poteſt, & inſomniorum vacuitas eſt: Contra evenit, nam & inſomniis exercentur, & crebro dormientes excitantur. Sic contrariæ rationes videntur. Ita nodus ſolvendus. Ut concedant placidum & interruptum eſſe ſomnum quum præ caloris copia & vaporum motus plurimus eſt, tamen ſi motus iſte æquo major ſit, implacidus interruptuſque eſt ſomnus, ut in ægrotantibus contingit. Ideo appoſite dixit plenius ante Ariſtoteles de melancholicis loquens, calore majore urgente, animus moveri æquo amplius cogitur: Id autem fit in melancholicis. Hæc de inſomniis & motu turbulento in ſomnis: quæ fortaſſis in partem contrariam agitari poſſent.

Sed iſtæ mutationes frequentes in melancholicis quæ & ad corpus, & ad animum referuntur, an ratione caloris, an frigoris, an aliarum ſimilium qualitatum fiant? Ariſtoteles enim id aſſerere videtur. *In quibus*, ait, *multa & frigida bilis eſt atra, hi ſtolidi ſunt & ignavi. In quibus multa & calida, ii perciti, ingenioſi, amaſii, propenſi ad omnem excandeſcentiam; nonnulli etiam loquaciores. Et quia in multis ille calor ſedi mentis vicinus eſt, morbis veſaniæ implicantur, aut inſtinctu lymphatico infervescunt, inde Sibyllæ & omnes qui divino ſpiraculo inſtigari creduntur, quum id non morbo ſed naturali intemperie accidit. Quibus idem calor in aliquam mediocritatem remittitur, ii quidem melancholici ſunt, ſed prudentiores. Habitus autem melancholicus ut varios morbos creat, etiam ipſe inæquabilis eſt, alias enim frigidus, ut aqua, alias calidus. Et ſi quid formidandum nuntiatur, ſi habitus juſto frigidior, timidum reddet: Si amplius caleat, metus invectus ad mediocritatem reducet. Fit ſæpe ut angamur ſuccumbamuſque animo, ſed cur, ratio non poteſt reddi: contra, ſecuritate animi geſtimus, nec rationem reddere valemus.* Quod bifariam explicare poſſumus: vel quia hujus rei cauſa non redditur facile, quum hunc angorem ſimpliciter humor melancholicus non inferat, vel quod ægri ipſi cur ita ſint affecti, vix

Probl. 8. lib. 30.

(*n*) Et perioſtia.

vix explicatur. Unde illud Hippocratis: *timor & mœstitia absque causa manifesta melancholica sunt pathemata.* Et revera timor & tristitia sine causa manifesta melancholiam significant tamquam posteriora: & tamquam priora inducunt. Præ timore enim & ægritudine fiunt homines melancholici. Tamen Aristoteles hic calori frigorique totum tribuit. *Quibus calore nativo emarcescente oritur ægritudo, ii sibi potius laqueum petunt: quare juvenes potius quam senes se laqueo interimunt. Senibus per ætatem calor marcescit; juvenibus per vim ipsius affectus. Quibus calor subito exstinctus est, ii repente se interficiunt, quum nullum ante indicium præcesserit.* Et tandem ita concludit: *Quum atra bilis friget, varias animi molestias anxietatesque gignit; calidior autem, securitatem lætitiamque præstat: hinc pueri lætiores, senes tristiores.* Et ait eos qui a coitu tristiores exsistunt, tales ideo fieri quia excreto semine abunde refrigerantur: contra qui copiam quamdam excrementi cum semine emiserunt levati sarcina hilariores fiunt. Denique ita concludit Aristoteles. *Homines melancholici varii inæqualesque exsistunt, quia vis atræ bilis varia & inæqualis est: nam vehementer & calida & frigida reddi potest; & quoniam vim obtinet morum instituendorum (nam calidum & frigidum inter ea quæ in corpore nostro sunt mores condit) ideo nos morum qualitate afficit, ut vinum. Et vinum & atra bilis flatuosa est.* Ad finem, post verba quædam involuta & obscura, ait *melancholicos omnes non per morbum, sed per naturam esse ingenio singulari.*

Calid. & frigidum morum opifex.

Ego vero vereor ne Aristoteles, ut physicus, plus æquo tribuerit primis istis qualitatibus, calido & frigido. Et videtur incidere in errorem eorum qui calidum, frigidum, humidum & siccum omnium morborum causas & principia posuerunt. Hippocrates eos sugillat: nec more vulgi, aut physicorum in iis qualitatibus consistit, sed altius sese effert, & aliarum qualitatum humorumque vim potentiamque considerat. Quod si alias, in melancholicis maxime locum habere debet. Nec enim melancholicorum inæqualitates, varietas morum, impetus, milleque animi pathemata affectus sunt simpliciter caloris aut frigoris, sed aliquid aliud præterea est spectandum. Aristoteles quidem iis qualitatibus multum tribuit ut naturalis scriptor, quod magnam efficientiam habeant. Hippocrates contra de iis qualitatibus statuit. *Calidum & frigidum omnium qualitatum minime potentes esse judico: sed secundis qualitatibus id quicquid est quod in corpore nostro geritur & fit, tribuendum est. Calidum enim & frigidum facile sese mutuo elidunt & infringunt.* Superius docuimus quæ sit vis sanguinis acris, salsi & acidi, utpote quo natura uti recusat: & ex eo loco eruenda demonstratio eorum quæ hic dicuntur. Ut autumno humores & serum virulentam qualitatem habent, & malignos morbos concitant, an quia calidi? an quia frigidi? Galenus cum Hippocrate ad temporis inæqualitatem recurrit: ea de re dubito. Sed & adustio, & suppressio fuliginis, & inæqualitas, & intempestivus victus qui æstate præcessit, & fructuum natura corruptibilis, accedente quadam naturæ & caloris naturalis imbecillitate, hæc (inquam) omnia hæc concurrentia pariunt malignam aliquam qualitatem morborum sui generis fautricem & matrem. Porro schola medica considerat bilem adustam quatuor modis. Aut enim succus

Lib. de vetere medicina.

Arist. primis qualitatibus, Hipp. contra secundis multum tribuit. Cur Autum. morborum ferax.

cus melancholicus naturalis aduritur, aut ſanguinis pars purior, aut bilis flava, aut ſalſa pituita. Quæ aduſtione naſcitur judicio & ſapientiæ obeſſe creditur, ad furorem concitationemque animi alioqui plurimum valens: Si exſtinguitur, partibus ſubtilioribus reſolutis, remanente tetra fuligine, hinc ſtoliditas, metus & ſtupor: Sola naturalis ad ſapientiam facere dicitur. Volunt quidem accendi, non uri, ut ſpiritus tenues, ſcintillantes excitentur qui propter ſuam λεπτομερίαν (o) homines agiles & alacres reddant. Sic tamen non eſt conſiderandus calor ſimpliciter, aut frigus, ſed humores & quædam aliæ qualitates efficaciores. Et ita terminaviſſe videmur in eam primam ſententiam Hippocratis, quod ſanguis ad ſapientiam faciat. Quamquam prima ſcribendi occaſio fuit quæſtio de mittendo ſanguine in melancholicis; diorismos ex Galeno attulimus: Et revera non eſt vulgaris ea quæſtio. Nam ſi ſanguinis melancholicorum virus quoddam in ſe continet, ſi acer, ſi ſalſuginoſus aut ſimili qualitate donatus, eane qualitas per phlebotomiam tolletur, aut corrigetur? Dicam unum a nobis ſæpius obſervatum. Hypochondriacorum & melancholicorum vere dictorum ſanguis non ita facile corrumpitur & ſereſcit, ut ſanguineorum & calidorum humidorumque corporum ſanguis. Ratio eſt: Sanguis eorum ſi acer, ſi ſalſus, ſi mordax, ſi acidus, ea qualitate ſe munit & tuetur adverſus communem putredinem. Malignus quidem & doloris parens eſt eorum ſanguis ob incluſam qualitatem neſcio quam, quæ naturam ſtimulat & angit, ſed notas non habet facile vulgares putredinis. Ubi enim ſemel talis ſanguis nitroſus, acer, ſalſuſque putruit, dii boni, quantos dolores excitat, quam erroneos & vagabundos, & qui cruces ægrotantium medicorumque dicuntur? In maxima hypochondriacorum parte agnoſco calorem neſcio quem aridum, ſqualentem, mordacem, adurentem & zymoſin fermentationemque in humores facile inducentem, an ratione iſtius caloris ſanguis demendus, an hac ratione calori nativo, viſceribuſque ipſis refrigeratio afferri debet? Qui rerum novarum accenſi deſiderio ſine diſtinctione (id quod artis pars maxima eſt) ſanguinem detrahunt, audacter in eo habitu & temperamento id facient, partim caloris acrimonia inducti, partim ſanguinis maligna qualitate perſuaſi: phlebotomia enim, minuendo calorem, tandem temperabit reliquum, & partem maligni ſanguinis amoliendo, locum generationi melioris præparabit. Item: ſi tum demum bene habent melancholici quum pingueſcunt, temperato & madefacto eo calore ſicco qui in iis marcorem maciemque accerſit, cur non conferet venæ ſectio? Nam & vulgo pingueſacere dicitur. Tollit enim & pravum ſanguinem macici cauſam, & refrigerium affert iſti calori intemperato: ſic ex eventu ſanguinis detractio quamdam ἰυξίαν (p) inducit. Fidem facit experientia quotidiana, facit & hiſtoria extenuatæ illius mulieris apud Galenum, quæ evacuato impendio magis ſanguine pici ſimillimo, priorem habitum nitoremque recuperavit. At dices, viſceribus ipſis inuſta eſt & impreſſa ſicca & ſqualens

4. modis bilis aduſta conſideratur.

De viribus ſanguinis & ſucci acidi, ſalſi, acris (quia quod nutrit dulce eſſe debet) Hip. ad finem lib. de vetere Med. Sanguis melancholicorum non ita facile putret ob qualitatem acrem, ſalſam, acidam, mordacem &c.

Phlebot. melancholicis confert, quia caloris acrimoniam minuit, pingueſacit, & dolorum ſævitiam compeſcit.

(o) Partium ſubtilitatem.

(p) Bonum habitum.

lens intemperies: quid proficias, licet maſſam ſanguinis exhauſeris? unde ſanguis προς τὴν φαντασίαν (q) & aſpectu apparet laudabilis: Et tamen magna pars melancholicorum, præſertim hypochondriacorum, aut febre maraſmode interit, aut tympanite, nonnumquam, ob caloris naturalis ad bonos ſuccos generandos aptis paupertatem, & caloris contra naturam ad κακοφραγίαν (r) facientis, diro hydrope, id eſt aqua intercute: de hoc viderint qui audentius ſanguinem detrahere voluerint. At alia etiam ratio eſt quæ ad liberaliorem ſanguinis detractionem adhortabitur, nempe & frequentia doloris & ſævitia. Si enim conſtat & ex Ariſtotele & experientia ipſa, eos qui atro ſucco abundant, ut dolendi, ita conquerendi, finem non facere, quod doloris præſentius erit remedium ipſa ſanguinis detractione? At dolor non ob calorem, non ob frigus adeſt, ſed ob ineffabilem inexplicabilemque qualitatem ipſius ſanguinis, quam a neſcio qua viſcerum affectione & diatheſi acquirit. Et natura eum ſuccum ut non mitem & benignum refugit, relegatque & quoad poteſt, ſuis facultatis expellentis præſidiis uſa, repellit ac rejicit: hoc dum fit, dolores in partibus nervoſis, quia humor cietur, excitantur. Et unum notandum eſt de iis, quod calcis modo eorum calor fuliginem pravam excitat etiam benignitate alimenti irrigatus: & a ſumto cibo deterius multo habent: immo quaſi febricitare videntur. Nec eſt quod dolor in iis frequens ad ſanguinem demendum provocet. Si autem quoties de dolore conqueruntur, toties ſanguis detrahatur, ut conquerendi, ut dolendi, ita evacuandi ſanguinis finis non fiet: hoc tamen relinquendum erit medentium prudentiæ, ut cui, quando, & quantum, & cur ſanguis mitti debeat, intelligant. Ut enim in jure omnis definitio periculoſa, ita generales propoſitiones in arte medica ſunt periculoſæ: nam diſtinctione & dioriſmo indigent, qui eſt velut anima earum propoſitionum generalium: alioquin in magnos errores promtus eſt lapſus. Hæc eſt doctrina Hippocratis, qui expendens has propoſitiones, omnis caſeus bonus, omnis malus, omne vinum meracum bonum malumve, docet quantis ſubjaceant erroribus qui ne definite eas pronuntiant. Idem de ſanguinis detractione in melancholicis, an facienda, an non, crebriuſne an rarius. Tandem ut commentandi finem faciam, melancholicis, prætim ſi localis in cerebro fuerit melancholia, aut ſi hypochondriaca, bene conſultum volo, conſideratis iis quæ in curſu orationis a nobis ſunt demonſtrata: nam in melancholicis hæc maxime conſiderantur: viſcerum ipſorum calida ſiccaque intemperies: proventus humorum aduſtorum, unde ſcabies, lepra, morphæa, terminthi, clavi, varices, hæmorrhoides, maculæ, exanthemata πυρικαυστὰ (t), ut vocat Hippocrates, cancri, carcinomata, denique formidoloſus ipſe elephas. Præterea cutis obſtructio, fuliginoſi excrementi ſuppreſſio (quod excrementum quia inutile plane, eo natura non utitur ut ſero, ſed quantum poteſt excludere nititur) quæ ſuppreſſio

Unde videmus tumores melancholicos ut cancros, carcinomata plumbo, ceruſſa, ſolano, plantagine, aeizoo juvari. Quia aduſtio ipſa tabeſque humori impreſſa eo remediorum uſu juvatur.

Generales in jure definitiones & in medicina propoſitiones periculoſæ. Lib. de vetere medicina.

Bilioſi quum ſint πλατύφλεβοι (s), tamen tenues ſunt, quia natura non fruitur iſto ſanguine.

(q) Ad phantaſiam.
(r) Malam ſuccorum elaborationem.
(s) Venas latas habentes.
(t) Ab igne exuſta.

ſuppreſſio gravium ſymptomaton cauſa exſiſtit: dolorum frequentium generatio & provocatio modo in his, modo in illis partibus: ut numquam reperias melancholicum ſine dolore, ſive quod ita ſit, ſive quod opinione & τῇ φανταsίᾳ (u) majus quiddam ſit. Et niſi libri noſtri certam fidem facerent de generatione cauſæ iſtorum dolorum, nos crederemus omnes ementitos eos dolores & fictitios: at aliter res habet: quamquam non negamus τὴν φανταsίαν (x) plurimum poſſe in melancholicis. Hæc quum ita ſint, quum ſit viſcerum δυσκρασία (y), obſtructio, ſuppreſſio, proventus humorum acidorum, acrium, ſalſorum nitroſorumque (addo etiam virulentiam & κακοήθειαν (z) & peculiarem putredinem) non tam forte cogitandum eſt de frequenti aut luculenta ſanguinis detractione, quam viſcerum & humorum correctione, quam ἐπανόρθωσιν vocant. Sic frequens uſus balneorum, lactis aſinini, juſculorum (niſi forte borborygmi & fluctuationes & flatuum origo proventuſque impediat) ex carnibus vitulinis paratorum, tranquillitas animi conducit: Denique id quicquid tollens colorem eum plumbeum & citrinum melancholicorum εὔχροιαν, καὶ εὐσαρκίαν, καὶ εὐεξίαν (b) conciliat: tunc enim bene habere creduntur. Ut idem in melancholicis fiat quod in hæmoptoicis conſulit Hippocrates, ut ſanguis velut pinguis & benignus reddatur. At vulgus credit ſanguinis frequentem detractionem pinguefacere, quia minuitur calor acer, febrilis & mordax qui maciei cauſa eſt: Pituitoſum enim fit corpus. Pituita autem alendo eſt idonea, non pus, non ichor, non bilis utraque; ait Galenus *ad part.* 44. *lib.* 2. *Acut.* De uſu medicamentorum dubitatur: nam alii vehementer purgantia calidaque præſcribunt: unde hierarum & confectionum, ut hamech, logodii, Rufi, Archigenis, operoſa concinnatio ad melancholicos definita & deſtinata. Præclarius Meſuæus, qui quodammodo temperat illud adverbium Hippocratis ἀδροτέρως (c), ut non adhibeatur ea vehementia quæ Hippocrati placuiſſe viſa eſt. Nam vult melancholicos non ſemel, non bis, ſed frequentius purgandos, non valide, ut natura evacuationem regat & moderetur, non naturam regat evacuatio. Præclarius Aëtius de emolumento hieræ Archigenis qua melancholici & epileptici juvantur, non quod bilem excernant nigram, ſed quia (ait) diſpoſitio impreſſa partibus ſolidis ſenſim aboletur & exteritur ſine commemorabili excretione humoris. Etiam minima quantitate, ſed frequentius, ſumebatur confectio hæc, ut ſenſim fieret delendo diatheſin, quod nonniſi cum periculo, ſi ἀθρόως (d) id fieret, contingere potuiſſet: contra faciunt quidam Medici celebres purgatores, qui non ceſſant purgare, donec totum corpus exhauriatur & macreſcat. At iſte humor non tam eſt irritandus quam fovendus, alendus, manſuefaciendus. Et malo fundamento utuntur tales Medici, quum melancholici morbi non tam

Ideo Celſus ait, Tenuioribus magis ſanguis, plenioribus magis caro abundat.

6. 7. *Tantifaciendа eſt* εὐδιαφόρησις (a) *in omni morbo, ut non ſit fere alia ratio recuperandæ valetudinis. Ariſtot. problem.* 54. *lib.* I.

 conſi-

(u) Phantaſia.
(x) Phantaſiam.
(y) Dyſcraſia.
(z) Malignitatem.
(a) Facilis diffiatio.
(b) Bonum colorem, & bonam carnoſitatem, & bonum habitum.
(c) Abundantius.
(d) Cumulatim.

consistant in humore, quam in partium solidarum (in quibus ἡ φύσις (e) consistit) vitio & diathesi: id quod cum Archigene animadvertit Aëtius. Ut sensim sentiam me labi in recentiorum opinionem qui morbos quosdam τῆς ὅλης οὐσίας (f) novo exemplo & invento constituerunt. At vereor ne diutius exactiusque de melancholicis comminiscens melancholicus fiam. Circa enim studium, vigilia, vehemens & pertinax exercitatio, commentatio, animique contentio ad eam diathesin inducendam valet. Sed malo commentandi finem facere, ut ne ego mihi pro subjecto & materia fiam. Ego autem misertus dolensque vicem melancholicorum, hanc ad scribendum materiam præsumsi. Maxime vero impulerunt tria, Medicorum non satis considerata in morbis melancholicis curandis ratio, eorumdem pudor, & calamitosorum ægrorum tædium. De Medicis hoc dicam: omnes in melancholicorum cura semper accusant lienem, & quum splen viscus fit frigidius, foris & intus calefaciunt impense: omnes enim herbæ splenicæ fere sunt calidæ & ῥυπτικαὶ (g): Sic lædunt: & ut concedam spleni consulere, reliquo corpori officiunt. Ceterum in his morbis Medicos & pudet tantæ diuturnitatis & querelarum & ægros tædet: sic ut tædio & pudori consulatur, videndum est: alioquin & pro remedio ægris desperatio, & arti infamia pro laude continget.

ANNOTATIONES.

1. *Hanc quæstionem agitat Aristoteles* prob. 38. lib. 11. Cur lingua hæsitantes sint melancholico habitu? an quia propere sequi imaginationem non nisi melancholicum est? hæsitantes autem tales sunt. Nam impetus dicendi præruit & antecedit facultatem eorum, quum animus visa sequatur. Balbos constat habere instrumenta vocalia tardiora: & tales vinolenti redduntur, quum suam imaginationem non rationem sequantur. *Tamen credibilius est, balbos, gracili voce præditos & lingua hæsitantes vere melancholicos esse, non pituitosos, nam idem Hippocrates* 1. Epid. *vocis gracilitatem & hæsitationem oborto varice elidi solvique scribit. Id quod inquisitione dignum est.*

2. *Omnis enim sanguis vitiosus se ipso integro tenuior fit, in serum enim fere degenerat. Hippocrates hoc loco id videtur significare. Sed hæc sententia de sanguine vitioso qui attenuatur est Aristotelis* prob. 2. lib. 10. *Sed si sanguis putrens per putredinem fit seipso tenuior, qui stabit illud Hippocratis* lib. de carnibus, *quod aqua putrefacta seipsa fit crassior, ut & cetera omnia? An illud verum? Mirum quod hoc tempore tantum sit seri in sanguine: Sexcentis (ait Galenus) quotidie venam secamus, paucissimam aquam supernatare reperimus, sanguine concreto, quamquam omnibus quibus vena secanda est, corpus male est affectum, & læsa omnium naturalis administratio, tum ne his quidem aqua supernatat, nisi pauca; naturaliter habente corpore, renes*

(e) Natura.
(f) Totius substantiæ.
(g) Deobstruentes, abstergentes.

renes ſerum perpurgant: cap. 6. lib. 5. De uſu partium. *Et quæſtio, id quod abſceſſus eſt in partibus extra vaſa, id ipſum eſt febris in venis, unde quod pus eſt in abſceſſu, id eſt hypoſtaſis in venis; in morbis venarum per putredinem tenditur ad attenuationem, nam ſanguis ſeroſior fit & tenuior (id quod in febribus quartanis fit) in abſceſſibus tenditur ad craſſefactionem. Sanguis aqua multa dilutus non probatur, vulgo a Medicis. Tamen ex Hippocrate* 4. de morb. *non videtur ea aqua inutilis: nam febri aqua eſt inimiciſſima: bilis & humor bilioſus nutrimentum eſt febris. Ex eo loco probares ſudores eſſe inutiles, quia exhalat aqua, quæ bilem & calorem temperaret, remanetque humoris pars craſſior & velut ſtrigmentum.*

3. *Ceterum animadvertere oportet ſanum dici bifariam, abſolute, & late. Melancholici qui perpetuo parte aliqua laborant, etiam ſani dicuntur, ſed late: & tamen dolent, dolor autem contra naturam eſt. Illi non abundant maxima ex parte ichore, ſed flatu. Ichore non ita abundant nec febriculoſi ſunt: flatu non abundant qui πνεῦμα quoddam amicum eſt, ſed qui φύσα, de quo Hippocrates librum ſcripſit. Sic ſurditates quæ in febribus contingunt, item & parotides, utræque quum per raptum mixtionemque bilis eveniunt, cruditatem etiamnum morbi indicant. Et inter locos Galeni commemorabilis eſt iſte, quum dicit, crudum tamdiu morbi dici, quum bilis cum ſanguine permiſcetur.*

4. *Melancholici nec ſano ſunt corpore, nec animo, licet magnorum ſint facinorum auctores. Strenue & vehementer agunt & habent inſipientiæ & ſapientiæ intervalla. Idem iis contingit, quod & amantibus Comici contingere dicunt; horum diſputationes ſana conſilia habent aliquando, ſed ſtatim reſurgentis amoris vi ac ſævitia devincuntur.*

5. *Didicimus ex Galeno* ἐξερύθρους (*h*) *& ſanguineos melancholicos fieri: & Galenus ad* part. 70. lib. 3. Epid. ſect. 3. Quibus multus ſanguis & calidus generatur ii promte in melancholicorum humorum vitium deveniunt. *Bilioſi qui venas amplas habent & ſanguinem fervidiorem facile fiunt melancholici. Nam calor magnus & materia multa, multam exuſtione fuliginem excitat, ait Hippocrates*, part. 1. ſect. 6. lib. 6. Epid. *Neſcio cur Plinius* cap. 38. lib. 11. *dicat bilioſos abundare ſanguine & eo pingui: Neſcio cur dicat ſanguinem pinguem: nam ſoli obeſi, & qui ſanguinem pinguem habent, non fiunt melancholici.*

6. *Faciei pallor eſt in maxima melancholicorum parte. Unde ait Celſus*, quibus diu color (*ſine ictero*) malus eſt, ii vel capitis doloribus conflictantur, vel terram edunt. *Deinde paullo poſt agit de pallida & tumida facie* cap. 7. lib. 2.

7. *Paſſim diximus in melancholicis (maxime per aduſtionem & ſuppreſſionem) fuliginoſum eſſe excrementum, quod eſt multorum malorum cauſa: Ideo reſeratio cutis & temperatio prodeſt. Nam quum bilioſi & calidi ſanguinis æſtum in præcordiis habeant, multam excitant fuliginem. Ita ait Hippocrates* 6. Epid. Calidior venula (*id eſt arteria*) ſanguinis copia exuſtum gignit.

(*h*) Prærubros.

8. *Herbæ ſplenicæ & quæ dantur melancholicis ſi non vincant calore, tamen tenuitatem partium habent & ſiccant. Sic in earum uſu erratur, unde Avicenna in quodam capite loquens de cura dolorum capitis, de humoribus iſtis melancholicis locutus ait*, Si doloris cauſa ſit ſuccus melancholicus & is naturalis & phlegmaticus, adminiſtrentur calefacientia cum humectantibus: Si aduſtus ſuccus melancholicus, remove omne exſiccans, & calefaciens, & ſis contentus humectantibus. *Id quod notandum eſt, nam ἀδιορίστως* (*i*) *videmus tenuantia, calefacientia & ſiccantia melancholicis præſcribi: Et tum maxima pars melancholicorum fit ab aduſto humore. Quorſum enim audito melancholici nomine ſtatim ad capparis corticem aut decoctum myricæ ſeu tamariſci confugitur? Cortex capparis abſtergit, incidit, excalefacit, digerit, contrahit, denſat &c. Quid opus his viribus in plurima melancholicorum parte, quum ea viſceribus calidis & ſiccis eſſe videatur? Immo Dioclis opinione in iis lactium venæ ardeant & inflammentur. Tamariſci etiam cortex digerit & ſiccat, quorſum ad melancholicos qui ſicci & ſqualidi apparent?*

CONSILIUM V.

De Cauſo.

1. DE febre, quæ Græcis Καῦσος, Latinis ardens febris, barbaris Cauſon dicitur, pauca commentari mihi conſilium eſt: De ejus cauſa, ſignis aſſidentibus & pathognomonicis: De ſede humoris: De criſibus: & de cauſo proprio loqui animus eſt, prætermiſſo & relato in aliud tempus cauſo illegitimo. De utroque auctor *libri* 4. *Acutorum* abunde ſed confuſe ſcripſit. Cauſa autem quæ nos maxime impulit ut hoc negotii ſuſciperetur, eſt varietas opinionum. De pathognomonico ſigno veri cauſi video enim Galenum quodammodo varium, maxime dum loquitur de ſiti, quæ ἀχώρεστον (*k*) & ſignum pathognomonicum febris ardentis eſſe perhibetur. Et tamen aliis in locis non neceſſario adeſſe ſitim apparet, quum tamen facultas naturalis integra ſatis videatur. Et tamen quum Medici hominem cauſo correptum ſitis expertem vident, exſtinctam facultatem eſſe autumant. Ita enim Hippocrates: *In cauſo ſitis ἀλόγως* (*l*) *malignum*: Quod ſi neceſſario ſitis adeſſe non debet, id in malis non eſt ponendum. Itaque ea de re videndum eſt, ut conſtet de ſiti ubi adeſſe aut abeſſe debeat.

2. Primum audiamus Galenum de diſtinctione febris tertianæ veræ & ardentis, quoniam utraque habet aliquid ὁμογενές (*m*). Ardens & tertiana febris materia conveniunt, loco ipſius materiæ non conveniunt; ut fiat febris

Comm. ad part. 20. ſect. 2. lib. 1. Epid. & cap. 3. lib. 2.

(*i*) Indiſtinctè.
(*k*) Inſeparabile.
(*l*) Sine ratione.
(*m*) Homogeneum.

febris ardens, in venis præcipue jecoris & ventris, ubi maxime bilis abundat: tertiana fit quum totius corporis carnes nimis affluunt bile. Si carnes bile affluunt, non est necesse rigorem in tertiana excitari a vasis in habitum corporis per propositionem, omnis rigor, aut ab ulcere, aut a vase: Ideo si cutis stringatur biliosorum, & quantum bilis in carnoso congestum genere ante expurgabatur, quia in statu ab Hippocrate descripto, non purgabatur, ideo febres tertianæ natæ fuerunt. Hinc patet in venis ventris & jecoris bile putrefacta & accensa causon gigni: tertianam bile in universo corporis genere carnoso congesta & accensa.

de crisibus: in tertiana enim per totum corporis habitum bilem ferri ait.

Nunc est differentia de loco. Sed est locus alius qui prædicto quodammodo adversatur. Eo loci inquirit Galenus de sede ardentis febris & de pathognomonicis signis, præsertim de siti, quæ alias pathognomonicum ardentis febris putatur. Galenus ita scripsit: *In una corporis parte, quæcumque illa sit, interdum causus gignitur, interdum in toto corpore. Si in toto sit corpore, sitis adest necessario, quum vero in una parte, non de necessitate sitim infert, nisi pars ipsa sitim pariat. Omnium primum id facit os ventriculi, deinde ventriculus, post stomachus, post pulmo, & subinde jejunum intestinum.*

Ex hoc Galeni loco duo commemoratione digna venari oportet. Prius est quod non videatur stare differentia inter causon & tertianam simplicem. Prius enim dixit tertianam gigni quum totius corporis carnes bile abundant: hic causi sedem unam statuit totum corpus, alteram, partem unam: hic & causi & tertianæ febris focum statuit in totius corporis carnibus. Quæ ergo differentia est? Et paullo ante in eodem commento apertius explicat quid universi corporis nomine intelligat. Si in sola parte materia redundet, aut ab ea attrahatur, erysipelas exsistet; verum si venæ totius corporis exsiccatæ carnosis e partibus humiditates attraxerint, in toto corpore affectio excitabitur, quæ causon referet: Id quod majorem quamdam sollertiam requirit ut intelligatur. Ægre enim intelligi potest qui & causus, & tertiana febris in toto corpore excitetur & foveatur: unde movens eam quæstionem Galenus dubitando ait: An solum causus fit quum venæ arefactæ biliosos ichores allexerint? Annon & carne patiente causus erit, seu in parte una, seu in toto corpore pati eam contigerit?

3. *Ex eo Gal. loc. magna Italorum medicorum pars in febre tertiana corpus univers. superficiar. scarificationibus evacuat.*

Posterius quod ex contextu Galeni colligitur, est, quod sitis non est causi pathognomonicum: Inseparabile enim foret, quum de essentia ipsius febris ardentis dicatur. Ait enim Galenus alias in causo sitim adesse, alias non: Adesse, si in toto corpore focus sit febris, aut si pars quædam focus sit quæ necessario sitim accersat: non adesse, si pars aliqua laboret & focus sit qui sitim necessario non afferat. Sic in causo omnino & necessario sitim adesse non oportet. Ideo Medicus de causo præsagiens si quempiam causo implicitum viderit & expertem sitis (quæ alioqui magna esse debet) non statim male ominari debet, & vacuitatem absentiam-

4. *Sitis quando est. Tamen in Epid. lib. 1. Quod sitiant causo capti, hoc proprium est febris καυσώδους (n). Gal. com. ad aph. 17. lib. 4. Acuta febris.*

(n) Ardentis.

fit humorib. putrentibus. Putrescunt vel sæpe toto corpore, sæpius in vasis solis.

que sitis facultatis naturalis intermortuæ signum esse existimare: id quod ad honorem dignitatemque Medici apprime pertinebit.

Comm. in part. 33. sect. 3. lib. 3. Epidemior. ardentem febrê & phren. affect. esse ἐρυσιπελατώδεις (o) declarat.

Sed est apud Galenum locus alius aliud quam ante edocens: *æstuare, ut & perpetuo sitire, est ardenti febri peculiare. Nullum aliud est insigne argumentum. Est enim sitis assidua & exurens calor, quæ duo perpetua sunt. Hippocrates* (ait Galenus) *ardentem febrem assiduitate sitis cognoscit & caloris exurentis, ut phrenitin delirio assiduo.* Sit alia febris quæ corpus fundat & liquefaciat, non prius tamen vocabitur ardens quam adjunctam habeat perpetuo sitim immensam, & ardentem & fastidiosum calorem. Et tamen Hippocrates narrat de febribus ardentibus in quibus ægri erant soporosi & non multum sitiebant: nec enim febris valde acuta erat. Sed hoc raro contingit ut non sit vehemens sitis, præsertim si febris non ita sit acuta, licet ardens exsistat.

An sitis signum causi pathognomonicum. Comm. ad part. 34. sect. 3. l. 3. Epid. part. 34. ejusd. sect. ad particul. 14. sect. 3. lib. 3. Epid.

Et alio in loco narrat Hippocrates in quadam constitutione ardentes febres & phrenitides vagatas fuisse, deinde subdit: *Et alii sitibundi erant, alii non.* Ita Galenus: *Potuissent aliqui non sitire vel ob facultatis potum appetentis offensam, vel quia maligna humiditas illis ad ventrem non confluxerat. Omnibus enim putrida quædam humiditas fuisse collecta, sed non pari portione, nec æque prava. Alii sitibundi erant, quia confluxerat humor vitiosus in ventrem. Nam quum bilis, vel pituita salsa ventriculi tunicas imbibit, sitis inexplebilis excitatur: tum quia os ventriculi nondum ab humore ita læsum erat, ut facultas corrupta foret.* Tamen omnino, saltem ut plurimum, sitis intolerabilis est comes ardentis febris. Ideo auctorem *libri quarti Acutorum* redarguit, quod non tamquam pathognomonicum sitim annumerarit describens Καῦσον (p), sed tantum inter συνεδρεύοντα, id est, assidentia retulerit. At signa συνεδρεύοντα possunt & adesse & abesse.

Hic locus maxime facit ad dignoscendũ cur quidam in febre ardente non sitiant, & sint cibi inappetentes. Comm. ad part. 4. l. 4. Acut. ἀνακεφαλαίωσις (s), de sitti. 4. Acut. part. 13.

Ut tandem de siti aliquid constet, ut ne decipiamur frustraque & imprudenter de ægris aliquid non pronuntiemus. In febre ardente sitis adesse debet, ut absolute dicatur aliquid, & e genere τῶν παθογνωμονικῶν (q) est, non autem e genere τῶν συνεδρευόντων (r): nam si e genere assidentium foret, abesse posset sitis sæpe. Tamen, ut ante declaratum est, est causus in quo non sit necesse adesse sitim, præsertim si focus causi sit particularis, & in ea parte quæ inflammata & erysipelatis modo affecta sitim non provocet: quæ Galeni sententia est, ut doceat exsistere causon quemdam, cujus pathognomonicum non sit sitis. Et tamen semper audire oportet verum causon: nec enim mirum si in causo non exquisito non ita inexplebilis sitis adsit. Quamquam Hippocrates etiam loquens de secunda specie causi quem pituita salsa generat, inter signa magnam sitim recenset.

Quibus de causis sitis quæ adesse debet in causo non adsit.

In causo si quæ sitis adesse debet, non adsit, his de causis id fieri potest, vel quia, ut dictum est, focus non est in parte quæ sitim afferat: vel quia mens læsa est, ut affectionis sensus non sit, & nil repræsentetur

(o) Erysipelatodes.
(p) Febrem ardentem.
(q) Pathognomonicorum.
(r) Concomitantium.
(s) Recapitulatio.

tur animo ipsi, quia mens (in qua est τὸ κριτήριον (t) labat & ægrotat: vel quia facultas naturalis potionis appetens in ventriculo residens exstincta est. Omitto communem illam vulgaremque causam, nempe descensum & distillationem pituitæ dulcis qua tonsillæ, & fauces irrigantur. Si impedita sit tantum ad tempus aut languidior, sed non exstincta & emortua facultas, potest sitis ad tempus non sentiri, deinde percipitur: Notandum porro est facultate naturali ventriculi emortua, sitim non adesse, quia impressionem causæ sitiferæ huc referre autumant. Mente quoque labante & læsa, non putat se sitire æger, quia mens speciem istius affectionis non recipit. Id obscurum est, sed si quis intelligat qua ratione is doloris sensum non habeat cujus mens ægrotat, distinctionem istam haud dubio est percepturus.

Ceterum quum sitis absentia in causo abolitæ facultatis index est, alia signa letalia recenset Hippocrates.

Comm. ad part. 14. sect. 3. lib. 3. Epid.

Item ante ex Hippocrate & Galeno diximus non adesse sitim in causo, ut quum putrens humiditas in ventrem non influxit. Est & ex recentioribus quidam, qui unum non negligendum adnotavit, nempe cur sitis sit aliquando major quam febris, & cur sit minor quam febris. Sitis major est quam febris, ut quum in inflammatione juxta os ventriculi arescit magis os ventriculi quam cor exuratur: Et contra, quum facultas languet, aut venter multa natat humiditate sitis febri non est analoga, est enim minor quam febris. Ego vero etiam ea de re meum interponam judicium: Vidi plerosque febrientes ardente febre, aut non valde dissimili, & tamen quum calor esset acerrimus, lingua exusta, signaque forent ardentis febris, tamen non aderat sitis, aut ea mediocris. Ratio vero non referenda videbatur ad aliquam causarum suprapositarum, sed ad instrumenti propriam affectionem. Lingua quum sit aut pellucida, aut nigra exustaque, & totus stomachus, cui illa continua est, eo pæne modo affectus sit, arentibus iis partibus & supra modum siccatis non percipitur sensus indigentiæ, quia nervus subjectus linguæ non est eo modo affectus & dispositus esse quo debet: itaque vacuitas absentiaque sitis non est signum emorientis facultatis, sed indicat abesse sitim, non causam quidem ejus, sed sensum necessitatis & indigentiæ sitiferæ deesse ob partes male affectas, utpote superficie exusta & torrefacta, in quibus causæ sitiferæ prima impressio & sensio esse debet. Hæc nostra est conjectura, quæ si cui probabilis videatur, excipiatur, sin minus, verisimiliore probabiliorique adducta, explodatur.

Cur sitis major aut minor sit quam febris.

6.

Instrumenti propria affectio causa est vacuitatis & absentiæ sitis.

Itaque non quoties in causo sitis abest, quæ tamen παθογνωμονικὸν (u) esse creditur, toties male ominari de causi eventu oportet, nec statim de ruina & casu facultatis naturalis in ventriculo & hepate residentis, judicare, quum certis aliis de causis abesse sitis possit. Ad sententiam Hippocratis accessit Fernelius *cap. de febrium symptomatis*, *Interdum*, ait, *corpus febri exardescit sine siti: non quod frigida distillatio alvum proluat, sed quod ardoris causa longius sit a ventriculo.* Quæ Hippocratis opinio est.

Ante-

(t) Criterium.

(u) Pathognomonicum.

Antequam finis extremaque manus huic πραγματείᾳ (x) imponatur, duo breviter attingam quæ ad hoc de cauſo inſtitutum pertinebunt: Prius eſt, cur in cauſo extimæ partes inalgeant: Poſterius de cauſis ipſius καύσου (y) ex Hippocratis mente, maxime vero de procatarcticis quas videtur Hippocrates in cauſi generatione plurimi feciſſe.

Part. 16. l. 4. acut.

De priori parte dicemus, incipiendo ab iis quæ dicuntur ab Hippocrate de ſecunda cauſi ſpecie, in qua dicit, lingua ſalſa, extrema frigida: cur potius meminit extremorum frigidorum in ſecunda cauſi ſpecie quam in prima. Primam ſpeciem excitat attractio ichorum bilioſorum a venulis arentibus: ſecundam pituita potius ſalſa. Galenus tacite redarguit auctorem *libri quarti acutorum* quod indiſtincte dixerit in cauſo ſecundo & notho frigere extremas partes: nec enim frigent extrema niſi quum malignus eſt: (malignum autem morbum dicimus eum qui communem ſortem aliorum morborum ſuperat, & ægre curationem admittit.) Si enim non eſt malignus cauſus, in extimas partes calor expanditur. Si ſalſus humor vel in pulmone, vel ventre, vel in hepate putruerit, fumoſa eſt caliditatis ſubſtantia. Si malignus morbus, refrigerantur extrema ob virtutem imbecillam, & ob magnitudinem phlegmones ſanguinem univerſum ad ſe attrahentis. Duabus enim de cauſis morbus letalis dicitur. Nota imbecillitatem & phlegmonem duas eſſe cauſas. Galenus *in aphor.* duas cauſas memorat ob quas febris continua exſiſtit, nec tendit πρὸς τὴν ἀπυρεξίαν (z), inflammationem & malignam humorum putredinem. Inflammatio præſertim ἀξιόλογος (a) retrahit intro calorem: & maligna humorum putredo & κακοήθεια (b) humorum vires imbecillas affert. Galenus *in prorrhetico* explicans quæ cauſa ſit cur vires ad ſummum veniant imbecillitatis, nulla præeunte vacuatione, duarum cauſarum alterutram aſſignat, vel copiam gravantem, vel unius principiorum δυσκρασίαν (c). Inflammatio vero partium internarum an morbum facit malignum? Id Galenus videtur loco ſupraſcripto, item & Hippocrates, ita enim, *Febres ex hypochondriorum doloribus malignæ*: Quæ ſententia indiſtincte pronuntiata: *febres*, ait Galenus, *non omnes febres malignæ ſunt quæ ſequuntur affectionem partium in ventre contentarum; ſed ſi ob ſeptum tranſverſum affectum, aut hepar, aut ventriculum contingant.* Deinde ait, *Quinetiam licet ventriculus inflammetur, aut ſeptum, aut hepar, non ſtatim febris maligna eſt dicenda, acuta forte dicenda, quamquam ne hoc quidem verum eſt, nedum maligna ob phlegmonem harum partium dicenda videatur.* Unde idem Galenus *non ſemper æſtuans febris ſequitur ad uteri inflammationem*: Id quod non omnino verum videtur. Niſi forte dicamus eos Galeni locos audiendos de inflammatione aut parva aut magna. Et dum Hippocrates meminit dolorum hypochondrii, tacite inflammationem inſinuat cujus comes eſt dolor. Quamquam ut ingenue fatear, indiſtincte pronuntiatum

7.

8.

Inflammatio & maligna humorum putredo cauſæ ſunt ob quas continua febris ſit. Comm. ad part. 5. l. 2. prorrh.

9.

Ad part. 21. ſect. 2. prorrhet. Galen. in com. præcedentis particulæ.

(x) Pragmateiæ.
(y) Febris ardentis.
(z) Ad infebricitationem.
(a) Notabilis.
(b) Malignitas.
(c) Dyſcraſiam.

tiatum eſt illud, *Febres ex hypochondriorum doloribus malignæ*: id quod Galenus reprehendit. Melius enim veriuſque diceret, febres ex cerebro, vel membranis affectis, vel a corde affecto, vel ventriculo affecto, malignæ. Ergo non abs re quæſivi an febris ex eo maligna dici poſſet quod phlegmonem etiam ſatis inſignem partium internarum ſequeretur: In utramque partem rationes nituntur.

Perſequamur inſtitutum noſtrum περὶ κακοήθους (*d*), & de cauſis perfrigerationis partium extimarum tum quum omnia intus ardent & conflagrant. Id quod in continuis febribus convenit, in intermittentibus numquam obſervavit Galenus. Solis ardentibus malignis & lipyriis attribuit idem auctor. *Cauſa hæc eſſe putatur; quum fortis phlegmone vel eryſipelas interno profundoque evenerit in corpore; totus ſanguis ad locum patientem revocatur, uruntur profunda, cutis refrigeratur, ut fit in principiis acceſſionum.* Sed an iſta phlegmone vel eryſipelas malignæ febris, quatenus talis eſt, eſſentiam conſtituit? Quod enim ante diximus ex Galeno melius dici febres malignas ex affecto cerebro, vel jecore, non hoc abſolute dicit Galenus, ſed quaſi diſputando & oppugnando ſententiam auctoris *Prorrh.* de febribus ex hypochondriis, probabilius eſſe ait pronuntiare febres ex affecto cerebro eſſe malignas, non autem febres ex hypochondriorum dolore, quod tamen auctor *Prorrhetici* explicavit.

In Cauſo frigent extrema, id quod malignitatis ſignũ eſſe ſuperius eſt dictum, id quod falſum eſſe ex eo loco hic ex Gal. citato patet ad partic. 14. ſect. l. 6. Epid. Galen. com. ad præfat. ſect. 2. lib. 3. Epid. ubi ex profeſſo expendit hunc aphoriſm. an febres ex hypochondriis malignæ.

Ut terminetur diſputatio de perfrigeratione partium extimarum in cauſo, maxime vero in eo quem pituita ſalſa putrens parit, ita Galenus audiendus: Extrema frigere in cauſo & febre quæ ἀωσώδης (*e*) dicitur, ob magnam viſcerum inflammationem contingit, quæ phlegmone ex craſſis fit ſuccis. Qui prima cauſi ſpecie tenentur, quem parit ichor & tenuior bilis, liberantur facilius, quod tenuis & fervens humor ſit. Poſteriorem cauſon pituita potius ſalſa gignit quæ tantam febrem, quantam bilis, non affert, nec tantam ſitim, nec ita in ſpiritum vertitur & evaneſcit: immo ſæpe adeſt alvi profluvium non juvans, quia non ita facile coquitur & obſequitur iſta pituita putris.

10. Comm. ad aph. 48. lib. 4. ibidem. Ad part. 47. lib. 4. acut. In textu Gal. ait, nec febrẽ auget.

Declarant quoque & ipſæ criſes: nam quum tenuis eſt materia, criſis fit per abſceſſum κατ' ἔκκρισιν (*f*): quum craſſior & pituitoſior, per ἀπόθεσιν (*g*): unde cauſus ſecundus per parotidem aut hæmorrhagiam ſolvitur, quum focus in pulmone eſt: ſi in jejuno inteſtino vel hepate, coxarum dolor, pudendi livor, teſtis ipſius contentio, vel quia in eo ipſo teſte inflammatio concipitur, vel quia attrahitur ab aliqua parte ſuperiore inflammata, hæc, inquam, omnia judicatoria exſiſtunt. Antequam finio, unum addam, an acutarum febrium materia, licet pituita ſit, frigida eſſe poſſit, ut ratione iſtius frigoris materiei & extimæ partes algeant, & frigidi ſudores emanent. Galenus vult acutas febres gigni vel in ſolis vaſis putrentibus humoribus, vel in toto corpore. Et quod frigidus ſudor ſit in acuta febre, hanc cauſam recenſuit. Quum putreant humores in vaſis,

11. Ad part. 17. lib. 4. acut. An acutarum febrium materia frigida. Quis ſit focus febrium acutarum. Comm. ad aph. 37. lib. 4.

(*d*) De malignitate.
(*e*) Faſtidioſa.
(*f*) Per excretionem, per effluxum.
(*g*) Separationem, ſecretionem.

vasis, eoque ex putredine magna caliditas sit, & tamen quæ excernuntur frigida sentiuntur, exitiale id est; docet enim in animalis corpore humorum multitudinem superabundare tantam frigiditatem habentium, ut nec a calore nativo, nec a febrili calescant. Sic acuta febris mala ut signum & ut causa: causa quidem, quia promte dissolvit corpora: signum autem, quoniam humorum multitudinem esse frigidissimam ostendit, ut quæ neque a calore febrili transmutetur.

Quomodo in Causo non conferat venæ sectio. Et ad hunc scopum Aristot. probl. 6. lib. 1. & probl. 29. ejusd. libri quærit cur hieme febres ardentes sæpe grassentur.

Ex hoc loco duo venari & colligere possumus, unum est, acutarum febrium etiam causam frigidissimam esse; posterius si ita sit, & si ex Galeno pituita salsa causi causa sit, cur ita sanguis audacter demitur in causo: quum ita sit materia frigida ut neuter calor & nativus & febrilis calefacere queat? Deinde Galenus sibi non constat, quorsum enim frigidi sudoris causam ad materiam ita frigidam refert? Idem enim esse judicium videtur de frididis sudoribus & de partium extimarum perfrigeratione. Causa enim cur in causo algeant partes extimæ, interioribus ita ardentibus, est phlegmone interna visceris alicujus, & imbecillitas. Phlegmone & incendium internum attrahit foris intro more cucurbitularum, ipsum calorem naturalem: Idem vero de externarum partium frigore & frigidi sudoris causa, videtur esse judicium, sicque Galenus sibi dissentit: nam frigiditatis partium externarum causam ad phlegmonem internam revocat, sudorum frigidorum causam ad materiæ frigiditatem.

12. *Comm. ad aph. 19. lib. 2.*

Non est ergo recurrendum ad copiam materiei frigidæ tamquam acutarum febrium causam. Galenus enim scribit morbos longos a crassis & frigidis humoribus nasci; acutorum morborum, præsertim qui vel sunt continuæ febres, vel febres comites habent, causa est humor calidus & tenuis qui vel æqualiter in omnibus corporis partibus aptus est generari, vel loco aliquo est inclusus: Ideo in acutis morbis subitæ fiunt mutationes ob naturam humorum morbum committentium. Nisi forte recurramus ad id quod scripsit Galenus ad histor. de Sileno & Philini uxore, pessimos & gravissimos esse morbos in quibus pituita & bilis magna copia (& fere æqualiter) colligitur. Sic bilis adurentem calorem movet, pituita & succus crudus calefieri nequit, unde sudorum frigidorum proventus. Nec revera admittere possum istam Galeni rationem qua dicit febrem acutam pessimam esse ut signum quod significet multitudinem materiei frigidissimæ: Melius in eodem commentario dixerat succis exputrentibus in vasis vehementem caliditatem sequi posse, naturam vero solidas partes regentem, id est calorem nativum, ex eodem Hippocrate, aut exstingui aut proximam esse interitui, dum in febre acuta in qua omnia & foris & intus ardere debent, sudor frigidus apparet, & partes extimæ inalgent. Idem Galenus exponit *in Epid.* quomodo respiratio initio morborum acutorum sit frequens, deinde rara, & corpus refrigescat, quia humores putres æqualiter accensi sunt, & discusso calore febrili tam paucus restat calor nativus, ut proxime occumbat.

Ad aph. 27. lib. 4.

Causarum procatarcticarum observa-

Ultimam partem rerum institutarum expediamus de causis procatarcticis quatenus ad causon pertinebit. Nam quum ichores acres a venulis

arefactis

arefactis attrahuntur, & febris καυσώδης (*h*) excitatur, id in causis antecedentibus numeratur. Sed labor, vigilia, haustus vini meraci post insolatum externarum causarum in censu esse creditur: breviter id attingemus. Sunt ex Medicis qui causas procatarcticas negligunt, sunt qui pluris faciunt: nam quum extra corpus positæ sint, videntur negligendæ: tamen καὶ πρὸς τὴν διάγνωσιν καὶ τὴν θεράπευσιν (*i*) non parum habent momenti: vulgus fere totus est in causis externis, & frustra eas causas tanti facit: nec enim videndum quid morbum faciat, sed quid tollat, ait Celsus. Externæ causæ internas & antecedentes quasi irritant & provocant. Ab externa enim causa fere fit initium motus, id quod eleganter indicat verbum προκαταάρχειν (*k*). Huc pertinet quod Galenus scripsit, *Causæ externæ diarias febres excitant si corpus morbo non sit opportunum*: Et ita laborasset Silenus, sed quia jam ad aliquid deterius aptum & comparatum erat corpus, ideo gravi morbo est implicatus, unde statim morbi initio gravia diraque symptomata apparuerunt. Et causæ procatarcticæ tam letalem morbum non produxissent, sed internas causas provocantes & lacessentes, mutuas quasi operas in perniciem Sileni dederunt. Sed ut omnis ea de re tollatur ambiguitas, adduci debet auctoritas Galeni qui quodam loco de istis causis procatarcticis amplissime dixit omnemque dubitationem levavit. Et quoniam ille textus paullo prolixior est, piget transcribere. Tamen propter utilitatem huc transferam: Hippocrates non purgat eos qui ob intempestivos labores capite dolent. *At corpore nostro ad morbosam dispositionem parato, ut prope completa sit, aliquid externum accidens eam affectionem patefecit, febrem accendens, vel capitis dolorem, vel catarrhum. Deinde ex eo continenter ad morbosæ affectionis dispositionem non sine periculo languent: & tamen non cursus morbum excitavit, aut motio, aut intemperantia. Nil enim horum sua natura vehementem languorem excitare potest. Si febris ex his causis sit, diaria est.* Si enim nulla subsit dispositio, nullum morbi genus inde consequetur.

tio non negligenda in medicina facienda.

Ad histor. de Sileno 1. Ep. Inter homines qui a causis procatarcticis moventur & excitantur, hic in solam diariam incidet, hic non ægrotabit, ille in morbum gravem labetur. Quare? quia ita ad morbum erat dispositus.

Com. ad part. 115. sect. 4. ac.

Et tamen, ut aliquid nostro ingenio comparatum afferamus, potentissimam vim passionum animi esse affirmamus. Causa hæc πρόφασις (*l*) nec-ne dicatur, tamen ubi quis ex ægritudine tamquam causa procatarctica in morbum incidit, gravissime omnium laborat. Ipsa enim ægritudo imprimit nescio quid animo; deinde corpori, animi instrumento, unde functionum omnium & omnis œconomiæ ratio, &c, ut ita dicam, cardines concuti ac convelli videntur. Et nisi ipsa ægritudo resederit, ægre autem levatur ac residit, vix ac ne vix quidem corpus suum primum robur ac vigorem recuperat ac resumit. Declarat hecticarum promta ob ægritudinem animique pathemata & mœrorem generatio. Quod enim vix longo intervallo facit febris etiam satis magna, id est, contactis partibus & solidis partibus ipsius cordis hecticam non generat, id brevissimo spatio facit mœror animique ægritudo. Immo nostram ipsi experien-

Causæ procatarcticæ ad morbos graves inducendos sunt inefficaces, nisi corpus suscipiens ita sit dispositum.

13.
14.

(*h*) Inflammatoria.
(*i*) Et ad cognitionem & ad curationē.
(*k*) Præincipere.
(*l*) Occasio.

De viribus ipsarum ægritudinum Auctoris sententia.

tiam judiciumque interponemus. Nos nos (inquam) in ipsis operibus Artis experientia didicimus eos omnes quos mœror ægritudoque animi in morbum, tamquam primaria ac externa causa, conjecerit, aut letaliter aut gravissime periculosissimeque ægrotare : vix enim ægri, si liberari debent, etiam rebus omnibus rite factis, liberantur : tanta est vis ipsius ægritudinis pathematumque animi. Nam quum omnis ægritudo miseria est, tum etiam est carnificina : habet ardorem libido, levitatem lætitia gestiens, humilitatem motus : Sed ægritudo majora quædam affert, tabem, cruciatum, afflictionem, fœditatem : lacerat ipsa, exest animum planeque conficit.

Hæc ex Marco Tullio in Tusculanis.

15. Itaque quum ægritudo tale sit monstrum & quod renascentis hydræ instar repullulet ac reviviscat, qua possumus ratione, & animo pæne herculeo oppugnemus, vincamus, elidamus, conteramus. Denique eam animi præsentiam infractionemque adhibeamus quæ masculam virilemque virtutem in nobis inesse declarat ac testatur.

ANNOTATIONES.

1. *Hippocrates causon fieri autumat quum venulæ arefactæ acres & biliosos ichores ad se traxerint : In Græco nomen plurale τὰ φλέβια (m) legitur. Et ajunt quidam ex Hippocratis doctrina, causon proprie gigni quum venulæ attraxerunt, ut ἐν τοῖς φλεβίοις (n) causus consistat, sed aliæ febres continuæ ἐν ταῖς φλεψὶ, id est in majoribus venis.*

2. *In causo alvus sæpe fluit per inflammationem jejuni intestini & lactium, unde & impeditur ἀνάδοσις (o), & fit bilis & ichoris generatio, unde alvi irritatio, unde quando post causon succedit hydrops, is habet fere conjunctum fluorem alvi : quod notandum est ; unde in tali casu & balneum potest conferre, ut diximus alibi : Et phlebotomia ratione inflammationis potest conferre, (id quod multis non placet) etiam alvo fluente. Et revera in causo vero & illegitimo fluit soluta alvus nullo profectu, ob lactium & jejuni inflammationem & propter immodicum potum, & corruptionem alimenti quod in corpore & ventre bilioso & æstuante bilescit, unde excernendi calcar. Unde quum in febribus aqua summo sit remedio ad sitim, quæri solet an confertim & raro, an parum & sæpe propinanda; rationes utrimque concurrunt : Vid. Aristotelis* probl. 57. lib. 1. probl.

3. *Quæ ob solam flavam bilem febris accenditur, sine aliquo visceris affectu, etsi maneat adhuc intra vasa bilis, ardens febris vocatur.* cap. 6. lib. 2. de crisibus.

4. *Febres acutæ fiunt putrentibus humoribus. Putrent autem sæpius toto corpore, sæpius in vasis solis.* Com. ad aph. 37. lib. 4. Com. ad part. 33. sect. 3. lib. 3. Epid. *Quibus in jecoris & ventris regionem, maxime in ejus os κακοχυμία (p) irrepserit, hos ardentes febres sollicitant.*

5. *Inter*

(m) Venulæ.
(n) In venulis.
(o) Distributio.
(p) Cacochymia.

5. *Inter ceteros locos ex quibus colligas causi sedem esse in habitu corporis, unus est* com. ad histor. 10. sectio. 2. lib. 3. Ep. *ubi ait febrem ardentem a biliosis esse humoribus, ideo necesse esse in ea muliere coacervatum humorem biliosum* κατὰ ὅλον τὸν ὄγκον τοῦ σώματος (q), *per totam corporis molem: At in primis venis & simo jecoris cruditates fuisse, unde alvi profluvium & urinæ tenues. Sic causa conjuncta* τοῦ καύσου (r) *erat in habitu corporis, non in ore ventriculi, primis venis & cavo jecoris, quod tamen fieri aliis locis autumavit. Quidam ut distinctionem assignent ajunt* καῦσον ἐν τοῖς φλεβίοις (s) *consistere, sive toto corpore sparsæ sint venulæ, sive in una parte. At aliæ febres ut synochi &* συνεχεῖς ἐν ταῖς φλεψὶ (t), *id est in majoribus venis quæ inter alas & inguina interjacent. Id Hippocratis doctrinæ quadrare autumant: Quod an sit verum, quæstionis est.*

6. *Galenus* com. in particul. 59. sect. 3. lib. 3. Epid. *cur in causo quidam sitiant, alii non*; crassitudo humorum & tenuitas aquosa acervata erat (*supple circa os ventris quod est sitis sedes*) utraque frigida est sua sponte: vel acquirit calorem a putredine. In quibus calor putredinosus acquirit, in iis sitis, in quibus non, non adest.

7. *Quoniam autem pituita sæpe multa est, & copiosior quam ut queat & a calore febrili & naturali calefieri & transmutari, ideo in imo corpore manet calor, in extimis non elucet. Galenus* com. ad aph. 37. lib. 4.

8. *Cacoethia in febribus, cacoethia in ulceribus: non omnis humor vitiosus* κακοήθειαν (u) *inducit, nec omnis putris, sed quem* καχεξία (x) *corrupit atque depravavit. Et tamen Galenus* apho. 57. lib. 5. *ait in cachexia sanguinem suam symmetriam servare. Si servatur symmetria, cur cachexia auget putredinem humorum?*

9. *Quid est necesse partium extimarum refrigerationem signum esse malignitatis? Nam quia sanguis in media corporis parte colligitur (ait Galenus) in causo, ideo eo revocatio fit caloris & spiritus; id quod ipse Galenus docet* com. in part. 21. sect. 2. prorrh. *ubi partium internarum inflammationes magni quidem facit, sed ideo malignas esse non dicit.*

10. *Si revocatio caloris & spiritus ob internam phlegmonem causa est algoris partium extimarum, physica est hæc ratio, & non ideo causari oportet malignitatem aliquam. Tamen Galenus dum in secunda specie causi pro symptomate frigus partium extimarum recenset, ait, non perpetuo causus talis est, id est, comitatus frigore partium extimarum, sed quum malignus fuerit. Sic cacoëthia hoc symptoma causatur: vide* ad part. 16. lib. 4. acut.

11. *Causus qui habet sedem in pulmone, hæmorrhagia liberatur, ait Galenus* in 4. acut. *Tamen per eumdem peripneumonia non amat hæmorrhagiam: fere par esse ratio videtur causi focum in pulmone habentis & peripneumoniæ. vide de peripneumonia* cap. 3. lib. 3. de crisibus. *Pleuritis amat hæmorrhagiam,*

(q) Secundum omnem tumorem corporis.
(r) Febris ardentis.
(s) Febrem ardentem in venulis.
(t) Continentes in venis.
(u) Malignitatem.
(x) Cachexia.

giam, partim non amat, & inter causon & peripneumoniam ambigit. Minus enim quam causus amat, & magis quam peripneumonia: *Galenus* ibidem. *Galenus* in Epid. *generaliter, non habita ratione ipsius foci in pulmone, pronuntiat hæmorrhagiam omni causo familiarissimam.*

12. *Morbi longi sunt trifariam, vitio partis, culpa ægri & ignorantia Medici, nec non pepasmi difficultate. Hæc in tribus consistit, in copia materiæ, naturæ imbecillitate & meatuum angustia.*

13. *Hic damno animi pathemata. Est tamen ubi prosunt in ægris, est ubi obsunt. Docuimus alias quomodo ὀξυθυμία (y) prosit: qui locus est notandus. Et Galenus* com. ad part. 9. sect. 5. lib. 6. Epid. *docet quibus de industria ira excitari debeat, & quibus non; quibus cor & caput calidiora sunt, & affectu calido laborant, sed contra. Et Galenus ait Hippocratem consuluisse in defectibus animi irritationem quamdam animi, ut conatus fortitudine, defectus imbecillitate sanetur. Vide Galenum* cap. 11. lib. de ther. ad Pisonem, *unde notatur ex Hippocrate illud*, Colorum mutationes fiunt aut corde laxante, unde pulchri & pellucidi, aut constringente, unde subvirides. *Tristitia & mœror* ςενοχωρίαν (z) *affert. Et* hist. 12. sect. 3. lib. 3. Epid. *vide quos effectus habuerit mœror, quum tamen esset morbus tantum a plenitudine (id quod minime est periculosum, & facit ut etiam dies sextus bene indicet, ut de virgine Larissæa patet) nam convulsiones & terrifica fuere symptomata.*

14. *Melancholici & quibus animus in miseria est, habent quædam intervalla, sed amatorum more, licet eorum disputationes sana quædam consilia, ea statim amoris resurgentis sævitia ac impetu devincuntur: sic melancholicis contingit. Sed notandum qui mœror, & ἀπανθρωπία, id est fuga hominum, testentur πάθος μελαγχολικὸν (a) apud Hippocratem* in Coac. Hollerii. *ubi animadvertit interpres ab eodem humore contraria extrema pendere, heroicam virtutem & ἀγριότητα (b), quum homo quasi hominem exuens fit μισάνθρωπος (c): legatur locus iste.*

15. *Quod in ægris & viris prudentibus mœrorem damnemus, hilaritatem præsentiamque animi desideremus, id temperandum est: aliud est gaudium, aliud hilaritas. Hæc profusum sæpe risum invictum habet cum exspiratione sonora & intercisa. Gaudium a rebus seriis & animo pacato & conscientia rerum cum virtute junctarum ducitur, hoc boni viri citra tamen risum fruuntur.*

(y) Iracundia.
(z) Angustiam partium.
(a) Passionem melancholicam.
(b) Austeritatem.
(c) Osor hominum.

CONSI-

CONSILIUM VI.

De Impotentia coeundi.

INutilis ſæpe eſt Medicorum opera, qui opiatas excitandæ, explicandæque Veneri proprias architectantur & concinnant, quo ægri & corpore & animo dominabus ſint gratiores: Nam hic judicio opus eſt, undeque frigidiores ineptique, & inſulſi ingrati ſunt ſalaciſſimo mulierum generi. Et obiter unum notandum, quod is tardus dicatur, qui corpore, & membris ineptus eſt, & imbecillus ad Venerem, & ideo minus amabilis apud dominas. Tardus facile venerem non explicat, id quod eſt meretricibus odioſum: inſulſus qui caret ſale, non eſt ſalax, & cupidus coitus. *Donatus in Eun.*

Aliquando non arrigit verpus, alias arrigit, ſed molliuſculus eſt. Sic non ſubit, nec ſemen ejaculatur. Id fit aut vitio peculiari inſtrumenti, aut totius corporis morbo, aut ſeminis defectu, aut ejus inefficacia, ut minus turgeat, & penuria ſpirituum laboret, & minus intentus maneat verpus.

Videndum de ætate, ſi ætas congrua, an olim minus aut magis aptus fuerit, an proclivior ad libidinem, ut vetere ubertate quaſi arefactus languerit, naturaque infirmior manus quaſi dederit.

Videndum quoque an naturalia illi non laborarint, an mercurii litum aut cinabrii ſuffitum paſſa fuerint, an vitio diætæ, ut ſi vinis albis & tenuioribus uſus fuerit, rebus liquidioribus, quæ quaſi laxant, & effeminant carnes & ſemen: aſſa enim carnem ſolidiorem reddunt; ſcire oportet an parcius ederit, ut ſufficiat ad eſſe, non autem ad robur.

Item canones alii ſunt obſervandi ut loco & tempore congrediatur, non crudus, alioqui ineptus erit: præcedente titillatione, ut ſit ad Venerem incentivum & calcar: Id fit retenta urina, & meiendi deſiderio.

Minus bona habitudo ineptitudinem iſtam conciliat vel quia totum alimentum abſumit, & non ſinit ſemen eſſe reliquum, ut ſucculentæ & εὔσαρκαι nutrices minus ſunt aptæ; fiunt enim vaſa anguſtiora, & in viris & in mulieribus, præ mole & pinguitudine. Rationes apud Aëtium exponuntur a nobis.

Denique videndum ne, quæ adfertur, infecunditas, aut impotentia ut juſta repudii cauſa, ſit imaginaria & falſæ & mendacis amicitiæ teſtis. Sunt enim corpora quædam quæ ſimul juncta quamdam habent antipathiam ad juſtam fecunditatem & lætam, de qua ſic Plinius loquitur: *Eſt quædam privatim diſſociatio corporum, & inter ſteriles, ubi cum aliis junxere gignunt.* Acetoſa, & olera fugienda: Commendant aſparagos ad excitandam Venerem, facilis eſt uſus. Abſit jejunium: vitetur nimia repletio: tum ne cruditas oriatur aut ne revocatus calor, & ſpiritus ad ventriculum pleniorem deferat teſtes & partes ſemini mitificando, & cogendo deſtinatas.

Nimia

Nimia cura obeſt, ſolliciti arrigunt, ſed fugax eſt erectio.

Quidam hoc commendant quod ſequitur.

℞. Amygdalarum, piſtaciarum, pinearum, & dactylorum ana, unc. j: conſervæ ſatyrii, anthos, myrobolanorum conditarum, ana, unc. j: corticis citrii conditi, unc. jß: zingiberis conditi, dr. ß: ſcincorum vino albo lautorum, dr. vj: carnis caponis, & perdicis, ana, unc. iij: cinnamomi, caryophillorum, nucis moſchatæ, ana, dr. ij: macropiperis, dr. j: galliæ moſchatæ, dr. j: ſeminis aniſi, fœniculi, ana, dr. ß. ſacchari, unc. xij: fiet opiata; utatur ſingulis matutinis, vel hac ſequenti.

℞. Satyrionis conditi, unc. ß: Radicis & ſeminis aſcalonii, ana, dr. jß: ſeminis erucæ, fraxini & paſtinacæ, ana, dr. j: renum ſcincorum, ſcr. iv: conſervæ eryngii, unc. ß: zingiberis conditi, dr. ß: confectionis alkermes, dr. jß: cum ſyrupo conſervationis ſatyrii fiat opiata, de qua capiat dormiturus ad quantitatem nucis moſchatæ; adde conſervam anthos.

℞. Aq. vitæ unc. iv: ſeminis ſtaphidos agriæ, dr. iij: macerari ſinas per horas duodecim ad verpi fotum, & perinæi.

Ex majore parte iſtorum ſimplicium concinnatur a Fernelio opiata nomine diaſatyrion; huic ineſt mira vis calefaciendi: ſed & in multis, ut ante diximus, bona victus ratio, ſanguinis boni, & ſpirituum proba generatio, unde ſecundum & multum ſemen conficitur, & ſuperfluit ex reliquiis alimenti; ſic cibus & potus primas tenent; bellariorum & multorum ciborum infarctus (unde æſtus & turbatio contingit) nocent plurimum ſanitati, & minus fecundos, & ad palæſtram veneream idoneos reddunt. Notandum illud Hippocratis: *cibaria, & potus & obſonia* (excepto pane & maza quæ fit ex farina hordei toſti liquore aliquo ſubacta) *exceptis & carnibus, & piſcibus, & aqua, reliqua omnia tenues & debiles utilitates habent ad augmentum, ad robur & ad ſanitatem. Ad ſanitatem* (ait alio loco) *optima ſunt quæ modice ingeſta ſufficiunt, ut & famis, & ſitis ſint medela.*

Lib. de affectionibus.

Quod ſi ob cauſam aliquam impotentius reddatur corpus, eſt opiata analeptica apud eumdem Fernelium, cujus uſus eſſe poteſt in eo affectu.

ANNOTATIO.

Non perperam hoc adjeci de reficiundis & conſulendis viribus: ſed quod primum animadverti debet, eſt quod non ſemper more Medicorum practicorum ad excitandam Venerem impenſe calidis utendum eſt: nam calidiora exſtinguunt ſemen, ut ſabina & agnus caſtus. Item quidam temperamento ſunt calidiore, & æſtuantiora habent viſcera, & hi ſæpe ob δυσκρασίαν (d) iſtam minus apti ſunt ad explicandam Venerem: deinde vero quæ ſunt calidiora flatus diſſipant, quorum uſus aliquis ad arrectionem: itaque hic judicio opus eſt, nilque temere agendum.

(d) Dyſcraſiam.

CONSI-

CONSILIUM VII.

De Fœdis coloribus.

DIfficile judicatur in quo febris hæc virginalis consistat; si est obstructio, cur aliæ febres ab obstructione non habent eadem symptomata, gressum difficilem, & alia? cur non color olivalis in aliis febribus? si allegatur ætas virginum (nam & anno septimo, & sequentibus morbus oritur) cur mares juniores quibus debet esse hæmorrhagia, iis virginalibus symptomatis non prehenduntur? aliquæ quidem experiuntur mala, sed quæ cum fœdorum colorum (sic enim morbus iste latens a symptomate nomen sortitur) incommodis gravitate, & vehementia non ausint contendere. An quia instat tempus menstruum, & natura quia vellet intendere excretionem istam, nec potest, intestinum quoddam & cœcum quoddam fit bellum, omnium malorum auctor? An quia marium, & mulierum morbi longo intervallo differunt? Non videtur iste motus mensium causa, nam & septennes virgines decolores fiunt, celerius virgines quam mares ægrotant isto morbo, & extra uterum facilius crescunt, & adolescunt, ut sanguis non requiratur ad incrementum quum jam satis idoneum habeant. Quidam morbi sunt nervorum, venarum alii, musculorum alii, carnium alii, alii arteriarum: sic morbus, id est ea febris virginalis fœdo colore comitata in arteriis sedem potius habet, & iis quæ ad splenem pertinent, unde lienosum cor habere dicuntur, & saliens & καρδιογμὸν (*e*), id est celerem motum cordis, & palpitationi similem, sæpe ob sanguinis φθορὰν (*f*), λύσιν (*g*), καὶ ἔκστασιν (*h*); sic Hippocrates *in Coacis*, ait *decolorem faciem cum gressu difficili, spirandique difficultate, & desiderio rerum alienarum, significare sanguinis corruptionem & exsolutionem* seu φθορὰν καὶ λύσιν; Theophrastus in seminibus vocat φθορὰν καὶ ἔκστασιν, id est e natura egressionem ea corruptione prægressa. 1.

Ratio victus in primis servanda.

A glutinosis & obstructiones parientibus abstinendum, maxime de potu providendum, sitis enim est insatiabilis: aqua cum quarta parte vini, taleolis citrii, & saccharo pauco valet; vino diluto utatur aut decocto graminis, & ceterach cum cinnamomo & chalybe. Non bibat dormitura. *Curatio.*

Non constringat corpus ut juncea appareat.

Clysteres frequentes ex malvis, capillis veneris, agrimonia, chamæpyti, anetho, mercuriali, cuscuta cum hiera, diaphœnico, lenitivo, catholico, melle mercuriali, saccharo rubro.

(*e*) Cordis morsum.
(*f*) Corruptionem.
(*g*) Solutionem.
(*h*) Et mentis emotionem.

2. *Rond. de splenis affect.* Purgetur corpus, aut medicamento familiari, aut syrupo solenni; vitetur usus rerum multum aperientium metu paralyseos. Non utatur multis jusculis ut fere fit, sanguis fit serosior, & putris, amittens nativam consistentiam, & alendo inutilis est.

3. *Hippocr. 2. de diæt.* Assis utatur moderate, ut caro sit solidior, & firmior; ideo in pastu probo decoctum radicis chinæ, immo per dies aliquot utatur sudori blande eliciendo.

Si febris adsit, venæ sectio: brevi etiam tundenda saphena; sedata febre balneum aquæ tepentis, item pedum lotio.

Confert litus ex oxyrrhodino ad sævitiam doloris capitis familiaris.

Utatur sæpe semine fœniculi florentini, aut tabellis diarrhodon abbatis.

Pilulæ ex pulvere hieræ, tartaro pauco, croco martis, agarico, rheo, senna, cinnamomo, terebenthina, gummi ammoniaco, spica nardi, electuario triasantalon, trochiscis de myrrha, syrupo de hyssopo: si respuat pilulas, sit in usu medicamentum paratum ex decocto radicis enulæ campanæ, tormentillæ, sanamundæ, eryngii, rubiæ majoris: foliorum eupatorii, polytrichi, bipinellæ, scabiosæ, betonicæ; florum veronicæ altilis, buglossi & genistæ: coquitur senna, infunditur rheum cum ligno aloes & cinnamomo: syrupus rosarum pallidarum dissolvetur: ex iis parari poterit syrupus magistralis aucta dosi omnium.

Purgato corpore utetur sequentibus tabellis.

Hæc non sunt usurpanda si hysterica sit mulier.

℞. *Pulveris Chinæ & sassafras, ana, unc. j: limaturæ chalybis præparatæ, unc. j: lumbricorum terræ præparatorum, dr. ij: rasuræ eboris, cornu cervi, diamargariti frigidi, ana, dr. ß: pulveris rubiæ majoris, corticis citrii conditi, conservæ rosarum, buglossi, ana, unc. ß: ligni aloes & cinnamomi, ana, dr. ß: cum saccharo in aqua buglossi & rosarum soluto fiant xxiv. tabellæ: pondus sit singularum unc. ß: capiat per dies 24.*

Crocus martis hoc in affectu primas tenet, ideo minori cum apparatu parari poterunt hæ pilulæ.

℞. *Croci martis, unc. ß: sacchari, unc. ij: cinnamomi & granorum kermes: ana, dr. j: fiat electuarium per tabellas*: vel Opiata sequens erit in usu.

℞. *Conservæ buglossi, violarum, borraginis, ana, dr. vj: conservæ enulæ campanæ & consolidæ, ana, dr. j: corticis citrii, dr. ij: nuces conditas, num. ij: pulveris lætificantis, & diatragacanthi, ana, scr. j: confectionis de hyacintho, scr. ß: sennæ pulverisatæ, unc. j: croci martis, dr. iij: cum syrupo de pomis fiet opiata: de qua capiat ad magnitudinem nucis.*

Hippocr. 2. de diæt. Decoctum Chinæ parabitur, habita ratione ætatis, corporis, & temporis, addita radice cichorii.

Laudatur usus aquarum naturalium ob aciditatem ratione æstus.

ANNOTATIONES.

1. *Unde remedia quæ crocum martis recipiunt peculiarem vim habent ad fœdos colores & viscerum infarctus contumaces. Quidam infundunt certam*

hujus

hujus quantitatem in vino albo cum semine coriandri aut ligno aloes, & de eo propinant 3 aut 4 uncias singulis matutinis.

2. *De usu jusculorum crebro quæstio esse potest, quum sanguis sit serosus, nam quum tumeat caro & leucophlegmatiam minetur, frequens jusculorum usus videtur absurdus; sic est quædam eo in casu ἀντένδειξις (i), nam æstus internus est: item dubitant an sanguis ille serosus & subviridis sit ante febrem, an post, & singulis diebus febre rebellante magis corrumpatur.*

3. *Assæ carnes solidiorem carnem præbent: Hippocrates: sed febris, incendium interius, sitis, aliter suadent: hic judicio opus: tales virgines auriginosum corpus habentes ut & ii qui pravis scatent humoribus famem & sitim ferunt, quod maligno humore abundent, qui eis instar pabuli est: sic venenata animalia nec fame nec siti pereunt, quia in iis nec calor, nec sanguis, nec sudor.*

CONSILIUM VIII.

De Scelotyrbe.

ÆGer nobilis affectu laborat jam annuo qui scelotyrbe dicitur, & est species quædam paralyseos partium interiorum ab osse sacro, & spinæ superiore parte cum genuum infirmitate; initio data medicamenta valida per os sumenda, decoctum hermodactylorum, quum tamen a mitioribus esset inchoandum; in eo bis peccatum est, & quod data medicamenta purgantia per os quum inferiores partes malum occuparet. Illud enim est axioma Galeni: *Quæ per ventrem inferiorem fluunt purgationes, fluxiones in partes vicinas conciunt*: Alterum peccatum quod initio data valida medicamenta, quum mitius agendum foret; ita enim Princeps, dum loquitur de curatione paralyseos initio; *ne properes initio in usu fortium rerum, immo tarda usque ad quartum & septimum*; lenit initio, clysteribus utitur, & revera consilium illud Principis est sani judicii, & qui omittunt, graviter in medendo peccant.

Κατὰ τόπους (k). lib. 3. sen. 2. cap. 4.

Nocent valida medicam. initio, in paralys.

Quum a spina dorsi malum sit, consuluimus usum cauteriorum summa parte media & ad os sacrum.

Usus clysterum convenit addita terebenthina, item terebenthinæ per os sumendæ.

Litus ex axungiis addita terebenthina, castoreo aut oleo chymico.

In pastu potio Guajacina diluta, aut sarsæparillæ decoctum.

Opiata ex pulvere chinæ, senna, rheo & pulvere laxativo, addito melle.

Fotus ex calefacientibus herbis.

In lecto eliciatur sudor instar stupharum siccarum; confert balneum adstringens cum alumine aut magma ex vinaceis.

(i) Contradictio.

(k) Secundum locos.

ANNOTATIO.

Plinius lib. 25. cap. 3. *notat in Germani Cæsaris exercitu citra Rhenum ex vitiosi & medicati fontis aquæ potu, vi malefica conspurcatæ, duos novos exsiliisse morbos, quorum primus nervos crurum adeo oblædebat ut compages in genibus dissolverentur & crura vacillarent, quem ob id σκελοτύρβην (l) appellarent. Alter putridum erat oris male olentis vitium quod σομακάκην (m) recte appellabant, quo intra biennium omnes dentes decidebant. Reperta autem auxilio est herba quæ vocatur britannica, non nervis modo, & oris malis salutaris, sed contra anginas quoque & serpentes.*

CONSILIUM IX.

De Elephante pedum.

1. *Unde illud: faciei εὐχροια (n) & mæstitia multa malum. Hipp.*

UXor filii San-germani magni inæquali erat temperamento, internorum bellum & calor, externarum partium frigiditas, humiditas, & manuum quidam mador: tumor erat crurum & pedum sinistrorum, cacochymia suspecta erat, licet faciei color nitesceret.

Jussa est a multis jusculis abstinere metu leucophlegmatiæ. Interea non negligenda interna intemperies, purgationes institutæ, phlebotomia, usus vini aqua temperati, semen coriandri & fœniculi a pastu, moderate tamen quia sitibunda est, redacta ad aquas Nivernenses, plumbares pro balneo.

Si malum redivivum, fotus ex lixivio sarmentorum additis lupinis, & alumine, & vino styptico, furfur contunditur, adspergitur aceto mulso & applicatur.

Item ordinatum hoc cataplasma.

℞. *Farinæ hordei, fabarum, ana, unc. iij: farinæ lini, orobi & lupinorum, ana, unc. ij: coque in oxymelite parato cum chamæpyti & betonica, scabiosa, chamæmelo. Adde radicis sigilli beatæ Mariæ crudæ, unc. jß: pulveris rosarum, chamæmeli, ana, dr. jß: ireos, dr. j: cum oleo chamæmeli fiat cataplasma. Aliquando addetur sapa & terebenthina. Aliquando parabitur cum vino.*

Item fiet cataplasma ex furfure frumenti imposito sartagini addito vino albo, & aqua decocta chamæmeli. Hirudines valent.

Si malum arte superius fuerit, utatur ad dies aliquot sarsæparillæ decocto vel radicis sassafras. Valet radix mechoacannæ.

(l) Scelotyrben, scorbutum.
(m) Oris vitium, scorbutum.
(n) Bonitas coloris.

ANNO-

ANNOTATIO.

1. *Elephas seu Elephantiasis, Leontiasis aut Satyriasis & lepra Arabum a nonnullis dicitur. Tumor est secundum modum qui accidit in venis varicum qui in unaquaque parte organica potest contingere, in cruribus, pedibus, virga, lingua, toto corpore, ut Nicomacho apud Galenum. Accidit autem potissimum iis quibus intemperata sunt viscera, maxime jecur & lien, unde perennis fit humoris melancholici adusti aut pituitosi proventus, qui quidem humores, dum ad partes inferiores transmittuntur, eos in tumorem attollunt. Signa sunt, caliditas, loci asperitas, color niger aut fuscus, eruptio sanguinis nigri ex partibus affectis, urina crassa, excrementa alvi melancholica, usus rerum sanguinem, & humores adurentium.*

CONSILIUM X.

De Puella trienni nauseam patiente a nativitate.

PUella triennis ex quo nata est nauseam ἀνέμετον (o) patitur; causam mali referimus ad intemperiem hepatis, bilis multæ genitricem, & facit biliosam parte superiore, vel quod τῇ φύσει & ἕξει (p) a natura ducto habet a folliculo fellis in fundum ventriculi. *Biliosi sunt φύσει vel ἕξει.*

Clysteribus utendum putamus; quum alvus libera est, ægra a molestia hac libera quoque est. 1.

Victus humectans, refrigerans; perperam alii Medici malum a capite repetiverunt & siccantibus usi sunt. 2.

Abstineat a multo butyro; pingua juscula cum omphacio, vel succo limonum convenient; utatur malis granatis, & malis aureis. 3.

A pastu sumat cydoniatum Aurelianum, vel simile non crassum. Abstineat ab iis quæ obstruunt.

Utatur vino dilutissimo addita aqua radicis graminis, aut cichorii; & quia vix admittit medicamenta, in declinatione lunæ utatur aqua Rhei, vel syrupo de cichorio, vel cassia in bolo, vel clarificata, vel rheo colato per manicam Hippocratis cum cinnamomo & saccharo cando, vel pauco Julepo rosato.

Syrupus rosarum valet cum decocto graminis vel decocto prunorum & passularum, syrupus oxyacanthæ & de limonibus.

Conserva rosarum pallidarum vel tabellæ triasantalon addito pauco pulvere electuarii de succo rosarum.

Litus ad hepar & ventriculum ex rosaceo: fotus blandus ex santalis & rosa addito aceto.

(o) Sine vomitu. (p) Natura & habitu.

Si febris prehenderit, phlebotomia.

Balnea in tempore opportuno conferent; in aceto rosaceo intingat carnem pulli aut alia.

ANNOTATIONES.

1. *Biliosorum duo sunt genera, alii biliosi sunt τῇ φύσει* (q), *alii ex eventu. Natura biliosi vel tales sunt temperamento ut qui sunt hepate præfervido, unde biliosi humoris proventus sobolescit; habitu dicuntur biliosi, id est conformatione, quorum ita conformata est vesicula fellis, ut ad ventriculum aut jejunum intestinum excurrat canaliculus felleus, & hi vocantur πικρόκολοι ἀνθ* (r). *Talis erat Paullus Rhetor apud Galenum* 2. de Acut. *qui quum temperamento pituitosus esset, tamen crebris vomitionibus torquebatur illique perpetuo erat adstricta alvus. Alii sunt ex eventu qui piperatis, salsis, acribus eduliis vescuntur, & curis, vigiliis, irarum æstu, & mœroribus corpus extenuant & conficiunt.*

2. *Scitum illud Hippocratis* sect. 3. 6. Epid. ventris segnities omnium confusio vasorumque.

3. Τὰ λιπαρὰ πρὸς τὰ φλεγμαίνοντα οὐκ ξυμφέρει. οὐ δὲ πρὸς τὰ ἀκάθαρτα, οὐ δὲ πρὸς τὰ σηπόμενα, ἀλλὰ πρὸς τὰ φλεγμαίνοντα ξυμφέρει τὰ ψυχρὰ (s). *Hippocrates de affect.*

CONSILIUM XI.

De falsa specie Ischiadis.

NObilis vir falsa quadam Ischiadis specie laborabat; corpus erat olim valde biliosum, & a longo tempore sentiebat imbecillitatem cruris sinistri. Ratio victus instituta, usus moderatus vini, & Veneris, frequentes clysteres addita betonica, iva moschata, radice sanamundæ, consolida, hiera, diapruno, terebenthina interdum.

Apozema laxativum addito syrupo de pomis.

A medicamentis validis, & pilulis abstinendum validioribus putavimus: quia in Ischiade clysteres præferuntur medicamentis per os sumendis; item natura corporis ægri consideranda; detractiones sanguinis e brachio, & malleolis conferent.

Provocandæ hæmorrhoides & anus fovendus.

Frequens

(q) Natura.

(r) Biliosi per superiora.

(s) Pinguia non conveniunt ad ea quæ sunt inflammata, neque ad ea quæ non purgantur, neque ad ea quæ sunt putrefacta; sed ad ea quæ sunt inflammata frigida conveniunt.

Frequens usus blandarum pilularum: A calidioribus oleis abstinendum: solis chalasticis locus esto.

Fotus blandus ante ex rosa, capillaribus, chamæpyti, betonica, ebulo, salvia, chamæmelo, meliloto, cortice ligni sancti, enula campana, semine lini, fœniculi; A calidioribus abstinendum.

Provocetur sudor partis admoto latere imbrice.

Litus ex axungiis gallinæ, taxi, medulla cervi, lautis in vino albo, addito oleo amygdalarum dulcium, rosato, terebenthina pauca; emplastro ex emplastro ad fracturam ossium, desiccativo rubro, terebenthina, addito pulvere Ireos, gummi Tacamahaca si haberi potest.

Cauterium externæ tibiæ.

Verno tempore aquæ Pugenses, & Borboniæ.

Decoctum blandum chinæ, immo & balneum aquæ tepentis consulitur.

CONSILIUM XII.

Ad Serpiginem in facie psoræ prænuntiam.

OPiata laxativa instituta est ex decocto conveniente, herbis splenicis, senna, tamarindis, cassia, pulvere sennæ, additis pomis redolentibus: in decocto conserva violarum, pulpa passularum, cortice citrii, confectione hamech.

Sectio venæ valet, victus refrigerans & humectans: panis addito hordeo, panis pistus in lacte, hordeum in jusculis carnium, hordeata frequentia, pomorum & prunorum usus & esus, epithemata jecori tempore calido: vinum fractum aqua, serum lactis cum bipinella vel fumaria, mala aurea, citria; ruptorium brachio; cassia frequens loco opiatæ, cum pulvere sennæ; lotio capitis pustulis pleni, faciei remedia adhibeantur.

Lotio capitis ex lixivio sarmentorum, caulium rubrorum, addita scabiosa, in decocto, parietaria, agrimonia, lapatho, radice campanæ, lupinis, furfure & vino albo; lavetur caput hydromelite ex melle rosato vel mercuriali.

Pro facie unguentum citrinum, pomata cum pauco sublimato dulcificato.

Item ℞ *Unguentorum rosati Mesuæi, citrini, ana, unc. j: sulphuris pulverisati & aqua rosarum excepti, dr. jß: terebenthinæ, dr. ij. cum succo citrii, fiat unguentum.* vel

℞ *Aquarum plantaginis, rosarum, nenupharis, ana, unc. iiij: sublimati, gran. xv. fervefiant simul.*

℞ *Amygdalarum dulcium excorticatarum & in aqua rosarum maceratarum, unc. ijß: micæ panis secalini, unc. iij: mellis, unc. ijß: radicis ireos florentinæ, dr. ij: farinæ hordei & lupinorum, ana, unc. j. cum mucore gummi tragacanthæ extracti in aqua damascena fiat pasta pro toto corpore.*

Lotio

1. Lotio ex decocto hordei integri additis amygdalis, vel ſero lactis.
7. Therap. Aqua ſeu lac virginale vulgo dictum; unguentum album ad ſcabiem,
2. pruritum, & id genus affectus mire conducit.

ANNOTATIONES.

1. *Sic parari ſolet lac virginale a recentioribus, ℞. lithargyrii auri, unc. ij: ceruſſæ, ſalis communis, ana, unc. ß: aceti, aquæ plantaginis, roſarum, ana, unc. ij: caphuræ, dr. ß: fiat collyrium, trajiciatur per manicam.*

2. *Fernelius parat unguentum album cum unc. iiij. ceruſſæ, lithargyrii dr. ij. lautis diu in aqua roſarum, qua ejecta mortario excipiuntur ſenſimque oleum roſarum affunditur quantum combibere poſſint continenter agitando, additur ſub finem aceti albi pauxillum & caphuræ dr. jß.*

CONSILIUM XIII.

De Oculorum morbis, maxime de macula ex morbillis reliqua.

MOrbi oculorum difficiles ob varietatem partium ex quibus conſtant, & ſpirituum quibus tamquam ſoles duo ſplendent & ſunt illuſtres; pars ſpirituoſa eſt, & remedia vulgo refrigerantia eos ſpiritus obtundunt & repercutiunt; ratione membranarum & humorum frigore læduntur.

Difficiliores ſunt curatu quia ſunt in actione perpetua, quia lumini objiciuntur; quod lumen oculo ſano amicum, ægro inimicum eſt, quia in cognato genere excedit; pes laborans nec ſeſſionem, nec ambulationem requirit, ſed quietem; cur non & oculus? teſtis cataractæ operatio; motus, & actio calefacit; difficillimi, ſi dolor capitis ut in hac ægra fit, & id minatur cæcitatem: item ſi morbus oculi ſit conſectarius exanthematum; virus enim indomitum eſt.

Plin. Circumcidenda omnis negotioſa cogitatio, & oculus mentem ſequatur, non mens: oculos aſſidua cogitatio occæcat.

Summa conſilii eſt ut ſedetur dolor capitis in morbis oculorum ob multas rationes. A calidioribus temperandum. Cataplaſmata ex mica panis, farina hordei cum roſato Meſuæi, Oxyrrhodinum, medicamenta tempe-
1. rata. Opiata laxativa additis tamarindis & conſervis. Apophlegmatiſmi: Errhina nocent, licet Hippocrates *in Prorrh.* 2. ſuadeat; notandum, non imitandum ſine magna cautione. Cauterium in confinio ſuturarum anterioris capitis. Curanda ut laborans fœdis coloribus. Macula oculi lambenda, digerenda, diſcutienda ſine validiore medicamento. Decoctum ſarſæparillæ blandum ad abſumendum putre ſerum in uſu ſit quotidiano, idque dilutiſſimum. Valebit aqua ex herbis convenientibus addito ſaccharo cando. Seto tandem eſt adhibitus.

ANNO-

ANNOTATIONES.

1. *Commendat Mathiolus vinum ex euphrasia & similibus herbis ad visum quasi deperditum. Verum euphrasia & similes herbæ magno & cæco errore in oculorum morbis sæpius usurpantur. Nam ubi in oculis est siccitas, squallor & ob mærores, vigilias aut inedias spirituum consumtio, quis dubitat quin vinum ex dictis herbis sit nociturum?*

2. *In oculis, in omni animali est quoddam pingue quod intelligi debet de quodam glutinoso quod necessarium est ob actionem oculi continuam. Ideo cavendum sæpe ne nimium siccemus oculos & squallorem inducamus. Senibus enim frequens hebetudo accedit ob squallorem & siccitatem oculorum.*

CONSILIUM XIV.

De Tumore Epigastrii.

FIlius D. Sangermani conqueritur de tumore & leni dolore epigastrii, qui in mesenterii glandulis collectus videtur non absimilis chœradum tumori. Affectus hic & ætate & temperamento congener est; illi perpetuum quasi alvi profluvium; non vera fit ἀνάδοσις (*t*), nec venæ mesaraicæ exsugunt chylum, ut ad hepar perveniat & fiat hæmatosis. Bona victus lex imperata. Fotus ex malacticis, litus ex oxyrrhodino. Balnea.

Medicamentum additis herbis vulnerariis.

Pilulæ addito croco martis, vel tabellæ, vel conserva eadem croco addito.

Emplastrum ex mucore radicis althææ coctæ in oxycrato, emplastro de mucagine & diachylo, addito cerato santalino; aquæ Spadenses cum infusione foliorum orientalium.

ANNOTATIO.

Notat Galenus comm. in aphor. 7. lib. 6. *dolorem, & tumores ventris sublimes leviores esse: non sublimes periculosiores quod in profundo jecore, intestinis, ventriculo &c. partibus principatum habentibus inhærescant: & iis non facile remedia admoveantur ut aliis supra peritonæum. Quibus autem ob ingluviem magnus fit utriusque bilis & pituitæ proventus, natura valens & robusta plerumque supervacua in pancreas & mesenterium ignobiles partes deponit, quæ totius corporis velut sentina sunt. In eas autem ex vicinis partibus illabuntur humores aut his locis & glandulis tempore exaggerantur, qui tumores primum molles, dein tractu temporis renitentes ingenerant, quod notavit*

(*t*) Distributio.

tavit Hippocrates 1. de morb. mul. Lien (*ait*) elevatus & repletus diſtribuit per venas corpori: *& maxime in epiploon & partes ventrem ambientes & crura.*

CONSILIUM XV.

De dolore cruris poſt ictum ex Globo miſſili ex Catapulta.

CRuris dolor fuit infirmitas, extenuatio quædam ob ictum ex Globulo miſſili ex catapulta acceptum. Dictum eſt, licet extenuatio quædam adſit, non deſinit tamen pars continere in ſe ſerum quoddam quod gignitur in parte, vitio materiæ partis, quia omnis pars imbecilla alimentum non probe conficit, ideo evacuandum illud ſerum & pars roboranda.

Purgatio aliqua, phlebotomia, fotus ex roſa in vino rubro addito cypero & chamæpyti, betonica, oleum de catellis, aditus aquæ Spadenſis: ſtuphæ in lecto cum imbricato latere, balſamum extemporaneum aut Arregon, unguentum ceroneum ex emplaſtro ad fracturas cum emplaſtro divino. Tibiæ non ſtringantur ligaturis, uſus balnei in muſto.

CONSILIUM XVI.

De varicoſa hernia & hæmorrhoidibus.

AD herniam varicoſam & hæmorrhoidum ſpeciem in hypochondriaco, hæc præſcripta fuerunt.

Purgatio ex caſſia, ſenna addita & pauco cinnamomo; medicamentum aliud ex folliculis cum bipinellæ, meliſſæ, eupatorii decocto, additis ſyrupis de pomis & de cichoreo: phlebotomia utriuſque brachii.

Non irritentur hæmorrhoides, oblatæ per ſe, & ſi caput fecerint, aut blande provocatæ, aut potius allectæ aperiantur.

Ad ſcrotum fotus blandus roborans ex utraque roſa, alumine, pauco polygono utroque, & herba Roberti. Litus ex oxyrrhodino.

Ad inguen ut intercipiatur humor, emplaſtrum valde adſtringens. Supra partem emplaſtrum ex palmeo, deſiccativo rubro, unguento comitiſſæ, pulvere roſarum, & radice ireos.

Malleolorum ſectio ſi opus ſit.

Lac aſinæ. Aquæ naturales Forgenſes. Subligaculum conſervans.

CONSI-

CONSILIUM XVII.

De ſuppreſſione urinæ.

INquiſitum in cauſas illius ſuppreſſionis quæ fit aut vacua aut plena veſica.

Putavit æger more vulgi a ſola pituita id malum oriri, ideo cavimus, ne diureticis uteretur, donec de cauſa morbi conſtaret.

Olim laboravit ſarcoſi ad paraſtatas & partes vicinas, forte renovatur malum: cenſuimus purgandum corpus, minuta vena temperandum, clyſmis refrigerandum: emulſionibus, pilulis utendum ex aloe lota, injectionibus in veſicam; deinde cathetere explorandum num lapis ſubſit an non.

Opiata laxativa inſtituta, materialia fuerunt eadem quæ in ſyrupum de althæa aſſumuntur.

Litus ad Perinæum ex roſato Meſuæi, balnea, abſtinendum diureticis. Locus non fuit aquis naturalibus donec de morbi cauſis conſtaret. Dilutum caſſiæ præſcriptum.

CONSILIUM XVIII.

De Catarrho & ſputo ſanguinis.

QUoniam ludo palmario impendio magis ſeſe exercebat nobilis Theſaurarius bilioſo temperamento, ſtatura longa, corporis deſtillationibus obnoxius, ſputationi ſanguinis & ἀποχρέμψει (*u*) non expectorato, quæ ſequuntur præſcribuntur. Vitæ lex primo neceſſaria eſt. 1.

Syrupi lenientes, hora ſomni ſyrupus de ſuccis, jujubinus cum diacodio.

Gargariſmus cum decocto hordei, radicis cynogloſſi, ſymphyti addito julepo roſato.

Hordeata, caſſia cum tamarindis, pulpa paſſularum, fœniculo dulci & rheo. 2.

℞. *Sacchari candi, dr. vj: electuarii diatragacanthi frigidi, dr. ij: boli Armenæ, ſcr. j: conſervæ roſarum, dr. jß: conſervæ ſymphyti & corticis citrii, ana, dr. ij: diamargariti frigidi, ſcr. ß: carabes, raſuræ eboris, pulveris glycyrrhizæ, ana, dr. ß: cum ſaccharo in aqua roſarum ſoluto fiant tabellæ.*

Quod ſequitur valet in excretione ſanguinis.

℞. *Mumiæ, dr. jß: terræ ſigillatæ, boli Armenæ, ana, dr. ß: antheræ, ſcr. ß: conſervæ roſarum ſiccæ, ſcr. iv: tragacanthi dr. jß: ſacchari penidiati & roſati,*

(*u*) Excreationi.

rosati, ana, dr. iij: cum pauca quantitate sacchari & gummi tragacantha in aqua rosarum soluti, fiat pasta ex qua fiant trochisci usuales.

Utatur sæpe conserva rosarum.

ANNOTATIONES.

2. Epid.

1. *Hic rufus est biliosus, mites habet tamen humores, licet aliter Hippocrates: Quorum pectora bilem generant, balbi, furiosi, & calvi fiunt, verum tabi obnoxii, juxta illud Celsi, destillatio in corpore tenui & longo tabem minatur.*

2. *Sputum sanguinis est de apicibus artis. Plinius* cap. 38. lib. 11. *notat de duobus Consulibus qui habuere sanguinis excretiones per os non periculosas; Est & epistola de hæmoptoico apud Plinium* Epistola 19. lib. 5. Ante annos aliquot, *ait*, dum intente instanterque pronuntiat sanguinem rejecit atque ob hoc in Ægyptum missus a me, post longam peregrinationem confirmatus rediit nuper: deinde dum per continuos dies nimis imperat voci, veteris infirmitatis tussicula admonitus rursus sanguinem reddidit; qua ex causa destinavi eum mittere in prædia tua quæ Foro Julii possides: audivi enim te sæpe referentem esse ibi & aëra salubrem & lac hujusmodi curationibus accommodatissimum.

CONSILIUM XIX.

De Aure suppurata & manante sanie.

Dolor in angusto. Senec.

NOn abs re incumbendum in curam gravis affectus auris, qui gravior futurus est ni provideatur; dignitas partis, sensus exquisitus, angustia loci, vicinitas cerebri id suadent. Nervus a quinta conjugatione in aurem inseritur exquisiti sensus; item eo dolor major est, quo in angustiore loco; item morbi oculorum intra oculos nocent; morbi aurium, non solum intra aures nocent, sed ad cerebrum progrediuntur, hinc deliria, phrenitides.

Æger hic hypochondriacũ quid habet Comm. ad aph. 24. lib. 1.

Hic & dolor ex intervallis repetens, & saniosa excretio notanda. Quod eo periculosius, quia quum (ait Galenus) aures non sunt destinatæ expurgando cerebro & aliena est a natura excretio per aures. In pueris natura ad tempus abutitur auribus; adductus *aphorismus lib. 6. Quibus natura nares humidiores, & genitura humidior, minus sani vivunt.*

Sic ægro & aures sunt humidiores quæ reddunt saniosum quid & tabem quamdam, id quod pessimum est ut signum, nec mirum si minus integra fruatur sanitate. Ideo ex Hippocrate: *Corpora volucrium quæ vesicam non habent, nec meiunt, nec salivant, nec spuunt, sunt saniora.*

Lib. 2. de diæta.

Adductus locus ex Hippocrate 4. *de morbis, Quibus per os, nares, vesicam, alvum fit excretio, sani sunt*; quod per eas partes videatur fieri excretio omnis humoris peccantis. Et quum humor affligens per eas partes evacua-

evacuatur, nullus morbus prehendit. Si hoc verum eſt, quorſum phlebotomia? non meminit Hippocrates, nec aurium, nec venarum, quarum apertio liberat a morbis.

Quæſtio an juvanda excretio, an minuenda, an ſupprimenda, an quid agendum; forte idem fiet quod in hæmorrhoidibus, omnino ſupprimere funebre eſt. Laudat vinum mellitum Aëtius ad aures manantes, & cum judicio ſiccantibus utendum dicit. *Tetrabil. lib. 2. ſerm. 2. c. 81.*

Rondeletius quoque cataplaſmata inſtituit utilia dolori demulcendo, ex radicibus liliorum, malvæ, foliis ſolani, hyoſciami, floribus roſarum, nympheæ, chamæmeli, meliloti, farina hordei, lentium, additis oleis roſato, violato, nympheæ & pinguedine anſeris.

Probat quoque lac recens mulſum, ut & albumen ovi fortiter agitatum.

Nam hic dolor & excretio conſideranda veniunt: dolori debetur eaque ſatis frequens phlebotomia, ni ægrum hæmorrhagia ei ætati propria levaverit.

Purgatio decreta ex pilulis communibus, & imperatoriis, aliquando ex fortioribus: hypochondriis proviſum per hypochondriaca, frictiones; errhina quoque commendantur.

In dolore & inflammatione oleum roſatum cum tantillo aceti quod remedium Galeni eſt, ut ne cui mirum videatur, mel roſatum indatur, aut ſyrupus de ſiccis, aut de abſinthio, cur non & in inflammatione julepum roſatum conveniat.

In tinnitu aurium Manardus decoctum ligni Indici commendat, forte non alienum erit ab hoc loco, quum de purulenta aure agatur. *Epiſt. 2. l. 19.*

Succus porri ad ſonitum aurium commendatur a Fuchſio, & allii Aſcalonii.

CONSILIUM XX.

De congreſſus impotentia.

QUidam annos natus viginti ſex ad Venerem ineptus erat explendam; non talis natura, ſed quia primis annis pubertatis œſtro libidinis excitatus ſeſe exhauſerat & confecerat; ſic & inſtrumentorum erat quædam imbecillitas intempeſtivo labore contracta, & aut minus aut inefficacius ſemen; inſulſus non erat, quia ſatis ad libidinem titillabatur, ſed tardus, quia Venerem explicare non poterat, eviratus erat, quærit a nobis ut vir fiat.

In hoc affectu conſiderandum an defectus ſit materiæ ſeminalis, an ejus vitium, an inſtrumentorum & vaſorum ſpermaticorum, an ejaculantium.

Magna hic prudentia adhibenda, nam nec nimis calefaciendus (ut fit in aliis, quod frigidis convenit) quia ætas & temperamentum reclamat,

& febris facile moveretur : nec ad vulgaria remedia adigendus ; nam usu calidiorum flatus dissiparentur, quorum aliquis usus est in exercenda
1. Venere; frigidiora nocerent semen extinguendo, & nimium refrigerando.

Juscula moderata conveniunt, vinum temperandum, & cibo præbito bibendum. Abstinendum per tempus ab actu venereo; aliquando verpus patitur resolutionem aliquam ob majorem extensionem manufactam, id quod meretrices conari narrat Rondeletius; balneum non confert metu effeminationis partium, ni in eo coquantur adstringentia ad robur partium, aut immergatur corporis media pars in magmate racemorum.

Clysteres cum herbis mediocriter siccantibus: medicamenta roborantia, cassia, & quæ emolliunt laxando non proderunt.

2. Tabellæ roborantes & conservæ.

Pro decocto medicamenti, radices tormentillæ, sanamundæ & consolidæ utriusque; veronica, fragaria, bellis, prunella, pilosella, herba Roberti, stellaria, grana kermes, flores veronicæ altilis; semen cardui, portulacæ, ocymi: folia sennæ: infundatur & rheum: syrupus de cichorio composito dissolvatur.

℞. *Pulveris electuarii triasantalon, dr. j: aromatici rosati, diambræ, pulveris chinæ, corallii & succini, ana, scr. j: conservæ rosarum & symphyti, ana, dr. ij: radicis tormentillæ, dictamni & ligni aloes, ana, scr. j: fiant tabellæ cum saccharo in aqua rosarum soluto & vino hypocratico pauco.*

Fiet massa panis qualis descripta apud Fernelium.

Hæc opiata sit in usu: ℞. *Conservæ rosarum, corticis citrii, myrobalanorum, ana, dr. vj: pulveris Chinæ, dr. ijß: conservæ consolidæ, dr. iij: pinearum, pistaciarum, ana, dr. jß: diasatyrion, dr. ij: diamargariti frigidi & diarrhodon, ana, dr. ß: terræ sigillatæ, dr. ß: cum saccharo rosato fiat conditum, vel opiata cum syrupo: utatur hora somni præsertim.*

Confectio diasatyrion erit instar omnium descripta apud Fernelium.

Fotus blandi ad perinæum & partes vicinas, ex rosis communibus & transmarinis, santalis, radicibus consolidæ, bistortæ, & tormentillæ utriusque, foliis myrti, & plantaginis coctis in aqua & vino.

℞. *Emplastri contra rupturam, unc. j: unguenti Comitissæ & desiccativi rubri, ana, dr. vj: trochisci de spodio, & terra sigillata, ana, dr. j: pulveris santali & mastiches, ana, scr. iv. cum cera lota in aqua rosarum & aceto pauco, addita pauca terebenthina fiat magdaleon pro inguinibus & partibus vicinis.*

℞. *Emplastri ad fracturas ossium, unc. ij: cerati santali, unc. j: pro lumbis.*

Injectiones fiant in penem roborantes ex rosarum, heptaphylli, pentaphylli & scabiosæ decocto.

Forte & blandum Chinæ decoctum valebit, additis santalis.

ANNOTATIONES.

1. *De excitantibus ad Venerem, aut Venerem sopientibus exstinguentibusque abunde* cap. 10. lib. 26. *Plinius, ubi ex Theophrasto citat esse herbam quam-*

quamdam Veneris concitatricem quæ post coitum sexagesimum etiam Venerem non sinit elanguere; notandus locus; item de satyrio quod si quis id manu tangat, ad Venerem stimulatur; ibidem. Sed hæc fidem superant.

2. *Plinio* cap. 23. lib. 21. *commendatur herba dicta scolymos in vino sumta. Fuchsius ex Plinio citat locum lepidum, exemplo Cicadarum, & ad Venerem mentham sativam commendat.*

Cicer (res vulgaris) ad Venerem stimulat, semen auget, ideo ejus gratia admissariis equis datur: est autem cicer rubrum, quod ideo venereum vocatur; ocymum etiam valet.

CONSILIUM XXI.

Pro quodam juvene ad Venerem inutili.

JUnior ad Venerem avidior, promtior & ardentior fuit, hinc & seminis minor vis & vitalitas, & instrumentorum mollities, parum arrigit, & arrectio fugax, affluit etiam sponte sine libidinis pruritu quippiam spermaticum, sed falsum & adulterinum: temperamento est calidiore. Equitationibus magnis & frequentibus usus. A calidioribus abstinendum putavimus: item Venerem exercendam, sed ex longis intervallis & prægressis incentivis, & pruritibus libidinis: hæc capita sunt deliberationis.

Putamus purgandum corpus cassia, rheo, addito cinnamomo.

Clysteres non vulgares, ex emollientibus, sed qui sint vice injectionis ex rosis communibus, plantagine, foliis rubi, radicibus tormentillæ, trifolio, consolidis, lapatho, agrimonia; dissolve mel rosatum, saccharum rubrum & rosatum, syrupum rosarum pallidarum cum diapruno pauco sine oleis.

Opiata sit in usu ex conservis buglossi, borraginis, anthos, corticis citrii, florum salviæ, betonicæ, addendo parum seminis erucæ & pastinacæ, renum scincorum, pinearum, pistaciarum cum tantillo confectionis alkermes vel de hyacintho: utatur satyrio condito & præsertim ejus radice succulentiore; nam duplex radix est, una tenuior, & inutilis, alia succulentior.

Satyrium quod valet est trifolium satyriacum ita vocatum.

Frequens sit usus pinearum, pistaciarum & amygdalarum. Item bulborum, paratorum ut decet, & parum conditorum.

Cerebellis passerum & columbarum quidam utuntur ad excitandam Venerem.

Imus venter & perinæum foveantur sequenti decocto aut muria.

℞. *Salviæ minutioris, pulegii, rorismarini, ana, man. j: seminis erucæ, pastinacæ, ana, dr. ß: rosarum rubrarum, florum chamæmeli, meliloti, ana, man. ß: cyperi, unc. jß: excipe sacculo, qui bulliat in aqua & vino rubro styptico pro fotu perinæi & pectinis.*

Parte detersa fiat litus ex mastichino additis ovis formicarum & pauco castoreo; non alienum erit admovere emplastra ut ante dictum est.

ANNO-

ANNOTATIONES.

Cap.10. l.26.

1. *Hoc loco dicimus juvenem quasi eviratum, & quod junior in palæstra venerea se exercuerit & quod magnis laboribus se confecerit. Plinius notat de equis, hircis & arietibus ad coitum segnioribus, ob assiduos labores, & ea ad coitum impotentia vocatur prosedamum: eamque ob imbecillitatem quæ immodica venere contrahitur, Democritus damnavit Venerem ut in qua homo ex homine exsiliret, & hercle raritas ejus utilior. Cæsar* lib. 6. de bello Gallico *de Germanis loquens, ait, quod qui diu impuberes mansserunt maximam inter suos laudem ferunt: hinc alitur statura, aluntur vires, nervi confirmantur, intra annum viginti feminæ notitiam habuisse in turpissimis habent rebus; nam homo pubescens nodum quemdam solvit, & solvere sentit, Gallis* (dénoüer) *præcipue si qua fuerit ægritudo, & Plinius* cap.6. lib.28. & 37. lib.7. *solus homo, ait, pubescit, quod nisi contingat, sterilis est in gignendo, sive mas sit sive femina.*

Plurima genera morborum primo coitu & primo feminarum mense solvuntur.

2. *Usus cicerum commendatur: Galenus: semini generando aptum, inflationes facit, Venerem stimulat: rubrum autem calidius albo, & lædit vesicam exulceratam & renes: semen bombacis idem præstat. Sed maxime sal ad Venerem excitat, ideo putavere quidam Venerem ex mari ortam: apud Plutarchum usus salis prohibitus erat sacerdotibus, ut essent castiores, & in sacrificiis a sale abstinebatur.*

CONSILIUM XXII.

De vetere Arthritide.

Manardus c. 32. l. 14. remedia præscribit non negligenda.

Victus ratio in primis servanda: abstinendum ab iis quæ ad cutem humores pellunt: vini usus moderandus. Venus mediocris, sectio venæ ex intervallis, purgationes ante paroxysmum arthriticum. Hirudines pedibus aliquando admovendæ. Cauteria repetenda. Fotus blandi ex herbis coctis in aqua & vino cum sacculo vel spongia. Balneum aquæ dulcis, additis rosis, summitatibus rubi. Balnea naturalia sæviente dolore: Ceratum Galeni cum populeone aut vitellis ovorum; vulgare cataplasma ex mica panis cocta in lacte vel zytho; modice repellendum. Fluxionem minuent & dolorem, rosa, lens, lactuca, intybum, fructus myrthi & semina frigida; in primo impetu valet aeizoon. Mica panis secalini cocta in oxycrato inflammata parte. Cassia applicata pro divitibus, valde siccantia emplastra sub finem dolorum addi solita vitanda, aut moderanda, est enim partium & siccitas & squallor.

1.

2.

Usus lactis asinini, hypnotica sæviente dolore, item usus olei ex torpedine ad demulcendos dolores arthriticos: usus pilularum validarum vitandus. Opiata laxativa addito pulvere Chinæ præferenda.

ANNO-

ANNOTATIONES.

1. *Laudant balnea aquæ tepentis domestica, laudant & naturalia; immo aquæ naturales suo tempore maxime conferre possunt.*

2. *De podagra Romanis incognita: Plinius* cap. 10. lib. 26. *morbus avorum memoria incognitus & peregrinus insanabilis non est credendus; sponte & desinit & curatur remediis convenientibus: idem narrat eos qui lacte asinino usi sunt fere a morbo arthritico immunes:* cap. 9. lib. 28. *Sic non modo nascentibus nobis, sed & senescentibus lac prodest.*

CONSILIUM XXIII.

De Paraphimosi.

VIr erat annos natus sexaginta paraphimosin in balano habens, dubitabatur an a lue, an a nimio conatu, an ob fluorem muliebrem uxoris: malignum quid phlogosis & tumor & replicatio præputii præseferebat.

Consultum ut corpus diligenter purgaretur, aut opiata laxativa, aut solemni syrupo.

Phlebotomia brachii, immo malleolorum, si phlogosis gliscat.

Balneum, litus, & prægrediens fotus mollis ad partem.

Usus radicis sassafras aut chinæ, additis santalis ob intemperiem hominis in potu; & post opiatam convenientem cardiacam, injectio detergens & parum emolliens, inter balanum & præputium.

Emplastrum de mucilaginibus cum pauco neapolitano. Immo pilulæ mercuriales valebunt; & levis sectio malo rebellante.

ANNOTATIO.

Nomen φιμώσεως (x) non modo ad penem referri debet, sed ad omnes partes naturales quæ meatum habent, & diduci possunt, ut oculos, anum, præputium, uterum, labia; verum de præputio frequentius dici consuevit sic glandem seu balanum tegente ut nudari non possit; capistratio a nonnullis dicitur. Est autem φίμος nexus summi oris sacculorum, quum toto superiore ejus ambitu in angustum collecto funiculo clauduntur & religantur; παραφίμωσις (y) quum e contrario, tum præputium, tum alia naturales meatus occludentia ita retrorsum deducta sunt ut reduci nequeant.

(x) Phimoseos. (y) Paraphimosis.

CONSILIUM XXIV.

Pro D. Villebois Seneschalio aliquid vertiginosum sentiente partim ab hypochondriis, partim a capite.

CUique ætati sua est sanitas, sui germani & proprii morbi; progressus & incrementum impediendum, licet currentibus annis multæ eveniant mutationes.

Senibus, inter alios morbos, vertigo est familiaris affectus, terrificus, sed qui plus terroris sæpe quam periculi afferat, ideo non negligendus. Nam ut morbi animi, sic & corporis, non ibi finiuntur ubi oriuntur, facilis ortus, difficilis interitus eorum; ubi sunt in ortu, & quasi in cunabulis, facile vitantur, adulti vix evitantur.

In D. ægrotante quinquagenario vertiginis leve quoddam initium est, cum subdeliquio animi; dii prohibeant incrementum; & eo minus negligendus affectus nascens, quia licet forte a partibus imis sit, cerebrum pars princeps afficiatur; tandem morbus alienigena in cerebro sedem firmat quasi jus civitatis habiturus quod eo perniciosius est. Ceterum ut notavit Hippocrates, *parva etiamnum causa in parte principe magnum quid affert*, magnas item tragœdias ciet: μικρὴ αἰτίη ἄκεσιν λύεται, ἢν μή τι περὶ τόπον καίριον πάθη (z): malum hoc non tam per se formidandum quam consecutione majorum metuendum, ex metu securitas, nec aliquis celerius opprimitur quam qui nil timet. Apud comicos timido celeritas tribuitur ad quærendum, percontandum, securo tarditas: timens paucis verbis & utitur & alium audit, securus pluribus: summum indicium securitatis superbia est, nimia securitas frequens est initium calamitatis.

Et prudens Medicus minus de hoc malo, ut de omni gravi quod quid pejus minatur, securus sit, ne si neglectus sit morbus, aut ars malo victa fuerit, vel ignorasse vel fefellisse reputetur.

In domino ægrotante minus negligendus ætati congener, quia ejus animus inquies est, & curis perpetuis studiisque affectus, corpus assiduo labore affectum. Accedit, quod ei cerebrum exquisiti sensus, (nervos & membranas audio) celeres sunt motus, defæcatius & expurgatius est cerebrum, talia capita vertigini, & deterioribus affectibus patent.

Id quod metum auget, est quia circa ortus & obitus lunæ malum se prodit; at astra maxime vim in caput exercent, ut in sedem & metropolin rationis & prudentiæ: accedit quod assidua cogitatio occæcat abducto intus visu; Magna pars urbanorum studiosorum imbecillo est ventriculo, quod observatione maxime dignum est, immo & capite, ob studia & curas; in his cruditas & vaporum in caput summissio.

Ad

(z) Causa parva nisi quidpiam fuerit affectum circa locum principalem.

Ad hos canones pro tuenda ſanitate, & vitando malo conſilium omne dirigendum. *Hipp. lib. 2. de diæta, de viſu, & auditu qui moveat ſpiritus; & deſiccet.*

Caput non nimis tegendum, nec aperiendum, & contumeliis aëris objiciendum. Quamquam antiquitas pinxit omnes fere tecto capite, ut erat ſollicita de tegendo rationis domicilio, tamen Plinius ait veteres ſtatuiſſe ut coram Magiſtratu capita aperirentur, non tam venerationis gratia, quam ut conſuetudine capita fierent firmiora. *Cap. 6. lib. 28.*

Vitetur nimius labor corporis, & animi, ne labore pertinaci vires trucidentur. Labor animi reddit corpus infirmius, & corporis idem rependit animo, licet ignavia corpus hebetet, labor firmet, illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcentiam faciat; hæc ſint mediocria.

Valetudinarii vivunt qui inquieti vivunt. Moderanda ergo omnis animi actio (ut dixi) quod ad ſanitatem confert, auctore Platone, ſumens ſimile ex equis conjugatis eumdem currum trahentibus, ut par eorum ſit tractus, labor & conatus.

Jejunium vitandum, delectus ſit ciborum ut melior ſit coctio; vina calidiora vitanda: Primo hauſtu ſit aqua, fractum & quaſi enerve & præſumatur cibus.

Odorata vitanda.

Non ſoli capiti providendum ſed & viſceribus in quibus aliquid eſt hypochondriacum, hinc teter vapor. Non excitanda ſternutamenta. Blando errhino, melicrato utendum aut jure betæ.

Lectio ſit moderata, præſertim a cibo.

A cæpis, alliis & acrioribus alimentis abſtinendum.

Si animus nimis vigil, nec placidus ſomnus vel defectu benigni vaporis aut mentis agitatione, aut cerebri ſiccitate, hordeata, & conſervæ nenupharis, & violarum ſub horam ſomni in uſu ſunto.

A paſtu aut gelatina cydoniorum, aut pulvis digeſtivus, & panis bis coctus dulciarius.

Conſulimus partibus nutritiis, unde mali prima labes, ne cerebrum coafficiatur.

Clyſterum frequens uſus eſto.

Purgatio.

℞. Radicis bugloſſi, tormentillæ, caryophyllatæ, & tunicæ, ana, dr. ij: bipinellæ, veronicæ, bugloſſi, meliſſæ, betonicæ, epithymi, eupatorii, ana, man. ß: ſeminis fœniculi florentini, cardui, ana, ſcr. ß: foliorum ſennæ, dr. iij: infunde per horas aliquot, addendo corticis citrii conditi, dr. jß. diſſolve expreſſionem dr. ij: rhei ad partem cum cinnamomo & ligno aloes infuſi: ſyrupi de pomis laxativi & de cichorio compoſito, ana, dr. vj: fiat doſis.

Pilulæ.

℞. Aloes lotæ in ſucco bugloſſi aut borraginis, dr. vj: rhei, dr. j: ſennæ, ſcr. iv: ligni aloes & ambræ, ana, gr. x: radicis dictamni & electuarii triſantalon, ana, ſcr. j: ſeminis ocymi & viſci querni, ana, ſcr. ß: cum ſyrupo de cichorio compoſito fiat maſſa: utatur ante paſtum: poſſunt validiores pilulæ decerni, ſed uſu rariores.

Conditum.

℞. Conſervarum violarum, bugloſſi, borraginis, corticis citrii, ana, unc. ß: conſervarum betonicæ, anthos, ana, dr. ij: viſci querni, dr. ß: diamargariti frigidi & electuarii de gemmis, ana, ſcr. j: radicis dictamni, ſcr. ß: pulveris

angelicæ, gr. vj: confectionis alkermes, dr. j: myrobalanorum, dr. ij: cum saccharo buglossato aut rosato fiat conditum pro fine pastus.

Mist. in pooliis. ℞. *Pulveris diaireos, dr. j: radicis dictamni, tormentillæ, ana, scr. j: diarrhodon Abbatis, triasantalon simplicis, ana, scr. ij: rasuræ eboris, cornu cervi, dentis apri, visci querni, margaritarum electarum, ana, scr. j: confectionis alkermes, gr. x: conservæ rosarum & corticis citrii, ana, scr. iv: cum saccharo in aqua rosarum soluto fiant tabellæ usuales.*

Balnea æstate in usu sunto.

Hæc est summa Consilii nostri. A validis, & a capite evocantibus abstinendum putamus; danda opera partibus nutritioni dicatis, non neglecto capite; hoc nostrum sit præjudicium tamquam ad graviora præludium: judicium Medico domestico relinquimus, plus pedes multi faciunt quam unus. Convivium a pluribus collatum melius est ac lautius, quam unum atque simplex. Multorum conventus rectius decernit quam vir unus, quisquis ille est; Medicus domesticus addat, detrahat pro ratione loci, temporis, ægroti, & ingenii morbi.

ANNOTATIONES.

1. *In sicco prudentia esse dicitur, & qui calidiore, & sicciore sunt cerebro, ii sæpe acriores, actuosiores, prudentiores aut potius celerioris ingenii. Zoroastres hominum primus risit eo die quo genitus est: eidem cerebrum ita palpitavit ut impositam repelleret manum, id quod futuræ scientiæ erat præsagium, tales non tam sunt prudentes quam scientes.*

2. *Ad ægros qui consueverunt ferre aëris incommoda eodem habitu omni tempore (adeo magna vis consuetudinis mollitie spreta) accommodari potest* apopht. 20. & 24. *de Agesilao* lib. 1. apoph. & 19. lib. 8. de *Polemone. Et revera (ut ait Celsus) assueti duris frustra ad delicias vocantur. Sic aliquid de Parthis & Græcis simile scribunt; nam in ingenti clade mortuorum facie tabo perfusa capita sunt distincta ex mollitie eorum, qui tecta habebant capita, & duritie eorum quibus aperta erant semper capita.*

CONSILIUM XXV.

Pro muliere stranguriam septennem patiente.

NOvies utero gestaverat, nona graviditate puellam utero gerebat. Ad tertium mensem, meiendi desiderium incessit, aliis rebus occupata non meminit urinam emittere: aliquo post tempore eam non reddidit: conqueritur, stranguriosum quid ei contigit; id vires acquisivit, etiam a partu in quo spes erat sanitatis: ab eo tempore misere eo affectu afflicta est: dubitant an lapis, an oris vesicæ ulceratio; omittitur immissio catheteris, augetur malum calamitosum, læditur injectionibus in sinum pudoris; vel magna est exulceratio, vel injectiones sunt acriores. Medici ambigunt

bigunt quid & unde id ſit, urina non ſœtet, reddit aliquando craſſas urinas & cum lacteo ſedimento, quod abſceſſum vel in veſica, vel in paraſtatis, vel renibus ſignificat, etſi numquam de rene queſta eſt; ad nos itum eſt, imploratur auxilium.

An hæc tantula ſuppreſſio & retentio urinæ potuit tantum malum accerſere? potuit, ſi diis placet. Ita Galenus: *Quum craſſior urina eſt ſemel retenta & diutius, & non reddita legitimo & ſtato tempore, fit initium lapidis*; id decretum Galeni forte in hac ægra locum habuit. *Com. in 6. Epid. in eum aph. in pueris poſt miction concretio.*

Id facile fieri potuit, in mulieribus quarum urinæ ſunt jumentorum urinis magis ſimiles; in gravidis, quibus ob fetum facile urinæ difficultas oboritur: Accedit quod ea mulier geſtabat filiam & imo quaſi ventre collocatam, unde veſica conſtringi potuit: Item geſtatio femellarum aliquid ſæpe mali moris & ominis ſecum trahit & geſtat. Quærendum eſt an non fluorem muliebrem ſit paſſa, an non a viro aliquid contraxerit, item obſtetrix obſervet & exploret, an uterus loco non ſit motus. Exploranda fuit cathetere, & ad lapidem, & ad ulcera, qua parte manent & ſæviant. Mulierum morbi ſunt curatu difficiliores & maxime ob pudorem, quia ſe ſe facile non produnt, ſi quid præſertim circa naturalia oriatur: forte fuit initium calculi ex levi occaſione & ſe exprimendo, & comprimendo facile cogit lapidem manente & expreſſa tenuiori materia, & Hippocrates ait, *lapis fit ex bilioſiſſima materia* (ut eſt ſabulum) *& pituitoſiſſima, quæ eſt mucus tamquam cæmentum lapidis.* *Inveſtigatio cauſæ.*

Alia ſunt remedia lapidis, alia ulcerum, & quod unum juvat, alterum lædit, ideo conſtet de morbo.

Ægra abſtineat ab acidis, ſalſis, & acribus, & a diureticis; uretica non damno; emulſiones ex decocto hordei, ſeminibus frigidis, majoribus & minoribus. *Victus.*

Addatur ſaccharum roſatum in ulcere, candum in lapide.

Utatur caſſia in bolo addito diatragacantho frigido, vel clarificata caſſia ſoluta in decocto radicis pentaphylli, tunicæ, oxylapathi, bipinellæ, piloſellæ, paucis baccis halicacabi additis foliis ſennæ & unc. jß: caſſiæ.

Clyſteres frequentes, ſi ulcera ſunt, addantur herbæ vulnerariæ, veronica, betonica, conſolida; clyſteres ex decocto capitis vitulini, ex lacte ad fomentum, quibus interdum addi poterit papaver, aut philonium. *Clyſteres.*

Fotus blandi ad imum ventrem.

Phlebotomia brachii, & malleolorum: ſemicupia; balnea, immiſſio partium pudendarum in pelvim profundam aqua, & lacte plenam. *Hypnotica.*

Utatur hypnoticis, ut omni arte levetur malum; pilulæ de cynogloſſo locum habebunt; injectiones valent ex althæa, conſolida, fragaria, agrimonia, ſanicula, bugloſſo, veronica, addito ſyrupo de ſiccis & julepo roſato, aut melle violarum aut roſato, ſi ferre queat. Item aqua amygdalata injecta.

Si ulcera rebellent, trochiſci Gordonii aut albi Rhaſis, aut aqua Lanfranci ſubjicientur.

Potus. Utatur aqua ſaccharata, vino fracto, ptiſana, pomaceo, aqua alba ex amygdalis.

Pulvis. ℞. *Pulveris electuarii diatragacanthi frigidi, dr. vj: glycyrrhizæ, dr. ij: ſeminis portulacæ & papaveris albi, ana, ſcr. iv: boli Armenæ, ſcr. ij: carabes, diamargariti frigidi, ana, dr. ß: raſuræ eboris, cornu cervi, antheræ, ana, dr. ß: conſervæ roſarum, dr. j: ſacchari roſati, unc. iv: fiat pulvis, capiat aliquando mane dr. ß: ex hydromelite.*

Utatur trochiſcis alkekengi Fernelianis; hydromeli conferet ex decocto pentaphylli, hordei, melle & ſaccharo cando, aromatizato ligno aloes aut rhodio.

Si ulcera ſunt, terebenthina lota valet: radix ſaſſafras conferet: lac aſinæ mane & veſperi.

Quia emacruit utatur marci-panibus ex carne pullorum cum amygdalis, piſtaciis, penidiis lautis in aqua roſarum & nenupharis: ad ulcera maſſa pilularum ſequens utilis erit tempore & loco.

℞. *Pulveris conſolidæ & radicis ſanamundæ, ana, dr. ß: terebenthinæ uſtæ & pulveriſatæ, ſcr. iv: conſervæ roſæ ſiccæ, dr. ß: rhei, dr. j: rhapontici, ſcr. ij: carabes, ſcr. j: electuarii diatragacanthi frigidi & diaireos, ana, ſcr. ij: cum ſyrupo roſarum ſiccarum fiat maſſa: capiat dr. j pro doſi.*

CONSILIUM XXVI.

De Tumore cancroſo pro D. de S. Jean.

NOn ita pridem prædixeramus oriturum cancroſum quid, quum mali maligni initia & incunabula (ut ſic dicam) videremus; utinam nos augures augurium fefelliſſet, mitius cum domina ægra actum fuiſſet, nec tanta mali atque doloris acerbitas fuiſſet, nec projecta appetentia fuiſſet, quæ mala ut ſignum, & ut cauſa: ut ſignum, quia dominatum atræ bilis docet, hæc proſternit appetitum, ut acidus & naturalis ſuccus melancholicus acuere ſolet; ab aduſtione enim natura abhorret: ut cauſa, quia corpus marceſcit & macreſcit, deeſt habituoſa & glutinoſa ſubſtantia quæ calori febrili reſiſtat, maligna atræ bilis acerbitas alimento, cum appetitu ſumto, mitigatur & demulcetur.

Cauſa.

Atrabilis appetentiam dejicit, acidus ſuccus naturalis contra eam acuit.

Quæſtio nunc, an pyroticum, aut ſupra aut infra partem tumentem conferat? utrique parti ſua ſunt patrocinii momenta.

1. Hic quid dicam animi ſum anceps, an ſupra an infra malum. Id canon eſt prudentiæ, non tam videndum ut proſimus, quam ut non obſimus; quum enim nobis res ſit cum corpore ſucco atro & feroce ſcatente, videndum ne quid ſiniſtri contingat in ea parte quam cauterium exuſſerit, & domeſtici judicium Medici laudo id remedium diſſuadentis. Si mite cauterium, inutile; ſi immitius vix præſtabitur periculum: meum ante fuit præjudicium quum de ea re rogaremur, certo nunc judicio confirmamus. Ægra tabeſcit vi morbi, ætate, mœrore, defectu alimenti novi, appetitu

appetitu proſtrato; tabo melancholico & ichore carnes irrigantur; vereor ne pro levamento novi mali ſit irritamentum, itaque abſtinendum, brachio adhiberi poteſt minore cum periculo, profectu minimo. De prognoſtico certe hoc dicere licet quod malum hoc grave & plenum terroris exſiſtit in muliere potiſſimum; quotidianis enim rerum eventis & obſervationibus deprehendere licet, mulieres non pronas eſſe ad hypochondriacum affectum & melancholiam ab aduſtione, repugnans enim habent temperamentum; ſed ubi ſemel in eum affectum inciderunt, difficilius curantur.

Hipp. in Aph. Hypochondriacæ mulieres difficilius curantur quã viri, & non ita huic affectioni obnoxiæ.

Cancri ſunt alendi, non curandi, nec irritandi, inutilis opera eſt, & ægri ſequitur calamitas; mitigare, delinire humanius, tutius; irritare crudelius, periculoſius.

Phlebotomia ex intervallis juvat: conciliatio ſomni etiam laudano monſtri paracelſici, vel ſolemnibus & ſolitis hypnoticis.

Syrupus de pomis, de ſuccis, pilularum uſus non probatur, opiata ex conſervis, pulvere ſennæ, rheo, & ſimilibus utilior & tutior: omni ope excitanda appetentia, & etiam deteriore cibo ſed gratiore, diuturnum ægrotantium deſiderium: juvat Medicorum indulgentia (Hippocrate teſte) in morbo diuturno. 2.

ANNOTATIONES.

1. *Melancholici ubi ſunt inappetentes male habent; ſplenici ſunt voraces, ſed de acido ſucco melancholico non de aduſto eſt judicium: nam ſæpe appetentiam dejicit, immo voraces ſplenici ſunt non tam ob acidum ſuccum quam cancroſam lienis diſpoſitionem.*

2. *Purgatio inſtituitur frequentior non vehementior, & ſicubi alias* ἐπίκρασις (a) *locum habet ut ſit nutritionis & purgationis gradus & viciſſitudo; frequens & mitior evacuatio ſupplet vicem minus frequentis, ſed validioris, quamquam Hippocrates* in Aph. *per inferiora vult melancholicos* ἀδροτέρως (b) *repurgari. Tamen cum quartanariis mitius agitur, quum tamen ea ab humore ſit melancholico: Item cancros qui ſunt ſoboles iſtius humoris alimus & nutrimus, vehementibus irritamus. Ita autem hic ſcrupulus adimitur. Agitandi ſunt & purgandi melancholici* ἀδροτέρως, *non omnes, ſed qui purgatione egent. Ita Meſuæus*, in morbis melancholicis non ſemel, non bis, ſed per intervalla molienda eſt evacuatio, eaque ita temperata eſſe debet, ut natura regat evacuationem, non evacuatio naturam ipſam. *In his ergo maxime habenda ratio aduſtionis & caloris adurentis, nec ſimpliciter calor conſiderandus, quod tumores atrabilarii ſatis ſuperque teſtantur. Eſtque virus quoddam junctum cum aduſtione quod plumbo ſolanove emendatur quodammodo, aliiſque vehementioribus magis ac magis irritatur: quod ſi in externis affectibus curandis, qui virus & pertinaciam melancholicam redolent, moderatio adhibenda eſt, ut non exacerbentur ſed nutriantur, cur non idem in internis affectibus melancho-*

(a) Epicraſis. (b) Abundantiùs.

melancholicis usurpandum? Irritatio istorum morborum, seu externorum, doloris provocatio est, mors ipsa denique; eorumdem nutritio, est fomentum quoddam, dolorum levatio, dulcedo quædam, vitæ ejusque prorogatio. Sic melancholicis lac, balnea, & quidquid modicum temperatumque est profuit, quod violentum irritansque obfuit. Sic enim adustio humorum, & maxime si bilis flava assetur, imprimit vim nescio quam humoribus: unde quos alioquin irritat frigus, & calor, eos lenit, fovet, mitigat medium ac temperatum. Et quod de humoribus atrabilariis dicitur, idem de moribus melancholicorum audiendum est: acerbioribus objurgationibus irritantur ac ferociunt, molliori-bus verbis & frigidis minime corriguntur, moderatis rationibus ac sermonibus facile acquiescunt ac temperantur.

CONSILIUM XXVII.

De hernia pro filia D. Margeret.

RAmicosi colicos dolores facile patiuntur, id fit ob ligaturas, & subligacula adstringentia: Item aliquod vitium est in conformatione, in mesenterio & intestinis: fit æstus in intestinis, flatus generatio & impetus, alvi durities, unde caloris incrementum, immo motus περισταλτικὸς (c) intestinorum vitiatur quodammodo, & ob flatus vernaculos calida ventri admoventur; hinc calor, hinc alvi durities & egestio laboriosa quæ intestinum expellit; quod venter intumet, deinde subsidit, id a glandularum mesenterii tumore, & quasi fermentatione oritur, vel ubi serum putre aut flatus adsunt.

Pro ramice non valde probantur remedia per os sumta, quidquid obganniant impostores, qui vocem facto sublimiorem habent, pulvis tamen probari potest post usum topicorum, de quo Fernelius in libello consiliorum egit.

Consultum est ut omnis agitatio corporis violenta vitaretur.

Pilularum communium usus communis valet ad alvum facilem.

Conveniens deligatio plurimum præstat in curatione herniæ.

Maxima vis in fasciarum convenientium usu.

Pulvis.

In fine pastus conveniet hic pulvis.

℞. Panis tosti & pulverisati, unc. j: radicis consolidæ, dr. jß: coriandri conditi, fœniculi, anisi, ana, dr. ij: conservæ rosæ siccæ, dr. jß: carabes, rasuræ eboris, ligni rhodii, ana, dr. ß: pulveris electuarii triasantalon, scr. ij: sacchari rosati & communis, ana, unc. iij: fiat pulvis de quo capiat post pastum.

Utatur conserva sive opiata sequenti, bis aut ter in hebdomada, maxime circa lunæ occasum.

Opiata.

℞. Conservæ berberorum, rosarum, ana, dr. vj: myvæ cydoniorum, unc. j: conservæ symphyti, unc. j: corticis citrii, myrobalanorum conditarum, ana, dr. iij:

(c) Peristalticus.

dr. iij: corallii rubri, radicis bardanæ, pentaphylli, & bistortæ, ana, scr. iv: seminis portulacæ, plantaginis, ana, dr. j: electuarii diatragacanthi frigidi & diarrhodon, ana, dr. ß: limaturæ chalybis præparatæ, unc. ß: cum syrupo cytoniorum & julepo rosato fiat opiata, de qua sumat ut dictum est. Vel

℞. *Conservæ symphyti majoris, rosarum antiquarum, corticis citri, sacchari candi, ana, unc. j: sigilli beatæ Mariæ, jaceæ albæ & nigræ, ana, dr. ij: boli Armenæ in aqua rosarum lotæ, sanguinis draconis, ana, dr. ijß: acaciæ, hypocystidos, ana, dr. jß: carnis cydoniorum saccharo conditæ sine aromatibus, unc. ij: limaturæ chalybis, unc. j: syrupi myrtini q. s. fiat opiata ad usum.*

Valebit emplastrum contra rupturam cum mastiche, magnetis lapide, acacia, hypocystide, bolo Armena exceptis oleo cydoniorum & terebenthina.

Item Fotus ex unc. ß. aluminis dissoluti in lib. j. aquæ fabrorum & coct. ad medias pro fotu. *Fotus.*

CONSILIUM XXVIII.

De sterilitate, an ex parte viri, an mulieris.

IN rebus æstimandis & judicio ferendo omnia utrimque ad certam regulam sunt revocanda, ne falsum pro vero supponatur.

Atque quum alias tum maxime, quum agitur de infecunditate, quæ molesta esse solet, & matrimoniorum perturbatrix; soboles enim eorum est vinculum, fidum pignus, & amicitiæ conciliatrix. Et quoniam ad tristiorem partem strenua est suspicio vimque affert veritati: ea suspicio innocenti sæpe nocet dum spes prolis titillat, sollicitat, lites fovet. In causa infecunditatis æqua lanx est afferenda.

In re quæ proponitur maritus culpa non vacat, non vacat & mulier. 1.

Mola, quæ est moles indigesta & naturæ quoddam irritum opus & quasi ludibrium, docet, aut viri semen effetum, aut uterum naturæ ægrum uligine plenum, unde semen serescit & vim genitivam amittit.

Vir arrigit, emittit, effundit, & immittit, bene Venerem explicat; id quod viro patrocinatur naturalia sunt secundum naturam: mulier ῥῦν quemdam patitur, & eo tabo irriguus uterus minus est aptus ad semen concipiendum etiam prolificum, ut sua virili & mascula vi semen muliebre ad texturam, & primum exordium, & ad opus mutuum excitet; impuritas uteri, quæ hunc quasi indignabundum reddit, maxime causa est sterilitatis. 2. *Fluores albi Veneri officiunt & nocent. Hipp. sect. 2. lib. 2. Epid. Eorum colluvie semen effetum fit & indignabundus.*

Dicunt mulierem habere corpus ἐυσαρκον (*d*) & habitius, item & virum. At corpora habitiora sæpe non sunt magis prolifica, immo minus.

(*d*) Bene carnosum.

uterus congressum aversatur.

3. Macra sunt salaciora, libidinosiora, & fecundiora, licet semen prolificum glutinis plus habere debeat & lentæ substantiæ ad fecunditatem, & diuturnitatem; & plantæ sunt vivaciores quæ plus lenti & glutinosi habent humoris.

4. Salaces aliquando sunt infecundi, quum habeant salem ad libidinem, sed non ἐνέργειαν (*e*) prolificam. Id forte huic viro convenit; statim incitatur, statim Venerem explicat, statim elanguet, non desinit tamen semen esse naturale & fecundum: in amplexu suo & congressus aculeo cunctantior esse debet, ut non tam facile semen emittatur.

Judicium dominorum Consulum & rei æstimatorum esse debet, ut habeatur ratio viri, non negligatur mulier.

Labor corporis menti obest & vice versa.

Viri, ut bona victus lege utatur; si negotiosus, actiones temperet: labor corporis mentem impedit, labor mentis corpus adimit (ut loquitur Plinius) & attenuat, homines negotia perplexa tractantes (Græce πολυπράγμονες) aut non sunt prolifici, aut prolem valetudinariam producunt.

Purgatio.

5. Purgetur vir aliquando senna, syrupo de cichoreo, & rosarum, ut semen serosius esse desinat; cassia effeminat ni addatur rheum. Vide potum ante institutum ad eum finem.

Tabellæ.

Utatur tabellis roborantibus cum rheo & croco martis, ligno rhodio, aloes, addito pulvere scincorum præparatorum; utatur & conservis. Verum hæ tabellæ non conveniunt, si non fluidum semen, & imbecilli hepatis signum non adsit.

Fotus virilium blandus: quamquam de eo dubitatur, quia e natura habent.

Purgationes pro muliere instituendæ sint blandæ; fotus, & insessus, addita artemisia, matricaria, betonica, bistorta, sanamonda, rosis, consolida utraque conferent. Immo injectiones in uterum ex iisdem herbis.

Tabellæ roborantes ex triasantalo, rheo, croco martis.

Decoctum blandum ex china si ῥεῦς perseveret. Sed maxime videndum ne mulieri sit levis suspicio de impotentia viri, ut ne vinculum matrimonii resolvatur, quod spes prolis firmat; & id passim hodie fit, & quum

6. mulieres non ament viros, nisi frigidiuscule, impotentiam facile prætexunt ad dissolvendum matrimonium: & infecunditatem adferunt ut justam repudii causam, sed sæpe imaginariam, & falsæ & mendacis amicitiæ testem: sunt enim corpora quædam quæ simul juncta habent quamdam antipathiam ad justam fecunditatem & lætam: *est quædam privatim dissociatio corporum* (ait Plinius) *& inter steriles ubi quum aliis junxere gignunt, alii, aliæque tantum mares, alii feminas gignunt, alii alternant, alii semel in vita datur gignere.*

Corpora quædam simul juncta habent quamdam antipathiam. Valerius cap. 1. lib. 1. & de cœlibatu punito c. 9. lib. 2.

Verum cupiditas puerorum conjugali fidei præponi non debet, etsi natura quemadmodum nascendi, ita gignendi legem scribit, & nos parentes alendo, nepotum nutriendorum debito alligavit.

(*e*) Energiam.

ANNO

ANNOTATIONES.

1. *Senes sunt ad Venerem inepti, & vanum sæpe trahunt laborem; sunt tamquam milites emeriti, immo seniliter oderunt, quod in juventute fuit amabile. Ajunt auroram deam, (& hinc auroræ nomen) habuisse quemdam Deum maritum, quem (quum is senex factus esset) in crepusculo & summo mane relicto cubili maritum deserebat.*

2. *Diximus alias virum non debere esse aut fatuum, aut insulsum, quia aut non excitatur ad Venerem aut eam non explet. At ex parte mulieris in congressu non debet nimium se movere, quod mulieres quæ nolunt concipere faciunt, & id latine, crissare dicitur; id autem faciunt ut concinniorem Venerem exhibeant viris, aut ut sibi abigant conceptum semen, quod incidit in vulvam feminæ in ipso conceptu non se moventis; sic salacitas in viro, & nimia concussatio & motus in congressu sterilitatem facit.*

3. *Ea dari debent talibus corporibus quæ minuunt corpus, frictio dura & vehemens spissat, mollis lenit, multa corpus adimit, ut ait Plinius.*

4. *Paullo post aliud dicitur, citaturque locus Plin. cap. 37. lib. 11. ex quo colligere licet corpora pinguia minus fecunda & senescere celerius. Et revera observatione deprehendimus homines hirtos esse salaciores & libidinosiores.* Plin.

5. *Ut mulier concipiat puram esse oportet, quoad fieri potest, nam muco plenæ nec facile concipiunt nec signa conceptus percipiunt; unde Hippocrates* lib. de carnibus, *horrorem, calorem, dentium stridorem, convulsionem quamdam circa articulos, uteri segnitiem & torporem signa conceptus prodit, sed puras mulieres hoc pati asseverat, crassæ & mucosæ non ita percipiunt.*

6. *Non fuit visum divortium Romæ inter virum & uxorem, nisi post annum vigesimum & quingentesimum ab urbe condita, idque ob sterilitatem. Servilius Spurius primus cum uxore infecunditatis causa divortium fecit.* Plut. in compar. inf. Thes. & Rom.

CONSILIUM XXIX.

De Febre καυσώδει (f) pro D. Gobelin Abbatissa.

QUoniam in acutis morbis minimis momentis maximæ fiunt inclinationes, unde etiam bonorum Medicorum in dubio fluctuat animus aut ad sanitatem aut ad mortem; vereor in hac ægra (quod omen Deus avertat) ne non sit tam locus spei quam desperationi. Α'υτοψία (g) Medicum assidentem aut docet aut confirmat, consules Medicos absentia ipsa dubios & ancipites reddit, æqua lanx ad Medicum domesticum, desiderium & incertum consilium ad absentes Medicos pertinet. Desperatio 1.
hinc aliqua nata quod morbus sit auctus, est enim febris καυσώδης, magnus

 morbus,

(f) Ardente. (g) Ocularis inspectio.

morbus, major in ſene muliere, maximus quod non ita pridem gravi morbo afflicta fuerit, a quo vix dum reſpiravit vireſque reſumſit; ſi morbus remediis non ceſſerit, ſed ea eluſerit, vix forte noſtris obſequetur; conferemus conſilia in ſalutem Ægræ, quia in collatis conſiliis eſt quid auſpicatius, firmius & auguſtius, quam in ſingulari judicio; ſi morbo victore fruſtra data & tardius miſſa id morbo celeri non negligentiæ cunctabundæ tribuendum. Ut dictum ita factum, & quia in numero eſt quid magnum & auguſta vis perhibetur conſilii collati, quod ſingulis quibuſque judicii parum inſit, omnibus plurimum.

Plin. ſec. lib. 7. Epiſtola de Pomponio tragœdo & Ariſt. 3. polit.

Noſtrum conſilium D. Martino Collegæ forte obvio communicavi, aperui. Ille illud probavit, ſubſcripſit, idem cenſuit & non recenſuit.

Remedia.

Clyſteres ex carnium vitulinarum decocto. Epithemata ad cor & hepar ob incendium, litus ad ſpinam ex roſato Meſuei. Fotus blandi ad renem, veteris & querulæ affectionis ſedem, ſi ſæviat dolor nephriticus, modo non ſit a febre.

2. Apozemata inſtar gratarum emulſionum, dilutum caſſiæ cum ſyrupo limonum; abſtineat rheo ni lingua & morbus madeſcat, terebenthina cum rheo in eo ardore damnetur; miror cur data, niſi ob ſuppreſſam urinam; at ſæpe in febribus ardentibus ſuppreſſio urinæ eſt κατὰ ἐπιγένεσιν (*h*) ob febrem, forte eo neceſſitas adegit. Boni conſules, ſi non probarint; inter viros bonos, quos malus animus & affectus tranſverſos non agit, tam grata eſſe debet diſſentientis ſimplicitas, quam probantis auctoritas, modo ſit ſtudium, & cognoſcendæ veritatis ſtimulus, candor debet adeſſe potius quam triſtis & ambitioſa cenſura; difficilis ſæpe rerum cognitio & in ambiguo multa ambigunt & vacillant.

Phlebotomia valet ni vires reclament.

Conciliandus ſomnus nenupharino, hordeata, lotiones pedum, diſtillatum inſtaurans cum julepo roſato.

ANNOTATIONES.

1. *Non poteſt Medicus per Epiſtolas cibi aut balnei tempus eligere; vena tangenda eſt: vetus proverbium eſt, gladiatorem in arena conſilium capere; aliquid adverſarii vultus, aliquid manus mota, aliquid ipſa inclinatio corporis intuentem monet, quid fieri ſoleat, quid oporteat in univerſum mandari poteſt & ſcribi. Tale conſilium non tantum abſentibus, ſed etiam poſteris datur. Illud autem quando fieri debeat aut quemadmodum ex longinquo nemo ſuadebit, cum rebus ipſis deliberandum eſt; non tantum præſentis, ſed vigilantis eſt occaſionem obſervare properantem. Seneca* Epiſt. lib. 3.

2. *Dulcia & pinguia ac oleoſa replent, quia ex modica mole multum diffunduntur; calefacta autem & diffuſa caliditatem in corpore replent ac tranquillam eſſe faciunt Hippocrates* 2. de diæta. *Terebenthina autem mordax aſperæ arteriæ & ori: Galenus* lib. 7. compoſ. phar. *pars oleoſa & pinguis citiſſime*

(*h*) Secundum epigeneſin.

tissime flammam & ignem concipit, ideoque præsente febre aut alicujus partis inflammatione non usurpanda; calore enim atque acrimonia phlogosin exasperat atque incendium adauget.

CONSILIUM XXX.

De Sterilitate.

MUlta pro alia muliere & ejus viro dicta sunt: sed hic nova sese res offert; nam non longe a nuptiis infecta fuit tabe venerea a viro, hinc uterus dispositionem ῥευματικὴν (*i*) contraxit. Quærebatur num ea labes sterilitatis causa esse potest, an non, & partes naturales & uterus ipse ob gonorrhæam infectus fuerit; in luem enim veneream non fit præscriptio, latent reliquiæ, domatur venenum non vincitur. Querimonia est de sterilitate, an ex parte viri aut mulieris; videas bene habita corpora & sana non beari prole; in quo Medici valde ambigunt & anxii sunt. Primo, quia eorum conscientia eos remordet, ne quid aut peccent aut faveant alterutri, ne innocens accusetur: deinde quia incitantur desiderio in querulis conjugibus prolis excitandæ quod beatum amoris pignus sit proles. In hac muliere est ῥοῦς γυναικεῖος (*k*), fundus agerque naturæ alieno humore irriguus sordescit & elanguescit. Præcipua cura ut uterus sit sanus, ne semen fecundum exolescat & vim nativam amittat.

In luem veneream non fit præscriptio.

1.

2.

Mulier bona victus lege utatur, vitet lactis usum, fructuum, ut sanguis sit robustior.

Quæ uteros habent humidos siccos &c. non concipiunt. Hipp. in Aphor.

Utatur pulvere digestivo a pastu, aut pane biscocto; magnas corporis & animi vitabit actiones, & motus præsertim a conceptu & retento semine; clysteres frequentes etiam ex decocto herbarum vulnerariarum; blando medicamento utetur.

Habebit syrupum magistralem, item pilulas usui devotas.

Vide ante innumera remedia ad eumdem finem. Aliquando secetur vena brachii, aliquando malleolorum, si purgationes voto non responderint.

Fotus ad partes naturales; injectiones in uterum moderatæ. Pessaria.

Primo vere balnea, aliquando semicupia, emplastrum pro matrice ad lumbos.

Decoctum sarsæparillæ convenienti tempore. Pilularum forma sequens usui esse potest.

Pilulæ.

℞. Aloes in aqua betonicæ lautæ, dr. vj: rhabarbari, scr. iiij: trochiscorum de carabe, scr. ij: castorei, dr. ß: agarici trochiscati, scr. iiij: ladani, dr. ij: radicis bistortæ & tormentillæ, ana, scr. j. diambræ, spicæ nardi,

(*i*) Rheumaticam.

(*k*) Fluxus muliebris.

croci martis, dr. j: cum ſyrupo capillorum veneris fiat pilularum maſſa, pro doſi capiat dr. ß: una hora ante paſtum.

3. Capiat aliquando pilulam ex terebenthina lauta in aqua bugloſſi, aut decocto herbarum capillarium. Prodeſt lauta in aqua betonicæ; capiat autem vere, & autumno ſub finem menſis menſtrui.

In decocto medicamenti ſint ſanamunda, eryngium, tormentilla, grana kermes, & alkekengi, & ſimilia; ſyrupus magiſtralis ex iiſdem, additis ſarſaparilla, parthenio, veronica, ſcabioſa, rheo, agarico, ſyrupo byzantino.

Pulvis digeſtivus prædictus addito ligno ſaſſafras; decoctum ſarſæparillæ ſine vi elicito ſudore: in ſemicupio artemiſia, mercurialis, nepetha, matricaria, capillares, bipinella, radices bardanæ, biſtortæ, chamæmeli, ſemen lini, bulliant: ſuffitus ex trochiſcis aliptæ moſcatæ: peſſus.

Suffitus. ℞. *Pulveris roſarum & antheræ, ana, ſcr. ij: ireos, dr. j: zibethi, ambræ, ana, gran. iv: moſchi, tantillum: ſantali citrini, dr. j: fiat pulvis excipiendus bombace. Si calor, irroretur peſſus aqua roſarum & nenupharis cum mucore ſeminis pſyllii, ambra & ſantalis.*

℞. *Radicis pentaphylli, biſtortæ, ſanamundæ, ana, unc. j. betonicæ, veronicæ, robertianæ, adianthi, roſarum, polygoni majoris, ana, pug. j: ligni rhodii, corticis guajaci & ſantali utriuſque, ana, dr. iij. coque in hydromel: adde ſaccharum roſatum.*

Vide de ſterilitate lib. 1. conſil. Ballonii. Suffitus fient ex convenientibus. De ſuffitu & conſervis utilibus, maxime de conſerva ſalviæ, plura aliis locis.

Inter cetera ſi hæc parum profecerint, valebit uſus radicis limonii & ſalviæ in vino albo.

4. Interea non negligendum quod dictum eſt de ſuſpectis reliquiis luis; in eam rem valebit opiata Fernelii, atque utile erit aliquot diluculis ſudores hauſto guajacino cremore blande promovere.

Meminimus trochiſcorum aliptæ moſchatæ.

Non erit alienum dare aliquando opiatam quæ ad Venerem excitet; ocymum id præſtat, uterum purgat; item ſalvia.

Ad intentiones prædictas laudatur ſyrupus ex ſuccis matricariæ, agripalmæ, nepethæ cum ſaccharo; ſi calidiora fuerint hæc, ad temperatiora veniendum eſt.

ANNOTATIONES.

1. *Mihi numquam emoritur iſta lues, nec ejus omnes fibræ eliduntur; domatur quidem, omnino vincitur ac exſtinguitur numquam; adeo magna vis eſt morbi* κατὰ τὴν ὅλην οὐσίαν (*l*): *unum tamen obſervatione dignum, quod tumores venerei domiti tandem naturæ gratiam recipientes & contagionis ſunt expertes & boni moris eſſe incipiunt, ait Vigonius.*

2. *Vulgus eſt proletarium, totum incumbit veneri, apud ignobiles vulgaris reperitur*

(*l*) Secundum totam ſubſtantiam.

reperitur generatio. Plinius cap. 14. lib. 7. *De mulieribus aptis aut ineptis ad conceptum abunde Hippocrates* 2. prorrh.

3. *Pilularum ex terebenthina usus, vere, & autumno frequenti satis in usu, sterilitati medetur. Nobilis mulier, clarissimorum Medicorum consilium secuta, hac arte & ingenio sterilitatem vitasse se affirmavit; frequenter devorabat pilulam unam ex terebenthina optima, præsertim ineunte vere, per tres menses: & exacta æstate initio autumni per tres alios menses; quod creditu non est difficile; maximas enim dotes & opportunitates terebenthina est consecuta. Et quoniam difficile in pilularum formam terebenthina reformatur: modum id faciendi ex magistrorum artis consilio aperimus; terebenthina in decocto conveniente elixanda est ut facilius ducatur, & consistentiam acquirat formandis pilulis apprime utilem.*

℞. *Radicis tormentillæ & bistortæ, ana, unc. ß: parthenii, polytrichi, melissæ, betonicæ, & trifolii odorati, ana pug. j. fiat decoctum.*

℞. *Terebenthinæ, unc. ij: bulliant in aqua decocti superioris blanda ebullitione, deinde sinantur refrigescere in parte decoctionis ejusdem actu frigidæ, adde rhei, dr. j: pulveris karabes, scr. ij: myrrhæ, dr. ß: ambræ griseæ, scr. ß: formetur massa, de qua capiat pilulam unam, ut dictum est.*

4. *Ad conceptum, mirum quod scribit Mathiolus de succo salviæ cum pauco sale. Agrippa (ait) hanc sacram herbam vocat, quam prægnantes mulieres, si fluidæ laxæque fuerint, commode comedere possunt, nam continet conceptum vitalemque reddit, at si succi hujus heminam quarto a secubitu die adjecto pauco sale hauserit, deinde viro misceatur, concipiet: aiunt in Ægypto post sævas pestilentias mulieres ab iis qui superfuerunt coactas fuisse ut eum succum biberent atque inde plurimi producti sunt fetus.*

CONSILIUM XXXI.

Ad surditatis initia pro D. Bazanier.

PUrgationes convenientes ex massa pilularum de agarico, cocciarum, lucis & aurearum, ana, dr. j. aloes nutritæ in decocto betonicæ & maceratæ, dr. iij: cum syrupo de stœchade: dosis a dr. j. ad scr. iiij. Panes humeris applicentur calidi, cucurbitulæ, injectiones in aurem convenientes, sed copia satis bona, deinde repurgentur. Adhibeatur cauterium brachio, Turundæ illinendæ basilicone ad suppurationem aliquam, oleum violatum. Anemones & brassicæ succus valet pro Errhino. *Pilulæ.* 1.

Succus ex anguilla tosta in verubus. Item succus bulbi extractus cum pauco vino albo, cotto imbutus aqua cardui indatur. Masticatoria, oleum amygdalarum dulcium, aliquando amararum, cum pauco oleo rutæ. Vel 2.

℞. *Succorum rutæ, bulbi esculenti, ana, unc. j: vini albi subtilissimi & generosi, unc. ij: madeant super cineres calidos; impleatur, hora somni, auris; deinde obturetur cottone moschato.* *G. Eschalouer.* 3.

Opiata ex conservis salviæ, anthos, melissæ, conservis acori, enulæ, aromatico *Opiata.*

aromatico rosato majore, mithridatio vetere; hieme potissimum cum syrupo de stœchade. Purganda auris auriscalpio.

ANNOTATIONES.

1. *Quum omnis aurium tinnitus sit fere incurabilis, raroque voto satagentis Medici respondeatur, æquum esse putant quidam dolorem aliquem inducere, si inducere tutum sit, quum aurium dolor tormentis annumeretur; saltem immissis turundulis unguento basilicone aut alio vim suppuratoriam nacto illitis, aliqua suppuratio molienda; ita enim fit, ut abscedendi quadam lege & ratione materia coctione ipsa obsequentior reddita, foras erumpat ægrorum commodo maximo.*

2. *Quibusdam non placet injectio oleorum in aures, tum quia ratione viscosæ naturæ obstruunt, tum quia sordes, si quæ forinsecus inciderint, ratione viscosi olei facile medio in metu inhærescant, unde novi mali nova occasio.*

3. *Quum anfractuosæ sint aures, injecta liquoris convenientis guttula non satis esse potest, sed potius implenda est auris, deinde cottone occludenda.*

CONSILIUM XXXII.

De lethargo, syncope, & cardialgia.

AD sextum Calend. Aprilis Dominus Coronæus deliquio animi correptus fere exanimatus est: adjutus, parumper vires & corpus resumsit, domum redux factus est ἄφωνος (*m*). Aliquid lethargicum ominabamur, testes marcor quidam animi, corporis torpor, inexpugnabilis sopor, molis corporis quasi quassatio, nec nisi punctus aut vellicatus sensum probabat superstitem sed hebetiorem, deliria fugacia; si morbus inveterasset typhomania fuisset; sensus caloris insignis maxime in fronte, & qua plexus retiformis latet, aderat. Et id maxime lethargum præsagiebat; plus periculi quam spei aderat, nisi quod narrabant ægrum aliquid simile olim passum, sed non tam terrificum; id aliquantum nos solabatur: nam securus facile in iis aliquis esse debet quæ sine periculo evasit. Parum tamen spei erat, maxime quia morbi cerebri de apicibus artis sunt; nam levis causa sæpe gravem morbum promovet, effectus causam superat, idque quia pars princeps & sensus scaturigo; deinde in ambiguo versabamur, an reficiendus tantum, an purgandus & extenuandus; pertulerat inediam jejunus, etiam diei integri, at defectu alimenti spiritus ardent, bilis suavi alimento carens efferatur, & suo fero (quod frenum est) destituitur, & ventriculus inanis aliunde mendicat alimentum, sed sæpe infelix per colliquationem, hinc malorum ilias, syncopæ, spasmi, cardialgiæ.

(*m*) Aphonus.

giæ. In dubio hoc vicit ſententia de repurgando, & a capite revellendo, quum & plethoræ ſeſe ſigna proderent: metus alioqui erat, aut ſiriaſeos cerebri aut ſphaceli, aut morbi attoniti, quem ſæpe phlogoſis in cerebro facit in paroxyſmo & extra: (quod mirum) phlebotomiam alacriter non tulit, medicamenta facile; & quod Medicis facile negotium faceſſit, eſt admirabilis cerebri, & vaſorum ejus in inæqualitate æqualitas; medulla ejus eſt glutinoſa, frigida, humida: unde Hippocrates cerebrum vocat metropolin frigidi & glutinoſi. Arteriæ & venæ calidiores elaborato ſpiritu & tenui ſanguineque turgent, hinc ajunt cerebrum frigidum aërem impenſe calidum æquare. Quid hoc eſt? in hoc quippe naturæ ars & ſollertia ſe probat. Glutinoſa ſubſtantia impedit quo minus aut areſcat, aut marceſcat, deflagret & ἀνάλωσιν (n) patiatur: quod contingeret ob aſſiduas cogitationes, ſtudia & quinque ſenſuum juges actiones. Unde quibus cerebrum eſt ſiccius & defœcatius, paullo prudentiores fiunt, ſed id boni ſæva mercede compenſatur: teſtes homines acerrimi ingenii, quibus ſacer morbus non pepercit, & quum conſentiunt natura glutinoſa frigida cerebri & arteriarum calor, in iſta inæquali æqualitate felicitas actionum relucet. Uſu remediorum reducta hæc temperies cerebri & meatuum cerebri libertas, unde ſpiritus ſuos motus & meatus habent, (quum cerebrum vel ut mens, vel ut corpus laboret) ægrum auſpicato a periculo liberavit, & claræ conjugi deſideratum reſtituit; hæc acta me ordinario M. & conſulibus D. D. Mareſcotio, Martino, Seguyno.

Celſus. Hipp. de præc. parva cauſa medelis exſolvitur, niſi quid ſit circa partem principem.

Cerebrum metropolis frigidi & glutinoſi.

ANNOTATIO.

1. *Cerebrum glandula eſt fluxibus opportuna. Galenus* cap. 8. lib. de ſang. miſſione. *At quomodo excrementis ſe facile liberet, docet Hippocrates* lib. de Glandulis 1.

CONSILIUM XXXIII.

De puella quam ob terrifica ſymptomata vel poſſeſſam vel obſeſſam eſſe putabant, quaſi de cenſu τῶν ἐνεργουμένων (o) & numero diceretur.

JAm ante propoſuimus puellam, quæ ex quo nata eſt erat κακοστόμαχος (p) & nauſeabunda, & tamen ἄνεμετος (q), nec enim revomebat, maxime nauſeabat circa quoſdam cibos: virgo de qua hoc loco pathemata habebat melancholica, & inter cetera unum fuit mirandum, quum ea totam ſe Deo voviſſet, & conſecraſſet, tamen in ipſa communione, quum

(n) Jacturam.
(o) Energumenon.
(p) Cum malo ſtomacho.
(q) Sine vomitu.

Christi corpus, tamquam Deus ipse vi sacramenti sumendus esset, non poterat sumere & uti. Nauseabunda erat & κακοστόμαχος. Alii putabant id fieri quod in pane ἀζύμῳ (r) corpus Christi contineretur; id enim peculiare observatum est in ea, quod panem ἄζυμον, & sacrum & non sacrum, sumere non poterat.

1.

Alii putabant id contingere ob respectum ad corpus Christi & Sacramenti reverentiam & conscientiæ aculeum aut metum judicii Dei, si forte corpus Christi non sumeretur eo modo quo id fieri debet: tanta vis pathematum animi.

Alii id quicquid fuit melancholicum putabant: tanta est vis & energia humoris melancholici. Immo homines similes reddit ἐνεργουμένους (s), unde ad ἐξορκισμοὺς (t), tamquam ad summam anchoram & sacram, confugitur.

2.

Ceterum in hoc perplexo negotio varias in partes judicia hominum distracta sunt, & in rebus dubiis sanior pars sequenda fuit.

Non omittenda consilia & remedia divina censuimus, nam in Ritu Ecclesiastico & remediis divinis remedium remediorum consistit, humanis consiliis & auxiliis prævalent. Purganda, syrupo de succis juvanda. Balneis utendum, sero lactis colato, opiatis ex conservis, addita confectione alkermes, succo citrii, myrobolanis, croco martis, bolo.

ANNOTATIONES.

1. *Sic observant physici soli homini contingere inter cetera animantia ut vulneratus non reddat sanguinem, & pars incruenta maneat & id metui tribuitur.*

2. *Melancholici toti jacent, ut ajunt, in fermento: idest ægro sunt animo; ira, & passionibus animi turgent, & multa humori melancholico in mores licent, unum & idem in articulo placet & displicet, crebris mutationibus ut remediis utuntur. Id in mulieribus multo formidabilius est ob judicii imbecillitatem & sexus anxietatem.*

CONSILIUM XXXIV.

De scrophulis pro Domina L. M.

Causa. DE scrophulis multi multa & sæpe in vanum, morbus enim est ludificans operam Medicorum. Rondeletius multa remedia adhibet, & calida plurima, in quo, pace tanti viri dicam, ab eo dissentimus, humor

(r) Non fermentato.
(s) Energumenos.
(t) Exorcismos.

humor enim acer, mordax, salsus & nitrosus id genus mali gignit & fovet.

Exacta vitæ lex tenenda: fotus ad partem ex scabiosa, bipinella, veronica, coctis cum medulla ligni sancti. *Victus.*

Opiata laxativa cum pulvere chinæ. *Opiata.*

Detractio sanguinis, sanguisugæ parti admovendæ, lac asinæ quod ex Galeno ab elephantiasi liberat, balnea, serum lactis æstate, addita bipinella, veronica, fumaria, scordio, rore solis, pilosella.

Syrupus Regis Sapor. Pomatium; sanamundæ radix hic & in malignis morbis mirificas habet vires, item radix buglossi temperando.

Usus pilularum addito mercurio. *Fuchsius.*

Scrophulariam ratione nominis chœradibus proficuam putant, tamen aron imitatur & chelidonium minus vocatur, ita aiunt, si loco sicco nascatur periculosa est, acrimonia enim sua exulcerat & imitatur malitiam humoris, strumas committentis; si loco humido, & uliginoso, perutilis; vide, an hoc verisimile. Chirurgus nos alloquatur ut de emplastris non calefacientibus conveniatur; cauteria utilia sunto. *Galeopsis sive scrophularia major commendatur maxime ad strumas.*

ANNOTATIO.

Lues venerea, strumæ, elephas aliquid habent cognatum & συγγενὲς; tres has hydras unus alexicacos Hercules, hydrargyrosis vincit & opprimit. Strumas autem sanat profusa per os maligna pituita quæ in capite redundabat, illincque in subjectas partes delabens illarum causa fuerat. Mercurius enim, quum sit frigidus & humidus impendio supra omnia medicamenta calidorum humorum fervorem obtundit, furorem & impetum coercet, siccitatem temperat, malignitatem cohibet, calida & sicca viscera ita humectat ut bilis in posterum minimum colligant: dolores calidos per se mitigat, frigidos ex accidenti, purgatoria scilicet vi in alvum deturbans, vel in os regerens, scirrhos emollit & resolvit ratione humiditatis tenuitati partium conjunctæ. At vero Mercurius, de quo hic fit mentio, is est quem dulcificatum vocant, alii aquilam albam seu cœlestem aut sublimatum dulcem; non crudus & minime præparatus, qui plumbi fusi instar, partibus quibus adhæret, paralysim inducit, ventriculum lædit, intestina diris cruciatibus torquet, corpus subtumidum & ἐψήμενον (u) reddit, gravissimaque symptomata invehit. Ille autem paratur ex hydrargyri crudi unc. vj. & sublimati unc. viij. in mortario marmoreo, cum pistillo ligneo, simul agitatione diuturna commixtis & tritis adeo ut nulla hydrargyri crudi bulla supersit, quibus peractis, massa in matratio colli longi collocatur & igne cineritio, per sex horas circiter sublimatur exstincto igne. Mercurius sublimatus summitati vasis adhærens excipitur a fæcibus, & fuligine venenata separatur, qui si gustanti dulcis non percipiatur, aut ulceri sordido adhibitus escharam facere deprehendatur, eodem apparatu iterum edulcandus est. Sic dulcatus hydrargyrus exhibetur quum morbi cacoëthia & pervi-

 cacia

(u) Mollificatum.

cacia id præsidii genus expostulat forma boli aut pilularum, cum pilulis coccii, trochiscis, albandal, extracto scammonii, aloes, pulvere rhei, senna, diaphœnico, cassia, confectione hamech, &c. quæ vim ejus languidam & ignavam irritant, quibus admiscentur spica, cinnamomum, ambra, moschus, sed potissimum folia auri aut ejus scobs, seu limatura. Nihil enim est quod argentum vivum avidius imbibat quam aurum, atque ita illud per alvum cum auro egeritur, cum quo maxima intercedit amicitia, nam ipsum purgat, sordes expuit, crebro jactatu fictilibus in vasis, & quæ inaurantur, hydrargyro intercedente, aurum pertinacissime retinent, metallaque omnia hydrargyro supernatare observamus, ut aquæ ligna, præter aurum quod unum ad se rapit. At si ptyalismum provocare expedit, hydrargyrus sine purgantibus exhibetur.

CONSILIUM XXXV.

De Fluore muliebri & muliere cachectica.

AGitur de gravi symptomate tertii generis in excretis; excreta aut toto genere sunt contra naturam, aut juvant, ut hæmorrhois. Quod excernitur, quamdiu, quomodo, unde, consideratur locus a quo, in quem. Tribus de causis ῥοῦς (x) hic muliebris curatu est difficilis, primo quod inveteratus jam habitum contraxit; deinde per se, quia jam in utero labes contracta est, & in temperamento laborat, & in solutione continui ob ulcusculum quod videtur natum ante octo annos ob partum difficilem, unde quid membranosum excretum est: deinde morbi & uteri & in utero sunt difficiles & per se, & quia aliæ partes in eum se exonerant: accedit quod ex Hippocrate uterus sit plenus attractæ humiditatis; tertio a stirpe materna aliquid genitivum & insitum est: Morbi, ut hereditates ad posteros infausto omine perveniunt, & per traduces propagantur. Totum corpus cacochymum est, brevi futurum cachecticum. Mœror multum confert, nam tædio valetudinis impatibilis, (ut loquitur Plinius) nihil non agit & frustra; accedit desiderium prolis, & ejusdem habendæ desperatio; utinam esset aliqua ut hereditatum ita morborum insitorum felix præscriptio & jus ad alios non devolveretur tamquam æternæ possessionis, ut elephas, sæpe hemicrania, strumæ. Ægra eadem patitur, quæ & virgines fœdo colore deturpatæ, morbus hic ferax multorum est malorum; ægris, & Medicis crux est & tormentum; omnia probant & improbant, utuntur crebris mutationibus tamquam remediis; Artis præsidia aut elevantur, aut eluduntur; & uterus irriguus pravo quodam tabo spem tollit sobolis, quæ est prærogativum conjugalis amicitiæ, pignus & vinculum matrimonii; hac colluvie semen effetum fit, & indignabundus uterus congressum aversatur; uterus bene constitutus,

1. *Uterus plenus attractæ humiditatis.*

(x) Fluor.

ſtitutus, ubi genitalis temporis hora advenerit, concharum more ad uniones gignendos halituoſi roris deſiderio tenetur, & oſcitatione quadam recipit, unde Hippocrates uterinorum malorum & ſuffocationum originem repetit ex eo quod uterus aridior orgaſmum habet, errabundus ſurſum, deorſum inclinat pæne furibunde, & πρὸς τὴν ἰκμάδα (y), id eſt ad blandum, & genuinum fontem, ſeu hepar ſit ſeu alia pars gratioſi roris, incitatur; quum alieno humore & putri ſive alienigeno, ſive indigeno madeſcit, id malum & ut ſignum & ut cauſa: ut ſignum, quia, quum ſit faſtidioſi odoris, corruptionis eſt index; ut cauſa, quia perpetuo partem afficit & deterius quàm ante ſtimulum Veneris hebetat, congreſſus deſiderium minuit, ſpem blandæ prolis adimit: partus difficilis prædictus ligamenta laxavit, ſpem prolapſus uteri attulit, & refriget uterus, ob immodicum ſanguinis fluxum & ejus laudabilis, coagulatus enim ex firmis fibris, quum ceteroquin in decoloribus virginibus, & cachecticis ſanguis putris ſit eliſis fibris ſeroſus. Hippocrates ait eſſe in ſanguine λύσιν (z) eliſis fibris & φθορὰν (a) corrupta ſubſtantia.

Hoc in negotio animus in dubio vacillat, ſi fluor perſeverat, magna incommoda ſequuntur, ſi ſupprimitur, majora; maxima, ſi a toto corpore eſt. Eo ſuppreſſo vidimus uterum gangræna affectum; id me movet quod mulier ſit cacochyma, terret & Galeni decretum: Totum corpus utero fere ſimile eſt, quod notandum eſt in hoc morbo. Qui fluor fit per exonerationem partium male affectarum robore naturæ tandem in colliquativum fluorem terminatur; nam aut cita mors, aut præ tabe & tabo vita miſera conſequitur. Probamus diuretica, aut uretica potius, ne error contingat quem obſervat D. Rondeletius de cachectica & pallida virgine, quæ paralytica facta eſt uſu diureticorum, non prius exacte liberatis obſtructionibus: Conſilii, & concilii noſtri ſumma hæc eſt.

Totum corpus utero ſimile.

Cap. 31. methodi.

Victus ratio ſatis exacta eſto; euchymis aſſueſcat; ventriculi male affecti, acidis, ſalſis, auſteris delectantur: bene affecti dulcibus, ex quibus vera fit nutritio, freni pravo appetitui ſunt injiciendi, peſſimum ſignum eſt ſitis inexplebilis. Nutritio non ſit plena quia corpus cacochymum, etſi forte benignitate alimenti pravus ſuccus mitigatur. Sumat alimenta ἀπέριττα (b) quæ parum habeant excrementi, ut corruptioni via obſtruatur.

Victus.

Habenda ratio totius corporis, & partis totius per medicamenta crebra, & mitia alio humorem avertentia.

Uſus frequens foliorum orientalium, rhabarbari cum ſyrupo roſarum pallidarum non valde recenti, ſyrupo de pomis, ob palpitationem cordis, & diatheſin hypochondriacam.

Purgatio.

Decoctum ſit conveniens, additis herbis vulnerariis, radice conſolidæ, ſanamundæ, fragariæ, iva arthritica, taraxaco, veronica & ſimilibus, æſtate folia ſive flores tunicæ, ſeu coronariæ hortenſis, his adde prunellam, bipinellam, bugalam, ſaniculam, herbam Roberti, equiſetum.

(y) Propter humiditatem.
(z) Solutionem.
(a) Corruptionem.
(b) Quæ parum habeant excrementi.

Tabellæ. Tabellæ ex triasantalo triplo, rheo, addito chalybe præparato.

Tabellæ aliæ quales præscribuntur cachecticis & decoloribus virginibus ex cortice citrii condito, rasura eboris, cornu cervi, lapidibus pretiosis, coralliis, pulvere sassafras, pulvere vermium terrestrium præparatorum, fœniculo, limatura chalybis præparata.

Pilulæ. Pilulæ ex aloe nutrita in succo buglossi, rheo, croco martis, radice pentaphylli, ladano, carabe, addita pauca terebenthina usta, & dialacca si forte Aureliis præparatur.

Poterit uti parva quantitate terebenthinæ lautæ vel per se, vel cum pauco rheo.

Opiata. Opiata ex conservis symphyti, rosarum, florum cichorii, calendulæ, coralliis, electuario diatragacanthi frigidi cum pulvere radicis tunicæ.

Si calor acrior, cassia juvat, alias senna & syrupus rosarum cum agarico.

Conserva rosarum, ribes electuarium diaireos, diatragacanthum frigidum.

Fotus ad pectinem ex rosa, mastiche, & olibano; fiat suffitus.

Sudorificum. Decoctum sudorificum non validum addita radice sassafras cum pauca medulla ligni Indici & majore quantitate sarsæparillæ. Santala addantur quæ moderate sudorem proliciunt; corpus non nimis tegendum ut tantum eliciatur sudor, non vi exprimatur.

Initio pastus, secundo utetur decocto sed imbecillimo; quum æstus erit, id non fiat.

Plin. cap. 71. lib. 10. Omni ratione excitandus appetitus, a cibo abstinere malum, cacochymi fere sunt inappetentes, & cibos fastidiunt, & suo quasi tabo & malo succo aluntur more venenatorum animalium, quæ fame non intereunt quia illis nec calor, nec sanguis, nec sudor, quæ sale naturali aviditatem augent.

Apozemata. Apozemata ex diureticis non valde calefacientibus viis expeditis per catharsin, ne fiat ad habitum crudorum traductio paralyseos minax, & auctor; adde taraxacum, capillares herbas, radicem bardanæ, rubiæ, & cetera.

Alias utetur aliis apozematis, additis radicibus & herbis vulnerariis & rosa transmarina; pyrotica duo ad latera spinæ inter lumbos & os sacrum, ubi fere desinunt ligamenta uteri.

Venæ sectio. Phlebotomia parca manu, sed frequens si impurior reddatur sanguis.

Fotus. Blandi fotus ad imum ventrem ex corroborantibus non multum calefaciendo.

Emplastrum ad lumbos roborans ex mastiche, rosis, unguento comitissæ, bolo addito, & terebenthina.

Aqua rhabarbari ex decocto vulnerario confert. Injectiones in uterum ex radice tormentillæ, consolidæ, bistortæ, fragariæ, polygono, veronica, bellide, & aliquot aliis similibus cum syrupo de siccis.

Aliquando pro injectione fiet hydromeli ex aqua, melle rosato, hordeo, si acrius id sentiatur mitigetur.

Balnea Borbonensia circa autumnum & immersione corporis & haustu

ad

ad uncias quatuor. Magis placent aquæ vulgo dictæ, Forgenses, prope Rhotomagum.

Si non vacet & placeat iis uti, fiat balneum domi, additis adstringentibus & alumine, præsertim recipiat fumum ex pulvere conveniente per infundibulum.

Clysteres apprime conferent.

Pessaria non acria ad robur uteri, detergendo & siccando.

Hæc decreta consulibus D. M. J. Altino, I. Martino, Seguyno, Doctoribus Medicis & J. Guillemeau Chirurgo Parisiensi & Regio, & a me in ordinem redacta.

ANNOTATIONES.

1. *Uterus Hippocrati dicitur plenus attractæ humiditatis; tamen apud Galenum quæ lac provocant, minus calida esse debent, quia (ait) mammæ attrahunt; quæ menses cient calidiora sunt, quia uterus non attrahit, ait Galenus.*

2. *Plinius* cap. 24. lib. 22. *in lassitudine, & siti homo ad iram est pronior, sed hæc animæ asperitas dulciore cibo mitigatur; ira, luctus, tristitia, animi impetus cibo mollitur. In eadem sententia est etiam Seneca* lib. 2. de ira, *senes difficiles, & queruli sunt, ut ægri & convalescentes, & quorum aut lassitudine aut detractione sanguinis exhaustus est calor; in eadem causa sunt siti fameque rabidi & quibus exsangue corpus est, maligneque alitur & deficit.*

Hinc prover. A lasso rixam quæri. Item illud Plauti, Fames & mora bilem in nares conjiciunt.

CONSILIUM XXXVI.

De sputo cruento; pro Thesaurario.

Ad D. D. Andream Laurentium Archiatrum Henrici IV. Galliæ & Navarræ Regis.

AGebatur de cruento sputo in Thesaurario; hic hypochondriacus, melancholicus & cacochymus laborabat, quo tempore maligni morbi vagabantur, & qui fauces & thoracem invadebant; hinc ambigui eramus, an ista excretio esset verenda; si mos morborum vagantium cernitur, metus est; si temperamentum cernitur, minor metus esse debet. Hippocrates inclinationes & motus sursum, sanguinis etiam, ad partes thoracicas minus formidabiles in melancholicis esse ait; levi de causa sanguinem excernunt ob naturam flatulentam: flatuosi fiunt hæmoptoici exiguo incommodo, pterygodees fiunt hæmoptoici, quia flatuosi. Item excretio per superiora etiam a liene per ventriculum supplet vices hæmorrhoidum; præcedunt dolores ad hypochondria, tale genus excretionis: & revera talis æger brevi feliciter est liberatus, & bona de ejus salute concepta spes nos non fefellit.

Sed

Sed desiderasti, D. Archiater, locum illum Hippocratis de securitate excretionis sanguinis per os in atrabilariis, qui levaret metum quadam-tenus ægrotantis de rejecto per os sanguine, miratusque es esse apud Hippocratem. Indicas tuum genium, mores civiles, & discendi aculeum, qui summæ in te doctrinæ est index. Socratem quippe agis & exscribis qui scientissimus parum se scire prædicabat, & dum se ad discendum pauperem credidit, ad docendum se locupletem fecit, profiteri enim se discere volentem est lumen ad consummatam rerum cognitionem. Ignari nulla de re dubitant, soli sapiunt, philautia eos transversos agit, in alienis æstimandis sunt ambitiose tristes aut elevant aliena aut cachinnantur. Tu aliter facis, id quod tuum animum civilem candidum & rotundum declarat; item sunt alii qui nolunt docere quod sciunt, & tamquam arcanum putant; & neminem docere, & communicare id quod sciunt in auctoritatem scientiæ esse putant, quod culpa non vacat: indico locum Hippocratis, desiderium tuum (Cl. Archiater) lenio, me, meaque quantula sunt voveo, & dico.

Plin.

ANNOTATIO.

Soli homini contingit profluvium sanguinis e naribus, alias id terrificum, & aut vetus vitium capitis, aut sanguinis, aut hepatis latentem labem significat, ut contingit D. Michelo; huic hepar in vitio erat & nostro judicio erat corruptum, totum corpus auruginosum, familiaris erat illi hæmorrhagia, ut prædixeramus, obiit in Deo; tamen Plinius mentionem facit Volusini præfecti, cui omnibus annis per os fluxit sanguis & attigit annum 90.

CONSILIUM XXXVII.

De ulcere Renis.

NObilis mulier habet antiquum ulcus in rene; cacochymia, quam secuta est soboles deterior, cachexia, & leucophlegmatia hydropis prænuntia, ni Deus averterit.

ἀταραξία (d) in morbis longitudinem significat. Phlebotomia.

Videtur morbus semper in eodem statu, nec progreditur nec retrograditur. At (ait Hippocrates) tranquillitas morbi diuturnitatem significat; non fit ulla ἔφοδος (c).

Si calor insignis ad renem dolentem, valet venæ sectio parca manu.

Aqua alba ex amygdalis, hordeata cum saccharo cando & rosato, aut buglossato, aut violato.

Conserva rosarum rubra & alba, decoctum blandum chinæ cum vulnerariis.

Aqua

(c) Excretio. (d) Imperturbatio.

Aqua Rhabarbari cum ſantalis & veronica, radice pentaphylli, conſolidæ & caryophyllatæ. Item quæ ſequuntur valent. *Purgatio.*

℞. Terebenthinæ uſtæ, dr. ijß: corallii rubri, terræ ſigillatæ, ana, unc. j: pulveris ſepiæ, & baccarum hederæ, ana, dr. ß: carabes, ſcr. ij. excipe omnia terebenthina Veneta & balſamo Peruviano, fiat maſſa: formentur pro dr. j. tres pilulæ: capiat dr. ß. tertio quoque die. *D. Andreas Laurentius Archiater hoc addidit Decoctum ſudorificum.*

℞. Radicis Chinæ, unc. ß: agrimoniæ, veronicæ feminæ, bipinellæ, ana, man. j: coque in lib. iij. aquæ ad conſumtionem quartæ partis: capiat unc. viij. per 30. dies, mane.

℞. Succi milleſolii, rubi, ſummitatum quercus, ana, dr. iij. ſucci betonicæ, unc. ijß: pulveris alabaſtri certam quantitatem, infunde alabaſtrum in olei roſati omphacini lib. ß per horas xx. cum ſuccis ſupra dictis & cera, fiat unguentum pro renibus.

Utatur poſt paſcha decocto primulæ veris, bugulæ, ſaniculæ, bellidis, bipinellæ, robertianæ, ſymphyti, addito melle roſato, ſaccharo roſato aut cando.

Phlebotomia, parca ſed frequens, ut in abſceſſibus internis convenit.

Litus ex ſevo aut medulla cervi in aqua vitæ lautis pro tumentibus partibus. *Litus.*

Fotus partium, modo harum, modo illarum, cum herbis non multum calefacientibus, coctis in aqua & vino albo; addatur parum aluminis. *Fotus.*

Sacculi ex furfure, avena, cicere rubro, milio, ſale, ſalvia, chamædri, chamæpyti, roſis, radice gentianæ, conſolidæ, & iridis florentinæ, baccis lauri & juniperi: adde ſemen ſeſeleos, lupinum, fœniculum, limaturam Guajaci; lac aſinæ, ſi non proſit abſtineatur.

Tabellæ diaireos, diatraganthi frigidi: electuarium, tabellæ electuarii triaſantali, cum rhabarbaro, addito croco martis; redeat ad aquas naturales ſi malum contra remedia noſtra rebellarit ut ſuperius & ſuperbius. Exacta vitæ lex non eſt neceſſaria, tamen prudens & certa prodeſt, quia laborant renes, & eſt abſceſſus aliqua victus lege frenandus. *Tabellæ.*

CONSILIUM XXXVIII.

De abſceſſu renis & uteri prolapſu.

ABſceſſu renis laborabat D. Bourgeois, comes erat ilias multorum ſymptomaton: dolenda fuit ἐπιγένεσις (*e*) tam ſævorum malorum exiguam ſpem ſalutis adferens, extenuabatur malum, eludebatur, non domabatur, licet collata fuerint conſilia; vix ſpes aliqua reſtat, terret ulcus renum, hinc œconomiæ naturalis concuſſio. Renibus magnus eſt conſenſus cum ore ventriculi: hinc illæ lacrymæ; erat cachectica, cachexia ma- *Cauſa.*

(*e*) Epigeneſis.

gis terret quam cacochymia: hæc illam parturiit: partibus contracta labes ἐν τῇ ἕξει (*f*) ob ſerum putre & paupertatem caloris naturalis; φθορὰ (*g*) & tumor partium terrificus eſt, & hydropis minax, conſolatur tantillum, quod ſit fugax & non conſtitit; eſt (ut ait Hippocrates) aliqua ἀναπνοὴ aut διαπνοὴ (*h*), id eſt nonnulla meatuum libertas, alioqui humor reſideret hydropem adferens incluſo ſpiritu, quod exemplo vaſis liquore pleni patet, quem ſpiritus intercludit, & licet vas inclines ore prono & ſit ſingultus, non effluit, ſic Hippocrates philoſophatur.

Purgatio. Summa hæc conſilii, purgetur blande. A ſcammoniatis abſtineatur; ſyrupus roſarum cum agarico valet, aut dr. j. mechoacannæ in vino infundatur aut ſeminis ebuli tantumdem; ad uterum prolapſum irriguum ichore peſſulus confert ex ſubere, cera, pulvere antheræ aut roſarum, nuce cupreſſi, ligno rhodio.

Emplaſtrum. Adſtringens emplaſtrum ad lumbos, modo non impediat curſum menſium.

Fotus. Fotus partium tumidarum ex roborantibus calorem naturalem, chalaſticis diſcutientibus; *Cataplaſma.* cataplaſma ex farinis hordei, lentium, coctis in oxymelite communi & pauco ſcillitico.

Litus. Litus ex oleo irino, vulpino, pulvere ireos, addito aut vino albo aut aqua vitæ.

Differatur uſus aquarum naturalium, donec aëris incommoda & contumeliæ miteſcant, & ſpes ſit earum tranſitus per ambages, & volumina corporis. Balnea naturalia calidiora conferent leucophlegmatiæ; de pyrotico ſumus anxii quid conſulamus; niſi calor naturalis ſit, vegetus, verenda eſt gangræna, quæ in pari affectu ſæpe contingit; diſſuadet id maxime longitudo morbi, unde per traducem tanta malorum propagatio differatur, donec lares patrios reviſerit; pulvis digeſtivus aut aromaticum roſatum valet; eſſentia aniſi aut caryophillorum ſuſpectior eſt.

CONSILIUM XXXIX.

De hepatis intemperie.

IN nobili viro D. Damours duo maxime conſiderantur, temperamentum calidum ſiccum valde bilioſum, multorum uber incommodorum & ferax; item civilis & politica vita, homo ſuæ ſpontis, uni tantum Rovæo alteri Mæcenati addictus, homo alioqui nullis obligatus legibus, modo militiæ, modo ruri, ſed Celſus loquitur de homine ſano, & qui ſuo arbitrio ſanitatem ſuam regere poteſt, ſic intemperies hepatis a parentibus contracta, jure hæreditatis hauſta ac expreſſa, ſi non tollenda, attem-

Celſus lib. 1.

(*f*) In habitu.
(*g*) Corruptio.
(*h*) Tranſpiratio aut perſpiratio.

attemperanda, modificanda, corrigenda modico contrariorum usu, ut tamen cum hominibus æger, vir politicus vivat, & se a consortio hominum civili non seducat ac retrahat.

Utatur vino præsumto, cibo aut jusculo præhausto, alioqui vinum nocet ex Galeno; vitet motus animi celeres, cursum citatis & elocatis equis, valet pomacium, syrupus de pomis & violatus, julepus rosatus: æstate balneum, phlebotomia, serum lactis cum cichorio silvestri, cassia cum jusculo vitulinæ carnis, tinctura rosarum, lac asininum; temperamentum hoc minatur mille incommoda; immo Rondeletius notat biliosos ad phthisin propensos; dubito an hic locus Galeni sit verus, sanguis alit, calefacit, sanitatem, bonumque colorem efficit; bilis flava continet corpus, non permittit latentes meatus dissolvi, incitat & acuit sensum, coctioni prodest, ductus excrementorum apertos & faciles facit; atrabilis est velut sedes & fundamentum reliquis humoribus; pituita nervis, membranis, articulis & linguæ ad motus facilitatem prodest.

Comm. aph. lib. 2.

1. *Cap. 1. l. 23; & c. 21. l. 24.*

2. *Galenus in præfatione in librum de dogmatis. Hipp. & Plat.*

ANNOTATIONES.

1. *Et Plinius* cap. 38. lib. 16. *loquens de plantis, ait, nec omnibus adeps caroque larga, sicut nec animalium acerrimis, at biliosi acres sunt.*

2. *Hac arte parari solet tinctura rosarum: in libris iv. aquæ tepidæ maceratur unc. j. rosarum rubrarum exsiccatarum, quibus additur uncia una aut altera succi limonum, aut ut chymicis placet dr. j. aut dr. jß. spiritus aciduli vitrioli aut sulphuris: post quatuor horas aqua colore rosarum tincta filtratur, saccharoque dulcoratur: Confert mirifice calidæ intemperiei hepatis & febribus. Ex floribus violarum, buglossi, borraginis &c. eadem via variæ ad varios affectus tincturæ educi possunt.*

CONSILIUM XL.

De affectibus hystericis, & hypochondriacis.

MUlta symptomata sunt observata in D. Battefou; scotodinos, vertigines, flatus, in cerebro ἐκλύσεις (*i*), crurum dolores, murmura in ventre; huic olim quasi congenita fuit hemicrania, cui cephalalgia successit; multa pathemata hysterica hypochondriaca, numquam conquerendi finis; consideranda causæ foventis & affectus mali diuturnitas.

Habitus corporis plenior, longa viduitas; quum ferax esset & proli studuisset, dedissetque operam & operata fuisset, actiones animi inquietæ, irasci celeris, sensus exquisitus, ex utero proluvies quædam. Quæstio unde tanta malorum ilias. Certum est quod morbi mulierum & virorum

 longe

(*i*) Solutiones.

longe differunt, & mulieres hypochondriacæ & melancholicæ κατὰ φλόγωσίν τινα (k) deterioris sunt conditionis, quam viri. Errant Medici curantes morbos viriles ut muliebres; mulierum genus veretur suos morbos detegere præ inscitia & pudore, initia & progressus ignorantur, hinc morbi obstinati & versipelles; quod ad cephalæam attinet, ob sensum partis exquisitum, ea sæpe oritur & quia depuratius & exactius fit cerebrum. *Sub finem lib. de Septimestri partu* ad quadragenarium numerum hunc aut illum refertur causa cur quidam pueri sint imbecillo capite & cerebro, locus notandus: bona habitudo & ἰυξία (l): tamen Hippocrates damnasse videtur, quia ad ἰυξίαν sequitur ardoris inflammatio: quum quid tale anima patitur ad insaniam adigitur & cerebrum patitur; hic contra commune judicium ἰυξία vituperatur, alio loco laudatur.

1. de morbis mulierum.

Hipp. l. de M. sacro, ait fetus cerebrum aut supra, aut infra modum repurgari, hincque sensus acutiem oriri. Interdum ἀμβλύνονται ἐν ταῖς μύξαις (m). Hipp. l. de act. part.

Unde potest quæstio moveri plurimum utilitatis allatura, an sensus exquisitior retundendus, an minuenda bona habitudo, ut ne quid Medicus ex præjudicio peccet.

Multa sunt a Medicis instituta de quibus disputari potest, sed boni sunt consulenda aliorum judicia. Consilium nostrum & collegarum D. Martini, Seguyni & Altini est ejusmodi.

Omnia quæ calidiora & caput feriunt vitanda.

Fotus blandi non calefacientes ad hypochondria, ob flatus. Purgationes blandæ; actiones animi frenandæ & moderandæ; sanguis temperandus, minuendus aliquando; abstinendum a graveolentibus ad nares admoveri solitis; Balnea amotis calidioribus, & caput replentibus; conservæ cephalicæ; utero & hypochondriis consulendum: Suffitus ad uterum: Pessuli; Arteriotomia in acerbitate doloris capitis. Si utatur aquis medicatis, a valde sulphureis abstineat. Cultus uteri novo conjugio eoque læto, & grato tamquam naturæ agri & fundi omnibus remediis præferendus.

Quæ sequuntur remediorum formulæ a Medico Paracelsico præscriptæ fuerunt.

Hydromeli. ℞. *Radicis Chinæ, unc. jß: visci querni, radicis acetosæ, taraxaci, ana, unc. j: corticis fraxini, ligni Rhodii, rasuræ eboris, ana, unc. ß: uvarum Corinthiacarum, unc. iv: malaxentur in lib. iv hydromelitis per horas 24: coque ad medias: sub finem adde flores buglossi, borraginis, calendulæ: cola per manicam: aromatiza cinnamomo: capiat unc. iij pro dosi mane hora 7: vel utatur syrupo de pomis vel violato addito succo limonum.*

Syrupus. ℞. *Aquarum buglossi, fumariæ, endiviæ, pomorum redolentium, ana, lib. j: in his macera per iij dies ad ignem lentum Balnei Mariæ foliorum sennæ, unc. iij: agarici trochiscati, dr. vj: epithymi, santali citrini, cinnamomi, ana, dr. ß: fortiter exprime per torcular: in expressione denuo adde eorumdem folliculorum, unc. jß: conservæ florum violarum, buglossi, cichorii, & per iij dies ad eumdem ignem macera: exprime, coque & cum ovorum albuminibus clarificetur:*

(k) Secundum quandam phlogosin.
(l) Bonus habitus.
(m) Hebetantur in mucis.

rificetur: huic expressioni claræ adde succi pomorum redolentium, & violarum, ana, unc. iv: cum saccharo sufficienti: denuo coque, adde sub finem coctionis, rhei dr. ß. prius macerati in aqua cichorii: fiet syrupus: dosis ad unc. ij: usus sit bis in mense.

Opiata.

℞. *Radicis cichorii, acetosæ, oxylapathi, taraxaci, ana, unc. j: polypodii & visci querni, ana, dr. vj: seminis cardui, citrii, rutæ, ana, unc. ß: seminum frigidorum majorum, ana, dr. iij: fumariæ, agrimoniæ, melissæ, capillorum Veneris, ana, man. j: florum calendulæ, genistæ, lilii, tiliæ arboris, ana, pug. j: florum borraginis, buglossi, ana, pug. ij: coque in æquis partibus seri lactis & aquæ pomorum: in lib. jß colaturæ claræ adde foliorum orientalium, unc. ijß: macerentur per ij dies ad ignem balnei: colentur, exprimantur, adde succi violarum, unc. iv: mannæ, unc. vj: coque in syrupo ad mellis consistentiam, dein adde extra ignem, cassiæ & tamarindorum, ana, dr. iv: pulveris sennæ, dr. vj: rhei, unc. ß: pulveris diatragacanthi, dr. iij: anisi & cinnamomi, ana, dr. ß: fiat opiata: capiat unc. ß vel dr. vj pro dosi, in qua addes fæculæ bryoniæ, scr. j. si affectio hysterica divexet.*

Tabellæ.

℞. *Pulveris triasantalon, corallii præparati, margaritarum præparatarum, unicornis, spodii, ossis e corde cervi, ana, dr. j: salis crami & croci chalybis sine aceto & sine igne parati, ana, scr. iv: confectionis de hyacintho, scr. ij: sacchari rosati in aqua buglossi & melissæ dissoluti, quod sufficit: fiat electuarium per tabellas ponderis dr. j: capiat mane.*

℞. *Crustarum panis albi in vino granatorum infusarum & exsiccatarum, unc. j: conserviæ rosæ siccæ, unc. ß: fœniculi & anisi, ana, dr. ij: corallii præparati, margaritarum, ana, dr. jß: mastiches, scr. ij: cinnamomi, dr. j: sacchari rosati triplum: utatur ex cochleari.*

Fotus.

Fotus facti ad hepar & mesenterium ex corticibus capparidis, fraxini, cichorii, valerianæ, taraxaco, ligno rhodio, santalis, agrimonia, lingua cervina, hepatica, polytricho, matricaria, artemisia, melissa, absinthio, semine lini, cytoniorum: cocta omnia in aqua fabrorum, addendo aceti rosarum & scillitici, ana, lib. ß: item

Enema.

℞. *Seminis papaveris albi, hyoscyami, lactucæ, portulacæ, psyllii, ana, dr. iij: florum sambuci, chamæmeli, nenupharis, ana, pug. j: coque in lacte: dissolve vitellum ovi: croci, scr. j: castorei, scr. ß: fiat enema injiciendum hora somni.*

Loti pedes papaveris, lactucæ, nenupharis, violarum, chamæmeli, sambuci, anethi decocto.

Epithema.

℞. *Aquæ rosarum, buglossi, nenupharis, melissæ, ana, unc. iij: diamargariti frigidi, dr. ij: diamoschi, dr. ß: vini albi, unc. ij: aceti rosati, unc. jß: pulveris seminis papaveris, scr. iv: theriacæ recentis, unc. ß: croci, camphoræ, ana, scr. j: fiat epithema pro fronte & temporibus hora somni.*

In paroxysmo vertiginoso, etiamsi lapsa fuerit ægra, hæc aqua antiscotodina usui erit.

℞. *Corticis citrii flavi exsiccati, unc. ij: visci querni, unc. jß: foliorum betonicæ, melissæ, ana, man. ß: florum calendulæ, lilii convallium, violarum, buglossi, ana, pug. ij: seminis cardui, citrii, tunicis, acetosæ, ana, unc. j: theriacæ, unc. ij: confectionis de hyacintho, unc. j: diamargariti frigidi, diacorallii,*

lii, ana, dr. ij: vini albi generosi, lib. jß: aquarum florum tiliæ arboris, cerasorum nigrorum, pomorum, lib. ij: ponantur in alambico: digerantur per iv dies in balneo Mariæ, fiat destillatio ad usum dictum.

CONSILIUM XLI.

De dolore brachii.

NObilis Domina de Monglat ab aliquot mensibus brachii doloribus laborans, quærit a nobis ut dolorem malumque leniamus: varia huic dolori demulcendo usurpata fuere remedia, sed frustra; dolores brachiorum sunt rebelles, ut plurimum & sæpe aut ignorantia aut præpropero sanitatis desiderio peccatur, dum initio ea usurpantur quæ sub finem progresso morbo adhibenda sunt.

Phlebotomia omissa est; fiat in parte opposita, deinde in ægra. A nimis calefacientibus & liquantibus abstineatur.

Purgatio ex blandis pilulis sine quibus, cum agarico, addito rheo & ligno aloes.

Syrupus rosarum cum agarico valet; temperetur syrupo violarum aut de pomis, aut de cichorio composito.

Ad dolores nocturnos, aut hordeatum cum semine papaveris, aut pilulæ e cynoglosso.

Panes fiant oblongi applicandi brachio. Decoctum herbarum coctarum cum aqua & vino; applicentur sacculi expressi arcula suprapposita.

Rebellante morbo blandum decoctum sudorificum. Sanguisugæ.

Balsamum quale præscriptum alibi, ceronea, cataplasma ex farinis, oleum de catellis.

Miraculo profuit litus ex aqua vitæ cum theriaca vetere.

CONSILIUM XLII.

De Hepatis, & partium alvinarum phlogosi.

DOlores colici præcesserunt, sed inflammationis notæ erant in visceribus, maxime in hepate; æstus erat ex pugna humoris biliosi, aut flatus, aut humoris crudi; tandem tumor in ventre infra jecur apparuit, rotundus, blando manus contactu irritatus: suspicio fuit aut tumoris glandularum mesenterii, aut dextri uterorum cornu.

Blandis fotibus usi sumus; quinquies sanguinem detraximus, ob phlogosin; dilutum cassiæ dedimus ut ardorem intestinorum temperaremus; visum est dare medicamentum non celer actione, ut sensim demoliretur tumorem, nam hydragogum non prodest; syrupus magistralis ex senna, rheo,

rheo, cum herbis vulnerariis & radicibus detergentibus, usus pilularum de hiera addito gummi ammoniaco & bdellio, agarico, dissolve gummi in oxymelite & aceto scillitico: illine oleo de capparibus, mucagine seminis lini, addito unguento dialthæa aut de mucaginibus.

CONSILIUM XLIII.

De Epilepticis convulsionibus & rudimentis apoplexiæ.

Ad Rempublicam Venetam de Legati morbo missum.

NObilis Legatus inclytæ Venetiæ, paullo ante idus Januarii, morbo 1.
fuit affectus & lecto afflictus; principium fuit apoplexiæ, marcor animi, vocis privatio, item sensus & motus; paullo post partim vi naturæ irritatæ, partim humoris efferi aliquid fuit convulsivum. Malum quinquies repetivit, causæ visæ sunt dominatus humoris efferi, nempe bilis, a qua vapor summissus cerebrum tentavit, index curatio. Multa bile evacuata ad se rediit, morbus extenuatus; causa alia malum quoddam ferum quod nunc in corporibus dominatur, quia hiems suam apud nos non habuit temperiem; accessit ipsius subjecti dispositio. D. Legatus habet cerebrum exquisiti sensus, id effecerunt labores, & curæ juges, intempestæ; imbecillo est stomacho, cujusmodi est magna pars urbanorum & cupidorum litterarum, & eorum, qui se magnis implicant negotiis; curiose & sedulo cum sanitatis jactura, curat negotia & dignitatem clarissimæ Reip. Venetæ, pertinax animi labor vires convellit: ego primus Medicus vocatus, bis sanguinem detraxi, quod in capite insignis ardor sentiretur ad plexum retiformem; adjutus vires & corpus resumsit, erat enim corporis quassatio quædam; initio aliquid funebre ominabamur, sed Dei Opt. Max. manus adjutrix & sospitalis Medicis coadjuvantibus malum omen avertit; dubitandi occasio fuit gravitas morborum cerebri, Medicorum sæpe operam eludens, ob partis dignitatem; in cerebro est æqualitas, arteriarum & spirituum tenuitas & calor, substantia glutinosa, alioqui ob juges actiones marcesceret, in quo sollertia naturæ relucet. Quæ res nos consules Medicos ad duo impulerunt: prius ut adhiberemus remedia quæ ad morbum profligandum valerent, & præcavendum antevertendumque similem, quod Deus avertat: posterius ut actiones animi temperet. Vix parem animum esse posse putamus tam perplexo Legati oneri & negotio: Frustra autem alicujus rei foret prædictio nisi cautio adhiberetur.

Plin. sic loquitur.

2.

3.

4.

ANNOTATIONES.

1. *Dominus Legatus voluisset se liberare ea legationis cura, sed id sperare non audebat, ne jugum excutere videretur, voluit se magis morbo quam oratione*

tione excusare, ut loquitur de Sulpitio Tullius Philippica 9. *qui Sulpitius obiens legationem mortuus est: locus quadrat D. Legato.*

Numquam epilepticum quid passus erat; quum bile abundaret & pruritum præsensisset, abstinentior cibi fuisset, animum laboribus fatigasset, est redditus aphonos; vomitiones pravæ bilis, ac si febrilis paroxysmus fuisset; incredibilis ardoris & caloris sensus in toto capite, linguam momordit, fere truncavit, rediit malum die quinquies. Restitutus misso sanguine educta bile deorsum. Quæritur qua ratione malum prævertatur, ne quid tale contingat, natus est annos 40. aut eo circa, sicco est capite, & nil pœne mungit, ut pueris congener est morbus, ita circa annos 40. aut 42. vi anni climacterici malum id adoritur numquam quid tale expertos.

Hipp. lib. 2. prorrh. & libris de diæt.

Pilo est rufo, & bilis dominatus significatur, mirum quod Plinius notat de cervis, hi bilis dominatum ex pilo designant, & tamen carent febribus, & vitant febres qui cervina carne utuntur. Aiunt cervum esse animal timidum & calorem acrem non habere nec humores.

In ægro dominatus, & vis humorum observatur, sensus acuties, a qua parte convulsionis occasio; videtur Hippocrates tanti facere dignotionem loci ex quo epilepsia dependeat, ut quasi satius sit a capite, aut a pede, aut a manu esse quam plane ignorari, sed id per comparationem dictum est; cognitio originis mali, prudentiores, & cautiores reddit.

Æger habet cerebrum minus repurgatum, unde aut sternutamenti, aut vertiginis, aut sacri morbi occasio, unde qui trochiscis de tyro seu vipera utuntur, fiunt vertiginosi cerebro nimis repurgato.

Quidam in eo casu ad cephalalgiam ob exquisitum sensum dant narcotica. Non ferenda inedia; etsi quidam Medici inedia pertinaci dicant aculeos bilis retundi omnes; ego vero contra, nam efferatur bilis; corpus repurgandum non validis medicamentis; bene consuletur usu pilularum ex aloe cum pulvere triasantali, Enemata frequentia erunt ex usu.

Bilis benigna & mansueta inediæ beneficio effera & immitis redditur.

Amuleta valent & alexipharmaca, pulvis cranii humani.

Feratur in annulo ungula alces quæ carnem digiti contingat; radix ononidis valet cum oxymelite.

Mediocris labor & animi & corporis, qui humores crudos & ἀπέπτους (n) reddit.

Hipp. de morbo sacro. Lib. 5. quæstionum quæstione 9. de ficu: ficus fructus dulcis, lignum & folia amariss.

3. *Morbus sacer a bile non fit sed a pituita: Galenus: Non a quavis fit pituita sternutamentum, sed aut flatulenta, aut acri; ideo Plato ait, pituitam non esse causam doloris nisi per pompholigas, id est bullas flatuosas; bilis sensum acuit, & alimentum reseratis viis distribuit, ideo videndum, ut temperetur, & ut cystis fellis suum faciat officium; nam quum diligenter repurgatur ab hepate fel, hepar mitius & dulcius redditur, quo pertinet notandus locus apud Plutarchum, cur ficus fructus ita sit dulcis quum folia & lignum ipsius arboris amarissima sint; similitudinem de felle & hepate affert auctor.*

Corporis & animi labor

4. *Ad actiones animi & corporis moderandas pertinebit locus ex Plutarcho; simile affert de curru, quem duo conjuges equi trahunt si pari nisu & labore*

(n) Incoctos.

labore trahant, & si unus alterum excedat, inanis est labor: idem de corpore & animo. Actiones & conatus concordes & similes esse oportet, ut in negotiis tractandis sint pares animi vires & corporis, nam nimia animi actio corpus debilitat, & corporis labor immodicus animo officit. *quodammodo similis esse debet.*

CONSILIUM XLIV.

De latente pulmonis & hepatis intemperie & aliis affectibus.

IN nobili juvene annos 30. nato perdita valetudine (ut ait Tullius) latens est labes hepatis & pulmonis, nonnulla spirandi difficultas, sputum mali moris, faucium & gutturis calor, squallor & siccitas, quam his temporibus, quibus populares morbi vagantur, malum signum deprehendimus, & minax affectionis pulmonum, immo tabis & febris hecticæ πρόδρομον (o). 1. *Causa.*

Accedit quod æger ob labem veneream aliquando unctus fuerit. At quicumque (aut certe major pars) hydrargyrosin passi sunt, in iis fere labes in pulmonibus delitescit; cur id fiat, aliorum sit judicium: labem aut pulmonis aut hepatis pallor in facie designat; de tertio articulo id unum annotabo. Ad Venerem satis promtus, non est nec fatuus nec insulsus, arrigit, semen habet, at in congressu non totum emittit ac ejaculatur, sed circum prostatas & parastatas hæret ac ignavum manet, id quod aut languorem partium naturalium, aut hebetudinem, aut quasi viarum obstructionem a collapsu partium significat. *Hydrargyrosis fere semper pulmonibus labem inurit, δευσοποιὸν δυσίκπλυτον (p).*

A calidioribus alimentis abstinendum. Ardoris faucium maxime ratio habenda. In decocto carnium & volucrum addatur hordeum mundatum: immo hordeata in jure carnium parata conferent; Amygdala apparanda in eum finem, laventur aqua rosarum, aut nenupharis, sumantur, aut mane, aut hora somni; vinum diluatur vel ptisana, nisi sit ingrata, vel aqua; non apponantur lintea calida gutturi; phlebotomia parca manu. *Victus.*

Pro affectu pulmonis valet pectorale decoctum addita radice consolidæ, pedis cati, pilosella, scabiosa; infundatur & coletur cassia addito saccharo cando; decoctum ficuum & passularum; pectus liniendum butyro loto in aqua rosacea, saccharum violaceum, syrupi solemnes, pilulæ albæ. A succo glycyrrhizæ nigro abstinendum, delingendum mel, aut solum, aut cum butyro recenti. *Purgatio.*

Pro hepate decoctum agrimoniæ hepaticæ, intyborum, adianthi, cum folliculis, rheo, syrupo de cichorio composito, & de limonibus. *Bechica.*

℞. *Diatragacanthi frigidi tabellati, dr. jß: pilularum albarum, scr. viij: glycyrrhizæ, dr. jß: conservæ ungulæ caballinæ & rosarum, ana, unc. ß: sac-* *Tabellæ.*

(o) Prodromon.

(p) Inalterabilem, inexplicabilem & ægrè auferibilem.

chari candi, corticis citrii conditi, ana, unc. ß: cum saccharo in aqua rosarum soluto fiant tabellæ usuales.

Marci seu muffi panes. ℞. *Amygdalarum dulcium in aqua rosarum maceratarum & exsiccatarum, unc. ij: pinearum, pistaciarum, ana, dr. vj: pulpæ passularum lautarum in aqua rosacea, pulpæ dactylorum, ana, dr. vj: medullæ seminum frigidorum majorum, & bombacis, ana, dr. j: gummi tragacanthi, dr. ij: pulpæ caponis, unc. iv: coxarum ranarum unc. j: amyli, unc. jß: cum saccharo sufficienti fiant marcipanes igni lento; capiat & in pastu & extra: addi potest pulpa carnis testudinum.*

Fiat saccharum rosatum in rupe pineis confixum; si marcescat æger, significabit, & parabitur resumtivus ex testudinibus syrupus.

Perseveret in usu lactis asinini.

Pro latente vitio in partibus naturalibus, parabitur balsamum pro litu earum partium.

Balsamum. ℞. *Rosarum, salviæ, chamæpytyos, veronicæ, pilosellæ, scordii, ana, man. j: cyperi, unc. jß: santalorum, ligni Rhodii, ana, dr. iij: seminis ocymi, pæoniæ, ana, dr. ij: macerentur in vino albo vulgari & Frontigniaco cum aqua scabiosæ & pauca aqua imperiali: deinde bulliant sensim in fictili novo donec tabuerint. Adde medullæ cervi, unc. jß: olei irini, unc. ij: olei de spica, unc. j: gummi elemi & terebenthinæ, ana, unc. j: bulliant ad consumptionem aliquam succorum & aquarum: fiat expressio pro balsamo.*

Aliquando, ob serum putre quod in pulmonibus colligitur, utendum erit blando & tenui chinæ decocto.

Utatur syrupo suo pectorali parato ex succis ungulæ caballinæ, bipinellæ, pedis cati, buglossi cum saccharo cando & rosato.

Linus. Pro thorace litus ex rosato Mesuæ; Veteres interdicunt frequentiori usu remollientium & pinguium, ne pulmo mollior fiat, & si qua sit putredo, ne augeatur, præsertim si sputum sit putre ac purulentum.

2. Non erit alienum uti blando & moderato balneo ad difflationem corporis, vitetur colliquatio usu aut diuturniori, aut frequentiori, aut calidiore.

Syrupus violatus hodiernus recens miri est profectus.

ANNOTATIONES.

1. *Pro isto ægroto valet locus Hippocratis* 2. Epid. sect. 1. *color qui multum est pallidus & ex candido pallet, quoniam hoc omne ab hepate est.*

2. *Hippocrates* 1. de morb. *sputum semiputrefactum, non absolute coctum & mitificatum,* ἡμιοπτὲς *vocat: Et excretionem hanc e pulmone semiputrefactam* ἐκ τιθυλασμένην, *effeminatam, divulsam & nil compacti habentem*: *abominatur autem illud sputum, vocatque* μυσάττεσθαι τὸ σίαλον, *quod aut malitiam & malignitatem sputi denotat, & rei quæ extunditur: tale autem redditur, ob continuum & nimium usum rerum emollientium, intus seu foris usurpatarum.*

CONSILIUM XLV.

De Ischiade.

A Longo tempore ischias molesta fuit, rudimenta arthritica, rheumatismus minatur, & pedum tumor, cachexia, immo stupor brachiorum & metus tandem paralyseos cujusdam. 1.

Consultus est usus tabellarum diacarthami aut electuarii de citro, aut syrupus ante præscriptus cum granis burgæ spinæ, aut dosis conveniens ex senna, rheo & syrupo rosarum pallidarum cum radice eryngii, sanamundæ. Phlebotomia satis frequens sed mediocris, cauteria in occipite, ad partes tumentes, id quod sequitur.

℞. *Axungiæ porci, medullæ cervi, ana, unc. iiij: butyri loti in vino albo, aut aqua vitæ, lib. ß: pulveris ireos, dr. jß: terebenthinæ, unc. j: castorei, dr. ij: fiat linimentum*; Balsamum potest parari; ad spinam dorsi, fotus sicci ex herbis. Cataplasmata ut ante cum farinis coctis in hydromelite, hyssopo, scilla addita, gentiana, sapa, cypero.

Sudorifica per dies quindecim; usurpanda emplastra de baccis lauri.

Balnea Plumbaria; dialacca, diacurcuma, trochisci halicacabi, mechoacani, tabellæ aromatici rosati; cauterium in occipite; si ischias perseveret, cauterium infra os sacrum ad musculum natium. 2.

Cataplasmata ad Ischium evocantia ex gummi; item emplastrum ex sulphure, pice nigra, diachylo ireato, terebenthina, oleo irino, sulphure aut emplastro de baccis lauri, ad fractruram ossium, ceroneum, gratia Dei cum terebenthina.

Inter cetera laudantur pilulæ stomachicæ, & vehementiores evocantes a capite.

ANNOTATIONES.

1. *Misera arthriticorum conditio, si comedendum, manus, si ambulandum, pedes non habent, si dolendum, pedes & manus habent, ut dicebat Polemon Sophista.*

2. *Ischias iisdem remediis curatur atque arthritis, præterquam quod repellentia non admittit; sed purgato corpore valenter foras ex profunda cotyle trahentibus, & cataplasmate ex stercore columbino &c. & clysteribus acribus indiget: repellentibus autem non utendum in Ischiade, quia junctura in profundo sita est. Et ex vicinis & ambientibus vasis repellentium ope ad illam humores protuderentur.*

CONSILIUM XLVI.

De raucitate & affectu rheumatico.

TRia in hoc ægro notantur: vitium ossium narium, ut de nare loqui videatur, raucitas vocis, magna cum tussicula, & affectu rheumatico, dolore membrorum omnium, maxime partium nervosarum, ossium vitium ex reliquiis luis venereæ secutum, raucitas, partim faucibus vitiatis, partim contracta in bronchiis pulmonum labe.

Purgandum diligenter corpus: luculenta sanguinis detractio. Cataplasmata anodyna, fotus, hypnotica interdum. Ob vitium ossium narium ad amuleta venerea veniendum; domitum est venenum, non victum: decoctum radicis sassafras, cum santalis, opiata laxativa ad luem ex pulvere sarsæparillæ, corticis guajaci, foliorum sennæ, rhei, agarici, turbith, cinnamomi, zinziberis, anisi, syrupo de pomis composito & rosarum cum agarico.

Temperandum a vino; cibus vino præbibendus; a calidioribus abstinendum ob pulmonum intemperiem; de pilulis ex mercurio videbitur, anxia res, anxium consilium; ab errhinis abstinendum, ne violenta narium munctione confractio ossium major sequatur: thorax resumtivo unguento liniatur; hydromeli cum saccharo cando, syrupus ungulæ caballinæ, pedis cati, de symphyto Fernelii, decoctum galli decrepiti, ut fieri & parari solet cum manna calabrina, diatragacantho diaireos, aqua scabiosæ & bipinellæ cum saccharo rosato, aut violato: saccharum rosatum paratum cum maceratis passulis in aqua rosarum; lac asininum, balneum aquæ dulcis, syrupus resumtivus, gelatina. Sed maxime habenda ratio ipsorum pulmonum, quia aliquid mali præsagiunt, quod Dominus avertat & averruncet tamquam verus medicus & sospes.

ANNOTATIO.

1. *Quicumque (aut certe major pars) inunctionem ex hydrargyro passi sunt, in iis fere labes in pulmonibus inexplicabilis delitescit, unde coloris suavitas seu bona coloratio (ut ait Tullius) & χλώασμα λαμπρὸν* (q) *Hippocrati: perit decutiturque; at latentem pulmonis, aut hepatis labem pallor in facie designat.*

(q) Suavitas coloris, splendida coloratio.

CONSI-

CONSILIUM XLVII.

De affectu oris qui σομακάκη (r) *dicitur. Pro Oeconomo D. Britannici.*

ANtiquitas affectum oris vocatum celebrat; hic æger aliquid ſimile patitur, ulcera maligna, erodentia & minantia corruptionem gingivarum, & membranularum oſſium; cancrum metuimus: de lue venerea ſuſpicio erat, tamen ea eſt imminuta & elevata. A liene aliquid pende- 1.
re videtur; melancholicum quid eſt & ſplenicum. Aliquo loci Hippocrates ulcera oris, quorum origo a ſplene eſt, valde terrifica ſcripſit; in hoc ægro fere remedia, & induſtriam chirurgicam ludificantur.

Conſuluimus purgationem convenientem, phlebotomiam; uſum bal- 2.
neorum tempore opportuno; decoctum ſudorificum per dies aliquot; præmittantur pilulæ ex mercurio, ſingulis doſibus, ita tamen ut ptyaliſmus non provocetur, apozemata laxantia addito pulvere amborum cancrorum.

℞. *Mellis Narbonenſis, unc. iiij: olei ſulphuris, parum: pro litu partium.* Pro topico laudatus eſt uſus mercurii dulcificati, gargariſmus ex vulnerariis.

℞. *Herbæ Roberti, Nicotianæ, piloſellæ, veronicæ, ſcabioſæ, betonicæ & ſcabioſæ, ana, pug. j: raſuræ guajaci, dr. vj: roſarum vulgarium & transmarinarum, ana, pug. j: radicis biſtortæ, pentaphylli, ana, unc. ß: fiat decoctio ad lib. ij: diſſolve ſyrupi de ſuccis, mellis roſati, ana, dr. vj: ſacchari roſati, unc. ß: pro gargariſmo.*

ANNOTATIONES.

1. *Hippocrates* lib. de int. affect. *hunc affectum* σομακάκην, *quem alii ſcorbutum appellant, deſcribere videtur*: venter (*ait*) inflatur, poſtea vero etiam lien intumeſcit & durus eſt, & dolores acuti in ſplenem incidunt; color etiam mutatur & niger conſpicitur, pallidus, ex ore male olet & gingivæ a dentibus diſcedunt & in tibiis ulcera erumpunt, membra extenuantur, alvus dura exſiſtit. *Et in fine* 2. prorrh. quibus lienes magni, iis gingivæ vitiantur, & os grave olet, in tibiis mala ulcera habent & nigras cicatrices: *meminit quoque Strabo hujus affectus, quem, non* σομακάκην, *ſed a voce* κάκκη, *quod iis os* κάκκην (s) *oleat,* σομακάκκην *vocat. Plinius autem confundit ſtomacacem cum ſcelotyrbe, quam uſu aqua-* Cap. 3. l. 25.
rum locorum trans Rhenum in Germania fieri dicit. Eſt enim ſcelotyrbe proprie paralyſis quædam ſpecies, qua qui laborant recte incedere nequeunt, ſed

 nunc

(r) Scorbutus.

(s) Oletum, excrementum.

nunc in lævam, nunc in dextram contorquent corpus ob partium inferiorum resolutionem quamdam.

Lib. de mor. Gall.

2. *Fallopius Mercurium divinum mixtum appellat, aitque duo esse in rerum natura quæ illi admirationem pariunt, magnetem nimirum & hydrargyrum; ex quo quidem possumus ostendere resurrectionem, nam in cineres convertitur, & levissimo labore in propriam formam redit. Multa quippé edit opera, quorum nulla probabilis ratio reddi potest, quo fit ut ad occultam qualitatem sit confugiendum; ejusmodi est facultas illa qua ptyalismum seu salivationem & sputationem movet; atque vis illa cathartica, qua licet frigidus adeo excellit, ut ne ustione eam exuat, sed in cinere retineat, multo quam ante validiorem. Purgat autem crassum mucum atque ipsam pituitam, & ex consecutione quadam bilem utramque. Et quamquam modo supra, modo infra, interdum utroque modo purgat, maxime tamen propria & ingenita vi supra purgare natum est, caput petit, cor fugit, quia igneum, quocumque modo adhibeatur; sicque quidquid colliquavit, undique primum in ventriculum, dein in fauces & os regerit & compellit, non tussi, non vomitione, sed continua & molesta mucosi sputi profusione rejiciendum; quæ purgandi ratio veteribus incognita, & ab iis numquam tentata, oris profluvium a recentioribus vocitatur. At vero si quando morbi species ejusve pervicacia aut cacoëthia id præsidii genus in usum revocandum esse insinuat, ut ptyalismus non provocetur, purgantibus admisceri debet quæ vim illius languidam & ignavam stimulent, ne quod in ventriculum attraxit fusis liquatisque carnibus & humoribus illic subsistat, & gravissimorum symptomatum causa sit: eaque ratione gravissimis morbis expugnandis, lepræ, scrophulis, scabiei, morphæis, impetigini, lumbricis enecandis, lui venereæ conferre potest, nam terget, mundificat, modo per alvum, modo per urinas, sanguinis massam repurgat, postremoque corporis habitum supervacaneorum humorum illuvie liberat.*

CONSILIUM XLVIII.

De Tussi permolesta pro D. Florette Consule.

IN molesta tussi & quasi pruritu ad summam partem asperæ arteriæ, post somnum purgationes blandæ sunt institutæ, cassia & in bolo, & in potu colato, ptisanæ usus in vino, hordeata, amygdalata, lac asinæ, item hoc instauratívum & resumtivum.

℞. *Caponem unum, pullos duos, armum vitulinum aut carnem pectoris vitulini, coque in aqua fluviali aut cisternæ, addendo parum aquæ scabiosæ, & oxytriphylli: in eadem aqua coque tres aut duas testudines nemorales demtis extremis; adde pulmonariam herbam, tussilaginem, hordeum mundatum, bipinellam, pilosellam minorem, sive pedem cati, seminis papaveris & bombacis, ana, unc. j: semina frigida majora, seminis sesami, dr. ij: passulas, num. xxx: gummi arabici & tragacanthi, ana, unc. j. penidiarum, unc. jß: cum sufficienti quantitate sacchari fiat syrupus ad libras duas.*

℞. *Conser-*

℞. *Conservæ rosarum mollis, unc. ij: conservæ tussilaginis, violarum & pedis cati, ana, dr. vj: pulmonis vulpis præparati, dr. iij: mannæ Calabrinæ, unc. jß: conservæ symphyti, unc. ß. diamargariti frigidi, & diatragacanthi, ana, dr. ß: cum syrupo de succis, & julepo rosato fiat opiata; capiet frustulum hora somni cum syrupo sequenti.*

℞. *Syrupi violati & rosarum siccarum & nenupharis, ana, unc. jß: syrupi papaveris rubri, unc. ij: capiat parum ex cochleari, cum prædicta opiata.*

Coquatur vetus gallus cum carne vitulina; farciatur venter foliis & floribus ungulæ caballinæ, hordeo, passulis, jujubis, sebesten, semine bombacis, & gummi tragacanthæ portiuncula: utatur eo decocto mane cum unc. jß mannæ Calabrinæ.

CONSILIUM XLIX.

Pro juvene melancholico cujus mentem mæror perculit & de suo statu dimovit.

VIctus ratio humectans & refrigerans præscripta: Balnea, lac asinæ, serum lactis cum euphrasia & buglosso. Purgatio ex senna, syrupo de pomis, cum herbis splenicis; venæ sectio brachii & capitis, item saphenæ, hirudinum usus. Pyrotica internis tibiis, aquæ Pugenses; seri lactis usus frequens, hordeata; elleborismus malo rebellante, eligatur elleborus niger qui floret circa finem Decembris flore purpureo, aut dentur grana octo extracti ellebori nigri; hieme purgetur modo pilulis ante cibum, modo paullo validioribus.

Moderatus victus; colloquia amicorum blanda & amica; nihil molestum aut quod iram provocet, dicendum, læta omnia: acerba omnia aut tristia vitentur. Rerum seriarum narrationes vitandæ, ægro concedendum, condonandum paullo, indulgentius favendum, ut frontem contrahat nullo modo, sed apertam habeat. Amicis colloquiis consolandus, levandus, demulcendus. Musica, ludus amicus & facilis, blanda exercitatio. 1.

Medicamenta blanda cum granis kermes, nisi forte res tandem (ut dictum est) elleborismum requirat; succus pomorum valet; cæsaries decurtanda. 2. 3.

ANNOTATIONES.

1. *Celebratur hic versus apud Græcos, qui citatur a Plutarcho apud Apollonium,* ψυχῆς νοσούσης ἰατρεὶ λόγοι, *ægroto animo Medicus est oratio, siquidem, ut inquit sapiens Hebræus, sermo mollis frangit iram: huc allusit Horatius in Epistolis.*

Sunt verba & voces quibus hunc lenire dolorem
Possis, & magnam morbi depellere partem.

Sed

Sed ut in corporum morbis pro ratione valetudinis alia atque alia adhibentur præsidia, itidem in animi malis non eadem adhibenda est oratio, sed interim dissimulandum, interim acrius jurgandum, nonnumquam blandius monendum juxta Paulli monitum, argue, obsecra, increpa.

2. *Antiquitus ellebori plurimus usus fuit ad levanda mentis & capitis vitia, hinc natum adagium apud Aristophanem* in Vespis πῖθ' ἐλλέβορον (t); *quo dicto significat insanire quempiam; & ἐλλεβορίζειν, insanire est Græcè: Duo ellebori genera Dioscoridi* lib. 4. *album & nigrum, quod alii entomon, alii polyrrizon, alii melampodion vocant: albo vomitiones cientur, nigro alvus inferior diluitur, utriusque periculosa sumtio. Ita tamen olim frequenti in usu fuit ut ad pervidenda acrius quæ commentabantur studiorum gratia sæpius sumserint: sic legimus apud Gellium* cap. 15. lib. 17. *Carneadem Academicum scripturum adversus Stoici Zenonis libros, superiora corporis elleboro purgavisse, ne quid ex corruptis in stomacho humoribus ad domicilia usque animi redundaret, & constantiam vigoremque mentis labefaceret; tanta cura tantoque apparatu vir ingenio præstanti ad refellenda quæ scripserat Zeno, aggressus. Constat tamen purgationem ex elleboro difficilem esse terrorisque plenam, nec adhibendam nisi quum pervicacioris morbi necessitas expostulat, nec aliis cessit remediis; bilem enim atram, deinde flavam atque crassam pituitam detrahit in alvum, non e visceribus modo sed & e venis, e quibus sanguinem rapit, & e partibus extremis, maximeque e cerebro, ideo confert elephantiasi, melancholiæ, furori, epilepsiæ &c. in quibus affectibus tuto dari potest legitima quantitate & præparatus ut decet: infunduntur radices certa quantitate contusæ in jure carnium pingui, aut in hydromelite, aut in aqua hordei, expressumque datur. Alii ex fibris ellebori extractum parant, radices & fibras macerant per diem integrum in aceto rosato, effuso aceto radices exsiccatas contundunt, in matratium capax recondunt, supereffundunt succi limonum partem unam, & succi pomorum redolentium partes duas: in balneo Mariæ digerunt, colant, exprimunt, purumque sic ab impuro separant.*

3. *Cæsaries nomen invenit a cædendo, hinc Gallia comata ex longa cæsarie dicta; Cæsaries promissa, id est longa, Cæsariati comati dicuntur, mulieres non habebant cæsariem, sed viri; nunc viri longam, naturalem & artificiosam habent cæsariem, cæsione prætermissas, Galli vocant* perruque.

CONSILIUM L.

De incontinentia urinæ & stillicidio involuntario post lithotomiam, pro filio D. Machau.

Tortuosa urina fluens calculo exsistente in vesica.

QUum calculus est in vesica, non fluit urina, nec emejitur sine dolore, & tortuosior est urina fluens, ut verbo Pliniano utar: quum grandior est calculus & discinduntur fibræ sphincteris musculi, fere urina

(t) Bibe elleborum.

urina non retinetur, ſed involuntarie diſtillat magno ægrotantium faſtidio, dolore, & incommodo, niſi forte ad annos pubertatis: prægreſſa lithotomia puero: ſi quædam fibræ intactæ manſerint, officium præbent læſarum, & caro extuberat fecundior, ſupplens vicem læſarum fibrarum.

Victus ratio ſit commoda & ſalubris, utatur pane & carnibus coctu facilibus, fructibus coctis, ceraſis novis cum pane, alias urinam movent; jentaculum ſine potu aut pauco, ſero largior potus ad ſitim ſedandam, noctu bis aut ſemel mejat, vino utatur dilutiſſimo, hieme præſertim; ſi aqua cocta utatur, addatur cauda equina, herba equiſetum vocata, ut parcat potui, tamen ſi urina coloratior, calidior, non ita ſit parcus in potu, ſatius enim eſt in eam partem (plus bibendo) peccare; teneat in ore aliquid ſiti placandæ idoneum; vitentur ſalſa, piperata; lateri indormiat primo, deinde dorſo ad mediam noctem; a mictu indormiat alteri lateri; ſurgens mane e lecto mejat, deſideat, ſi fieri poſſit: alvo liberiore minus emejitur; mediocriter exerceatur; utatur medicamentulis roborantibus purgando. Caſſia ſola nocet, laxando partes nervoſas, veſicam & partes ſpermati conficiendo, & continendo dicatas. Topica adhibenda conveniant proprio puberum temperamento, calida ſed moderate, & humectantia non multum ſiccantia, fotus ex aqua fabrorum cum vino craſſo. Aquæ naturales minerales, vitriolatæ, Borbonenſes, Pucenſes, Spadenſes, earum ſtillicidium, valet balneum, potus, fæx illorum fontium; aut loco illorum aqua fabrorum cum ſulphure, alumine, nitro, vitriolo albo, aut alia cum limatura ferri & chalybis; ſacculi parati cum cauda equina, roſis ad fotum; ſi non contingat melior ſanitas, Borbonenſia balnea adeat, ad hauſtum, balneum & ſtillicidii commodum; parabuntur tabellæ ex equiſeto, ſantalo & ſaccharo. *Victus.*

Cydoniatum Aurelianum aliquando conferet, modo non adſtringat nimis alvum.

Ut ſtillans urina recipiatur vaſe commodo, parabitur burſa aut vas ex ferro candido albo, cum impoſita ſpongiola, ita tamen ut ingreſſum non impediat.

ANNOTATIO.

1. *Quibus ſalutariter lapis detractus eſt, nec in ipſa ſectione perierunt, aut dubiæ ſunt ſalutis, Caſſiam dare pro cathartico nocet, quod ſit, vel quia diuretica eſt, vel quia nonniſi cum tormine aliquo, ab inferiore parte alvum evocat aliquando, dum inflatur in alvo perturbationem excitat: perturbatio autem iſta vulnus veſicæ infliction irritat. At in exhibitione catharticorum obſervandi ſunt maxime dies critici; in iis enim motus quidam fiunt naturæ, quos vel impedire, vel reprimere non parum eſt. Aqua hordei & julepum roſatum in uſu frequenti eſſe debet. De clyſteribus unum notandum eſt, qui ſunt blandiores ſæpe ignavi & inutiles ſubſiſtunt, & præter hoc quod inutiles ſunt, lædunt ſæpe & vulnus efficiunt deterius, ideo acriuſculi ſunt ſubjiciendi; attemperanda tamen res eſt, pro natura ægri, proque inteſtinorum ſenſu pigro vel acuto. At quod ad vulnus attinet, detergentia, & mundificantia*

tia ulceri non imponunt lithotomi, quia, ajunt, ipsa urina, quæ sensim per vulnus fluit, detergendi vim habet, & supplet vicem medicamentorum detergentium.

CONSILIUM LI.

De cachexia cum faciei pallore, & symptomatis hypochondriacis.

INstitutum jusculum, armus vitellinus cum pullo farto, cum acetosa, lapatho, buglosso, borragine, bipinella, endivia, portulaca, floribus genistæ, capparibus, pomo de carpendulo; coletur pullus, exprimatur usui.

Debet fieri decoctio apta antequam fiat hydromeli.

Hydromeli paratum cum unc. j. radicis filicis, chinæ unc. ß: ligno rhodio, ebore ad unc. ß: coque in hydromelitis lib. iv per duas horas ad consumtionem tertiæ partis, adde flores genistæ sub finem, cichorii, buglossi, violarum, aceti, unc. iiij: cola, aromatiza cinnamomo & santalo: capiat unc. iiij. mane per dies duodecim.

℞. *Syrupi de pomis, granatorum limonum, violacei tincti & acidioris redditi ana, unc. iij. utatur.*

1. Inter cetera tinctura rosacea & prærubra valet.

Purgatio.

℞. *Foliorum sennæ dr. vj: santali citrini, scr. j: aquæ buglossi, pomorum de carpendulo, ana, unc. iiij: succi limonum, unc. j: macera per horas xij: exprime, adde succi pomorum, unc. j: sacchari violati, dr. iij: agita cum albumine ovi, utatur eo decocto post jusculum.*

Syrup. mag.

℞. *Aquarum fumariæ, buglossi, pomorum, cichorii, ana, lib. ß: succi limonum, unc. vj: adde unc. j rhei ad partem infusi: succi rosarum pallidarum, unc. iiij: cum saccharo fiat syrupus.*

2. *Notanda hæc formula & examinanda.*

℞. *Aloes in aqua cichorii ad ignem beatæ Mariæ solutæ, & post ad mucaginem coagulatæ, unc. ij: gummi ammoniaci in aqua rosarum soluti per setaceum trajecti unc. ß: triasantalon, scr. ij: myrrhæ, dr. iij: mastiches, dr. j: salis absinthii, scr. iiij: croci, scr. ß: cum syrupo de succo rosarum fiat massa, de qua capiet scr. j. aut paullo plus ante pastum.*

Clysteres instituti: hæmorrhoidum provocatio.

Tabellæ.

℞. *Pulveris triasantalon, scr. ij. corallii præparati, perlarum præparatarum, ana, dr. j: spodii, cornu cervi, ana dr. ß: ossis de corde cervi, unicornis, ana, scr. j: fragmentorum hyacinthi, smaragdorum, cum succo limonum paratorum, croci martis sine igne & aceto parati, scr. iiij: confectionis de hyacintho, cinnamomi interioris, scr. j: sacchari in aqua rosarum soluti quod sufficit: fiant tabellæ.*

Balneum institutum: serum lactis a balneo.

℞. *Seri lactis lib. ij. tria poma de carpendulo incisa bulliant: fiant colatura, adde flores cichorii, buglossi, borraginis, ana pug. j. bulliat denuo, adde saccharum: cum albumine clarificetur, capiat mane.*

ANNO-

ANNOTATIONES.

1. *In præcedentibus dictum qua arte eliciatur tinctura ex rosis, aut floribus violarum, buglossi, borraginis &c.*

2. *Vera aloes præparatio fit hac ratione: ejus certa quantitas in pulverem redacta in phialam vitream immittitur, affunditur aqua cichorii, endiviæ aut acetosæ in balneo Mariæ: maceratio fit per 3. vel 4. dies; demum aqua rubicundissima aloes, essentia tincta extrahitur & a fæcibus per inclinationem separatur destillaturque per alembicum, donec mellis consistentiam acquisiverit.*

CONSILIUM LII.

Ad mulierem recens nuptam, epilepticis convulsionibus afflictam & affectu qui σπασμότερωμα (u) vocatur.

HUic ægræ inito consilio hæc remedia sunt instituta, clysteres ex emollientibus, arthemisia, absinthio, centaurio minore, melle mercuriali, & hiera.

Institutum decoctum ex radicibus fœniculi, polypodii, taraxaci, eryngii, oxalidis, oxylapathi, pæoniæ fœminæ, cyperi, valerianæ, filicis fœminæ, agrimonia, fumaria, bipinella, chamædri, chamæpyti, mentha, nepeta, hyssopo, calendula, floribus centaurii minoris, semine cardui, nigellæ Romanæ, glycyrrhiza, spica nardi, calamo aromatico: fiat decoctio cujus in colatura, foliorum sennæ vino albo nutritorum, unc. ij: agarici trochiscati, dr. iij: seminis carthami, unc. ij: caryophyllorum, dr. jß: macera: dein exprime ad unc. xij: dissolve syrupi rosarum cum agarico, unc. ij: oxymel scillitici, unc. j: fiat in iij doses apozema.

Sectio venarum brachii & saphenæ.

℞. Radicis pæoniæ, & cyperi, ana, unc. ij: chinæ, unc. iij: sassafras, unc. jß: rasuræ juniperi & ligni Rhodii, ana, unc. j: florum lilii convallium, tiliæ, calendulæ, ana, dr. iij: florum anthos, pug. iv: baccarum juniperi, pug. iv: corticis exterioris citri sicci, unc. iv: concisa pone in doliolo quod capiat pintas xxiv: infunde lib. xx hydromelitis parati ex parte mellis & partibus octo aquæ, ad supereminentiam adde lib. ß fermenti cerevisiæ: pone in loco tepido, pone in furnum pistoris, sinatur fermentari donec cesset ebullitio, donec deferbuerit, fiat transcolatio: capiat unc. vj per dies xij: pro effectu iterabit.

Primis diebus quibus utetur eo hydromelite post dosim acceptam fiat fotus hypogastrii & lienis.

(u) Tremor convulsivus.

Fotus fiet ex radice gentianæ, aristolochiæ, enulæ, ad unc. ix: cortice hederæ arboris, mediani fraxini, radice chelidoniæ, ad unc. ij: foliis ceterach, erysimi, nasturtii, absinthii, centaurii, menthæ, melissæ, arthemisiæ, tanaceti, ana, man. j. floribus sambuci & ebuli, baccis lauri, juniperi: coquantur in aqua fabrorum & quarta parte vini albi & cum aceto scillitico fotus fiat cum spongiis.

Purgatio ut ante, vel per sequens apozema.

Syrupus. ℞. *Foliorum Orientalium, unc. vj: agarici trochiscati, unc. iij: rhei, unc. jß: turbith, hermodactylorum, ana, unc. j: caryophyllorum, dr. iij: cinnamomi, macis, ana, dr. ijß: irrigentur omnia vino albo: infunde per quatriduum in vase vitreo clauso in balneo Mariæ, in ea quantitate aquæ betonicæ, calendulæ, cardui, valerianæ, quæ supernatet sex digitos: post ebullitiones leves fiat expressio: adde, syrupi rosarum pallidarum, mannæ Calabrinæ per solutionem & filtrationem depuratæ, dr. x: sacchari candi, unc. viij: post exhalationem in alambico reduc in syrupum: capiat unc. ij cum ptisana vel aqua betonicæ & cardui, horis tribus ante jusculum.*

Bis hebdomade capiat dr. ß. hujus massæ.

Pilulæ. ℞. *Gummi ammoniaci in aceto scillitico soluti, dr. iij: bdellii ita parati, dr. ij: aloes depuratæ in succo rosarum, absinthii, centaurii minoris, rutæ, unc. j: extracti sennæ, unc. ß: myrrhæ, dr. ij: croci, dr. jß: salis gemmæ, scr. iv: cum syrupo rosarum fiat massa, addendo dum formatur olei anisi, scr. j. ad usum.*

Vesperi cubitura capiat opiatam, & mane quum non utetur hydromelite præscripto.

Opiata. ℞. *Florum galangæ, calendulæ, ana, unc. j: florum anthos, unc. jß. theriacæ, dr. vj: confectionis alkermes & de hyacintho, ana, unc. ß: cranii humani, visci querni, ana, dr. iij: radicis valerianæ, dr. vj: diambræ & aromatici rosati, ana, dr. ij: cum syrupo parato per extractionem e succo menthæ, arthemisiæ & vino albo, fiat opiata: adde pulveris corticis externi citrii, fæcularum bryoniæ, & radicis enulæ campanæ, ana, unc. ß: caphuræ, scr. ß: capiat instar avellanæ superbibendo parum hydromellis vel vini albi.*

Non omittantur frictiones capitis, lotiones partium inferiorum ex decocto nervalium herbarum & hystericarum, cucurbitæ, frequentes clysteres.

Item aqua ad necessitatem paranda.

Pilulæ. ℞. *Radicis enulæ campanæ, bryoniæ, aristolochiæ, gentianæ, cyperi, ana, unc. ij: pæoniæ utriusque, valerianæ, ana, unc. iij. zedoariæ, angelicæ, imperatoriæ, galangæ, ana, unc. j: corticis aurantiorum & citrii sicci, ana, unc. ijß: florum rutæ, majoranæ, ana, dr. j: florum anthos, stœchados, hyperici, ana, pug. ij: baccarum juniperi, unc. iij: caryophyllorum, cinnamomi, macis, ana, dr. x: infunde in quantitate vini Hispanici quæ supernatet sex digitos, adde theriaces unc. iiij. per octo dies; fiat separatio per filtrum a fæce, mox distilletur in balneo Mariæ alambico vitreo, in cujus capitello sint circa lumbum noduli quatuor repleti croco & granis sex camphoræ; mellago in fundo vasis manens coaguletur ad consistentiam pilularum, quæ loco dictæ opiatæ sumi poterunt iisdem horis; fæces calcinentur ad albedinem; cineribus affunda-*

affundatur aqua distillata quæ post dierum aliquot digestionem separetur inclinatione, servetur & in vase vitreo subere bene obturato ad usum. Nares ungantur oleo succini, & gagatis; spina in paroxysmo ungatur axungia humana & suilla, cocta cum salvia & vino generoso.

ANNOTATIO.

1. *Elleborismo miras tribuit vires adversus epilepsiam Plinius, & eum extulit exemplo Bruti hominis primarii; hujus loco, nonnulli tempore paroxysmi cochlear unum aut alterum vini emetici, in os infundunt. Valet item contra epilepsiam decoctum radicis eryngii, pæoniæ maris & visci quercini cum hydromelite.* Cap. 7. & 8. lib. 22.

CONSILIUM LIII.

De urinæ incontinentia.

VIrgo Aureliæ, matura viro, etiam a tenera ætatula, urinæ incontinentia laborat, cui ut rite, & ex arte medeamur, quosdam articulos & quæstiunculas descripsimus quibus respondebunt Medici domestici, ut collatis sententiis, re diligenter expensa, & fructu remediorum aut utili, aut inutili, in commune aliquid consulatur.

An a natalibus malum natum. An a parentibus lapidosis, an non fuerit calculosa. An non præcesserit casus in os sacrum aut in perinæum; num suspicio paralyseos osculi vesicæ, aut casu, aut alio modo. Num passa fœdos colores, an adhibita remedia; nam observat Rondeletius virgines quasdam factas paralyticas usu remediorum calidiorum & aperientium in medendo fœdis coloribus: sic videndum an id mali in virgine, aut a renibus, aut a vesica. An non sit diabetes morbus gravis; an in fundo vasis urinarii phlegma, aut quid lacteum & purulentum; an urina sit graveolens. An fluat urina non sentienti & vigili & dormienti: An sitibunda: An in sopore malum minus: nam quibusdam dormientibus horologium apponitur ut meminerint urinam reddere. Cap. de paralysi.

Explicentur remedia adhibita. An non ad balnea, & Plumbares aquas traducta.

A multis jusculis abstinendum, & diureticis; frequens haustus & parvus; a vino albo abstineat; aqua ferrata usui sit, china aut sarsaparilla utilis. Fotus ex adstringentibus; semicupia ad partes imas; jus lentium valet si calorem in ore sentiat; cassia cum tamarindis & rhabarbaro; in pastu, cydoniatum Aurelianum ex succo, non quod durius est, nam ventrem adstringeret, & malum augeret.

Corpus purgetur syrupo magistrali infrascripto.

℞. *Florum urticæ urentis, nenupharis, ana, pug. j. seminis lactucæ, portulacæ, ligni rhodii, cannabis, & santalorum, ana, dr. j. seminis plantagi-* Pulvis.

nis, malvæ, coralliorum, ana, dr. ß: cum saccharo cando & rosaceo, ana, unc. j. fiat pulvis: capiat mane dr. j. cum pauco vino albo aqua ferrata diluto.

Utatur jusculo gallinæ coctæ cum lactuca, portulaca, buglosso, borragine: farciantur interiora granis berberis, radice pauca symphyti, tormentilla, myrobalano, gummi arabico, addita dr. j. rhabarbari; fiat panatella addito vitello ovi.

Spinæ dorsi imæ parti adhibe emplastrum adstringens.

Syrupus. Fiat syrupus ex bugula, sanicula, urtica mortua, robertiana, oxytriphyllo, primula veris, consolida majore, tormentilla, acetosa, oxylapatho, granis kermes, & berberis, santalis omnibus, passulis integris aqua rosarum lautis, semine plantaginis, lactucæ, melonum, cum unc. iiij sennæ, addita expressione unc. j rhabarbari seorsim infusi, addito ligno aloes, julepo rosato & syrupo granatorum.

CONSILIUM LIV.

De profluvio seminis non venereo.

NOn abs re vir nobilis curam suæ sanitatis habet, (quorsum enim felicitas, si non adsit sanitas?) & naturam ducem sequi destinavit, hæc æternitatis est avida, alias capax, & per novam sobolem, ut per progerminationem id facit: si in arboribus adeo sedula, quid in homine agat, qui ad Deum tamquam archetypum formatur, & ex tantulo semine re tantula miros effectus producit: ideo D. laborans in eo conservando laborat ut semen sit prolificum, non insulsum, non degener, non evanidum, ut homo ex homine exsiliat; tantulum semen, ex omnibus quasi partibus deciduum, rapit secum ideam quamdam hominis, ut homo sit tamquam character, & transcriptio quædam viva: semen est tradux ad æternam propagationem, ex omnibus partibus decidit, & deciditur ex prona quasi semita ductuque; omnes meatus, aut tubi ad partes naturales imas (quæ per ἀντονομασίαν (x) naturales dicuntur, aut potius κατ' ἐξοχὴν (y) tendunt, diriguntur, conspirant; hinc summa in palæstra venerea voluptas; ideo harum partium maxime habenda ratio, sive ut simplices, sive instrumentales considerentur; nervi, tendines, miro artificio fabricati, in generatione valent plurimum: at partium principum ad opus aliquod etiam leves affectus magni sunt momenti. Inter cetera animantia homo a congressu maxime exsolvitur, quia proportione corporis multum seminis excernitur, & quod robustum est exsilit; & ut ædificii constructio, sic corporis compages quatitur ac convellitur, dum semen decedit. Mirum quod maxime in mictu & egerendi conatu ægro domino semen effluat;

(x) Antonomasiam. (y) Per excellentiam.

effluat; id partium vicinia & ſympathia facit; hinc qui mejendi deſiderio tenentur concumbere nequeunt, quia meatus implentur per affluxum; & qui concumbunt ſi mejere velint, penis intenditur, id quod ad rem præſentem pertinet; inde eſt formæ & morum ſimilitudo, & in aliis animalibus, major eſt ſimilitudo quam in homine, quia cogitatio alio traducit, celeriter tranſvolat; hinc majores differentiæ, diſſimilitudines, quia velocitas cogitationum, celeritas animi notas multifarias imprimit, non ſic in aliis animantibus: immo in iis certi ſunt per anni tempora concubitus, homini omnibus horis dierum ac noctium, quod, ut ajunt, magis interſit hominem naſci quam cetera animalia: immo nulla animalia gravida præter mulierem coitum norunt: itaque non mirum ſi ſanitatis maxime ratio habetur, & ut natura ad priſtinam integritatem redeat: uſus Veneris ad æternitatem quamdam per ſobolem, & ad ſanitatem, ſi moderatus eſt, confert, quia qui tardius & moderatius Venerem exercuerunt, maximam laudem habuerunt, quia validiores & longioris vitæ fuerunt, ſic ſtatura corporis alitur, aluntur vires. Mirum in homine: ceteris animantibus in congreſſu ſatietas, homini prope nulla, licet uſus Veneris ad æternitatem producenda ſobole & ad ſanitatem ſi moderatus eſt conferat, ut præfractior & magis ridiculus videatur Democritus, qui uſum Veneris damnarit, ut in qua homo ex homine exſiliat. Id ad Paganos non ad Chriſtianos, apud quos eximia ſoboles deſideratur ad gloriam Dei, & ejus cultum, & eximia gerenda negotia in Reipublicæ decus & ſalutem, laudo antiquitatis ſtudium quæ tanti fecit hominis generationem, ut remedia quædam excogitarit ad generandos liberos pulchros & bonos; hermeſias vocatur. Continet multa laudanda & non negligenda, non ita eſt efficax ut quod promittit emittat & exſolvat, & ſpem effectus mentiretur aut elevaret.

1.

Plin. c. 63. l. 7.

Danda quæ ſuccum lentum generant, ut ſunt extrema animalium, & teſtudines, & oſtrea; Arbores ſunt vivaciores, quæ lentum habent ſuccum; exercitium violentum malum, inutilis a cibo contentio animi & jugis actio, ſpiritus ad partes ſuperiores fertur, inferiores fraudatæ ſpiritu imbecilliores redduntur.

Victus.

Homines ſollertes & negotioſi liberos generant imbecilliores; vulgus eſt proletarium, robuſtos generat.

Magna pars urbanorum eſt imbecilliore ventriculo, item ſtudioſorum: pertinax vigilia cruditatis parens, ex cruditate affluxus humorum & effluxus: laboris naturalis in viſu, auditu & ceteris, exceſſus vitetur.

Ira vitanda, licet oxythymiam laudet Hippocrates & excandeſcentiam ad bonos ſuccos generandos & εὐχροιαν (z): Id de pinguibus & ſucculentis audiendum, non de bilioſis, & gravi negotio occupatis & ſtudioſis.

Corpus & animus, inſtar duorum equorum viribus æqualium, corpus & animum tamquam curru & vehiculo, id eſt, ſe ipſos trahere debent.

Sinapi, acria, allia ſunt vitanda.

Diæta,

(z) Bonum colorem.

Diæta, aliquando ſiccans & adſtringens.

Portulaca, intybum (nam quidam ajunt cichoracea ſemen minuere) plantago, lactuca, bugloſſum, borrago in jure conferunt; hordeata, oryza: quidam conſulebat piſtacia, pineas, paſſulas, avellanas, amygdala; ſed parum conſulto. Semen enim augent, & ad Venerem excitandam commendantur; hic inſtituuntur ut ſit ſemen craſſius; uſus ſit vini craſſa diluti aqua, aut ſimplici, aut in aqua torquis aureus candens exſtinguatur.

Purgatio. Purgatio ex rheo & ſyrupo de cichorio ex intervallis, apozemata ex endivia, ſcariola, plantagine, ſemine lactucæ, citrulli: coque in aqua, adde ſyrupum limonum, de granatis, roſarum ſiccarum.

Opiata. Opiata commendatur ex acetoſitate citri, ſemine canabis, camphora, ſemine portulacæ, lactucæ, nenupharis: floribus, ſemine agni caſti, rutæ.

Alia opiata ex cydoniis conditis ad unc. ij: corallii rubri, margaritarum, ana, dr. ß: balauſtiorum, dr. j: ſemine agni caſti, & rutæ, ad ſcr. j: conditum fiat cum ſyrupo roſarum ſiccarum; valent trochiſci de terra ſigillata.

Fotus. Quod ad topica ſpectat: Fotus ad perinæum ex foliis plantaginis, tapſi, centinodii, cupreſſo, roſis, floribus chamæmeli, cortice granatorum: ſacculus plenus bulliat in rubro vino & aqua fabrorum.

Litus. ℞. *Olei roſati, myrtillorum, maſtiches, ana, unc. j. pulveris corallii rubri, maſtiches, antheræ, ana, dr. j: cum cera fit unguentum.*

Emplaſtrum. Emplaſtrum comitiſſæ & deſiccativum rubrum confert.

Quæ evocant ad cutim valent; de aquis Plumbaribus videbitur ſi res urgeat.

Inſeſſus in plena decocto adſtringenti pelvi impoſitis partibus naturalibus.

Teſtudines valent, cancri fluviales, ſyrupus reſumtivus.

Semen ſalicis, & urticæ albæ confert.

2. Valet purgatio ex conſerva roſarum, nymphææ, ſymphyti, rhabarbaro, myrobalanis conditis; aut ſyrupus conveniens; juvat mandere rheum cum paſſulis; utatur vino optimo non hujus anni, in quo vina ſunt tenuia quæ ſanguinem ex Hippocrate imbecillum generant & ſerum tenue.

Lib. 2. de diæt. Plin. c. 5. l. 4.

Abſtineat a diureticis; utatur pane in lacte ſubacto.

Marciapanes cum carne pullorum conferunt.

Diarrhodon abbatis, electuarium de gummis, paſta regia.

Hæc ſcripta collata ſententia M. Jacobi Guillemeau Chirurgi Regii.

ANNOTATIONES.

1. *Quoniam de Gonorrhæa agitur, non venerea, & quæ ſcortatorum eſt flagellum, ſed de quodam ſeminis effluvio naturali & tamen morboſo, unum annotabo de uſu veneris: diximus uſu veneris vim & corpori & animo inferri, unde corpora vieta & flaccidiora fiunt, animus imbecillior, nec omitti debet nominis eunuchi etymologia; nomen ipſum videtur ridiculum, quia homo quaſi effeminatur, tamen traxit originem vel ἀπὸ τῆς εὐνῆς, a lecto, cui*

cuſtodes

custodes eunuchi erant ad tuendam conjugum castitatem, & quia diligentiores erant & observantiores æqui & pudici, quam famulæ: vel dicitur eunuchus quasi εὖ νῶν ἔχειν, quasi magis mente constet, ob neglectum veneris usum; unde venerea dicebantur ἀνόητα antiquis, quasi extra rationem seu irrationabilia.

2. *Tiberius sui temporis Medicos sugillabat, qui Surrentinum vinum laudarent ob tenuitatem salubritatemque, quum tamen acidiusculum foret, & generosum acetum esse dicebat; Claudius successor nobilem vappam vocabat, talia vina Galli vocant* Ginguets.

CONSILIUM LV.

De febre assidua cum gravibus symptomatis.

DOmina Myron, Britanniæ incola, incidit in gravem morbum, id est in febrem continuam cum gravibus symptomatis, maximè quia habet hypochondriacum aliquid ab intemperie ingenita: accesserunt & causæ externæ de quibus dicam. Tria videntur gravem morbum intulisse, cui febris lenta & quasi hectica successit κατὰ τὴν ἐπιγένεσιν (*a*): primum natura & ingenium morborum grassantium, qui κακοήθεις (*b*) sunt, a sero maligno, putri, ob prægressa tempora quæ suam temperiem non retinuerunt, hinc setura symptomaton facessens negotium Medicis, & ægros in metum desperationis æmulum conjiciens. *Causæ.*

Secundum, timor ob naufragii periculum in cymba: recens erat nupta, confecerat multa itinera dispendio sanitatis dubia & ancipiti vita. *Qui cymba vehitur tantum abest a morte quantum ligni crassitudo impedit.*

Tertium, natura ægræ a me satis cognitæ, temperamentum biliosius quam natura sexus ferat, hinc hypochondriaca, hinc vetus de liene querela; mulieres calidiore temperamento afflictæ sunt valetudinis, non desperatæ; hinc Aristoteles, *melancholici perpetuo medicinam appetunt.*

Frustra accusatur uterus, ut male fit in omnibus morbis mulierum (quamquam id non sit negligendum): nupsit nuper ægra, & ejus uterus colitur; frustra darentur hysterica remedia, ut quæ nimium calefaciant & augeant viscerum æstum, hypochondriacamque intemperiem, multorum malorum auctorem. Quod Hippocrates dicat uterum morborum muliebrium causam, id intelligi debet quatenus est ἰδιοσυγκρασία (*c*) muliebris per sympathiam, aut ἰδιοπάθειαν (*d*) uteri, & salvo meliore judicio hypochondriaca symptomata redolent hysterica symptomata. *Uterus muliebrium morborum causa. Hipp.*

Melancholici ab adustione non sunt vehementer purgandi; quum melancholici dicantur, non tam ii qui succo melancholico abundant, quam qui partibus solidis tales sunt; est sollertis Medici id distinguere; nocet unum *Ex Aëtio notanda est melancholicorum distinctio.*

(*a*) Secundum epigenesim.
(*b*) Maligni.
(*c*) Idiosyncrasia.
(*d*) Idiopathiam, propriam passionem.

unum pro altero ſupponere ob remedia hyſterica; non negligatur diſtinctio & examen; nova eſt conjux, ſaciles & felices partus, (Deo auſpice) & cultus uteri tamquam fundi ob novum conjugium erit medela ſymptomatum hyſtericorum.

Cultus uteri hyſtericis medetur affectibus.

Concinnandus ſyrupus cum ſenna, rheo, ſplenicis, addito ſuccis bugulæ, pomorum, euſraſiæ, ivæ arthriticæ, oxytriphylli, granis kermes; radice tunicæ, pentaphylli, radicis chinæ parum ob ſerum putre; tempore ceraſorum addatur ſuccus eorum; flores & folia veronicæ; valet ſectio baſilicæ & dextræ, & ſiniſtræ; exploret Medicus, an non tumeat lien, cauſa ſæpe tabis corporis, tumor eſt diſcutiendus, inutilis alioquin erit opera.

Hipp. de morb. Mul. & Vir. ὡς τάχιστα ἐνοικῶσι ἀνδράσιν (e). Herba olim vocata nepenthes oblivionem timoris & triſtitiæ inducit.

Capiti conſulatur remediis convenientibus jam præſcriptis.

Si hæmorrhoides appareant & caput faciant num opus ſit eas aperire, videbitur; ſunt morbus in muliere, in viro ſanitas. Balnea convenient; lac aſinæ; ſerum lactis ovi albumine clarificatum, addatur bipinella, aut euphraſia, non ea herba quæ fel terræ, & fumaria dicitur.

In hypochondriacis ſæpe accuſatur ventriculus, quum ſit innocens, ſed aut in pyloro aut jejuno inteſtino mali labes deliteſcit, ut notavit Diocles, quod Galenus primus obſervavit, ut jam ante notavimus variis in locis.

Ariſt. Vide Gal. de locis aff.

CONSILIUM LVI.

De febre lenta & tumoribus glandularum gutturis ſtrumam minitantibus.

TRia ſunt obſervanda in ægrotante puella annos 26. nata, quæ ante menſes aliquot afflictioris fuit valetudinis, febris lenta quæ præceſſit, & cacochymiam habet parentem cachexiæ: profluvium alvi meſentericum, linguæ ſiccitas, quam nos in illa a ſomno excitata obſervavimus, quod eo eſt deterius quia in aurora ſalubri alioqui apparet: tertium quod metum affert, eſt tumor in glandulis colli chœradum minax; niſi prudenter & ex arte Medici providiſſent, & prævidiſſent, purgando & ſuppuratum impediendo, hoc dirum omen averterunt, licet feliciter, (ſed id raro) in quibuſdam ſuppurato tales tumores evanuerunt, conſumta membranula quæ materiem continebat, maxime ſi pus maturum ſit: nam ante ſi effluat aliquid cancroſum affert, ſic mora quædam licet tædioſa ſecurior eſt. Quidam artis periti (ut non omnia omnes vident) in chœradum cognitione & curatione vacillarunt, a pituita illas naſci putant, & ad calefacientia & ſiccantia recurrunt, item ad hydrotica calefacientia; hinc in malum cancrum fit converſio & tranſitus, dum illa pituita incaleſcit plus æquo

Aurora morbis ut muſis amica, ideo qui morbi circa matutinum tempus exacerbationes habent, ut plurimum κακοήθεις (f) ſunt. Rondeletius in ea eſt ſententia & impendio calefacientibus utitur.

(e) Quam celerrime cohabitare cum viris.

(f) Maligni.

æquo & exasperatur. At, ut ex Platone notat Galenus, pituita non quævis nocet, sed salsa aut acida: salsa est atræ bilis soboles, & affinis, hinc quibus in facie gutta est rosacea, in iis chœradum & cancrorum est seminarium, immo & arthritidis: sic gravis error committitur in usu calefacientium & siccantium remediorum, & antiquitas prudentius præscripsit serum lactis, asinæ lac, syrupum regis Saporis. Sic post longum morbum tumores in glandulis colli paruerunt; glandulæ sunt partes depositariæ & emunctoria cerebri, aut male affecti, aut onusti pravo succo. Victus ratio humectans & refrigerans confert, quum jam hecticæ febris signa se prodant, neglectis tumoribus istis ad tempus, licet calefacientia & siccantia rejiciamus.

Repressa & mitificata febre tantillum chinæ in aqua macerabitur, adjuta radice cichorii & polypodii.

Aqua rhabarbari cum radice oxalidis, & tunicæ; lac asinæ quod ab elephante vindicat. *Purgatio.*

Utatur decocto sequenti, quo die lacte non utetur.

℞. *Radicis consolidæ majoris, scrophulariæ minoris, enulæ campanæ in oxycrato temperatæ, filipendulæ, ana, unc. ß: saniculæ, bugulæ, bellidis, pilosellæ, bipinellæ, robertianæ, betonicæ, ana, man. ij: glycyrrhizæ, passularum, ana, dr. vj: florum cordialium, pug. ij. fiat decoctio: capiat unc. iv pro dosi cum pauco vino albo & syrupo capillorum veneris, instar apozematis.* *Apozema.*

Parti applicetur lamina plumbi fugitivo illiti: vel, ℞. *Emplastrum diachyli ireati, unc. ij: gummi ammoniaci aceto soluti, unc. ß: fiat emplastrum.* *Emplastrum optimum.*

Scrophularia ipso nomine & fronte mirum quid promittit ad curationem chœradum, sed in exsolvendo promisso languet, viribus æquat aron seu serpentariam calidam & siccam: valet ros solis herba dicta, & pes cati sive pilosella minor.

Si tumores colli sint contumaciores, valet hoc emplastrum.

℞. *Emplastri de Vigo duplo mercurio unc. ß: emplastri de cerusa, malaxentur sine oleis*; emplastrum divinum mirifice confert.

Radix herbæ quæ dicitur gladiolus contusa cum rosato Mesuæi prodest tumoribus istis; & per dies quadraginta detur dr. ß pulveris illius radicis miro eventu.

Valent opiatæ ex conservis cardiacis non calefacientibus.

Valent hordeata tempore legitimo præscripta hora somni.

Miraculo proficere ajunt jaceam albam, (quam speciem violæ esse ajunt); item papaver rubrum macerant in vino, contundunt, mucaginem tumori chœradico applicant, id remedium temperando prodest, & eas habet dotes quas requirimus in remediis strumarum, exclusis calefacientibus, & nimium siccantibus.

CONSILIUM LVII.

De contumacibus ruboribus post exanthemata.

CONsultum est ut æger sumat cassiam sæpe, diluto vino utatur, minuatur sanguine, serum lactis sumat, aut lac asinæ: lavetque faciem eodem, vel

Unguentum. ℞. *Rosati Mesue lauti in aqua nenupharis, unc. iij: nutriti unc. ß: pulveris unguenti citrini scr. iiij pro litu faciei. Sed noctu linteum unctum imponendum est.*

Pomata cum oleo ex frigidis seminibus confert.

Lotio. Paretur lib. jß emulsionis ex seminibus frigidis & amygdalis contusis in decocto anagallidis, hordei, floribus nymphææ, semine & foliis acetosæ, adde unc. iij. aquæ nenupharis: lavetur facies, aut aqua liliorum cum trochiscis albi Rhasis, vel

Accipe sex pedes vervecinos, contunde cum carne & ossibus: coque totum in aqua, quæ post fiet mucaginosa, lavetur facies: satius erit accipere aquam nenupharis aut plantaginis quæ miras habent vires ad faciei nitorem in quibus solvitur caphura, aut maceratione seminis psyllii.

Item valebit cremor lactis cum aqua rosarum, aut oleum de vitellis ovorum: vel accipitur frustum lardi antiquum, coquitur in vino rubro ad perfectionem, ubi refrixit pinguedo supereminens asservatur usui. Duretus radit frustum lardi, ramenta diu macerata in aqua fontana aqua rosarum excipit & vasi calido imponit. *Dureti pomata.*

CONSILIUM LVIII.

De serpigine, specie tineæ & pityriasi.

Purgatio. TEmperamento est melancholica per adustionem quamdam, & id habet a stirpe generis Nobiliss. mulier. Purgabitur opiata laxativa, ex herbis convenientibus, hepaticis, & splenicis, senna, rheo, syrupo de agrimonio Rondeletii, byzantino, regis Saporis, additis conservis convenientibus, cassia in sero lactis, senna cum decocto carnis vitulinæ.

Parabitur syrupus ex succis, cum granis kermes & fructu halicacabi; at inter cetera recenti, æstate huic syrupo addetur succus cerasorum, additis ocellis id est floribus betonicæ altilis; hic confert hypochondriacis.

Detractio sanguinis certa de causa est prætermissa, id Medici domestici ex prudentia pendet, inde forte malum est rebelle magis & inextricabile ut loquitur Plinius: Medicus etiam prudens anceps est & labat: poma-

pomaceum defæcatum conferet, cui tamen vinum dilutum præferatur. Lac asinæ aut capræ, ut vitetur hectica diathesis; vitanda est nimia abstinentia & jejunium; serum lactis colatum cum syrupo violato, julepo rosato. Balnea cum herbis non calidis, sub finem adde 24. lib. lactis, ante addatur furfur anagallis, palea hordei. Epithemata ad cor valent. *Balnea.*

Valet pasta detersiva ex amygdalis nudis, maceratis in aqua rosarum & nenupharis; mica panis secalini cum melle, iride florentino; farina hordei, fabarum cum medulla gummi tragacanthæ, extracta in aqua scabiosæ, aut ejus decocto addita acetosa; sunt qui addunt mucorem aut infusum ari radicis sive serpentariæ. A fotu & balneo litus conferet ex unc. j. rosati Mesuæi cum dr. j pulveris mercurii dulcificati: aut applicatio laminæ plumbeæ litæ mercurio dulcificato; unguento diapompholygos de cerusa. *Pasta.* *Litus.*

Panis in lacte subactus: cucurbitulæ siccæ & cornicula.

Decoctum ex anagallide, furfure, hordeo, ut ante dictum, fotus ex radice althææ, foliis acetosæ, violariæ, primulæ veris, anagallidis; caulibus rubris, cum melle simplici, aut rosato, aut mercuriali. *Fotus.*

CONSILIUM LIX.

Pro filia D. Habert cui tumores in collo, & ulcera in gingivis soboles diatheseos strumosæ.

MUlta de cerebro dicta sunt cur frigidum & glutinosum, item de tempore, quod a sero putri morbi grassantur; tempora enim a sua temperie degenerarunt, quæ nunc prætermitto; glandulæ colli sunt quasi depositariæ cerebri, aut male affecti, aut pravo humore onusti: Et ulcera multa vidimus, & diros abscessus, in quibus quia interni juxta & externi erant, cutis contra se afficeretur, quia ulcus intus, foras, & contra penetraret, hinc gingivarum labes humore traducto & transmisso.

Consulendum capiti, repurgandum etiam tabella diacarthami, de citro, aut succo rosarum. *Purgatio.*

Syrupus magistralis cum chamædry, chamæpity, tertia specie symphiti, aut potius tertia specie oxylapathi quæ bonus Henricus dicitur, agrimonia, salvia vitæ, veronica, vulnerariis herbis, pauca medulla guajaci, pentaphyllo, addatur rhabarbarum, senna, agaricus, syrupus byzantinus, rosarum pallidarum succus, aut decoctum florum persici. *Syrupus.* *Huic miras dotes tribuit Fuchsius.*

Loco syrupi fiat opiata ex decocto simili & laxantibus, addendo conservam violarum, buglossi, nenupharis, melissæ, betonicæ: corticem citrii, cum pulvere sarsæparillæ, chinæ, diarrhodone abbatis, addendo duas tabellas de succo rosarum. *Opiata.*

Decoctum sudorificum blandum.

Cucurbitulæ scapulis: hirudines temporibus: Emplastrum de betonica capiti.

Hora ſomni conſervæ cephalicæ mediocres non calefacientes, errhina ex non calidis conferent quæ blande ſuccum mucoſum e capite eliciant.

Foris quadrantia ceronea, cataplaſmata ex farina lentium, orobi, fabarum, cocta in hydromelite, addita terebenthina; emplaſtrum divinum, divinum effectum, & officium præſtabit.

Potui domeſtico vino, aut aquæ addatur ſarſaparilla, aut china.

ANNOTATIONES.

1. *In uſu errhinorum magna cautione utendum eſt, ſive utendi tempus & particulare & univerſale conſideres, ſive materiam. De tempore quod duplex eſt, particulare ut ſingulis diebus, aut mane, aut veſperi: veſperi omnia ſunt cruda, mane cocta & parata excluſioni; ſic quod errhinum commode uſui eſſe poterit matutino tempore, veſperi inutile eſſe poterit a cœna; mane enim ſequax & obediens eſt materia, veſpere rebellis: ſero craſſa, per cruditatem, mane per coctionem, craſſa fit enim, lævis, & æqualis, ſic minore negotio extunditur; quo pertinet locus celeberr. Hippocratis* 3. de diæta, *nares citra cauſam apertam a cœna implentur, & repletæ eſſe videntur, emungunt autem nihil; ubi mane deambulare & exercere cœperint, emungunt ac ſpuunt; mucus & ſaliva repletionis ſunt κρίσις* (g), *vel index & ſignum: quieſcente corpore meatus ſpiritus illa obturant: ubi calefactum eſt corpus præ labore attenuantur & excernuntur.*

Pro diverſitate temporũ varia errhina uſurpantur.

De tempore particulari dictum eſt, de univerſali dicendum. Alia errhina æſtatis tempore, alia autumni, alia hiemis uſui eſſe debent: in materia fere peccatur, fere enim omnia ex herbis calidis & ſiccis parantur, ut hyſſopi, majoranæ, ſtœchados, anagallidis, cui poſtremæ vis ineſt maxime deterſoria, deſiccatoria, & ob calorem nonnullum attractoria. At magna hominum pars non mungit facile, ob ſiccitatem quamdam & caliditatem quæ ineſt in capite; id genus ſunt bilioſi, melancholici, atrabilarii, qui curis & ſollicitudine animum exercent, ab eorum enim naribus nil excernitur, niſi partes hæ fuerint præhumectatæ. Ideo Hippocrates 3. Acut. *dicebat balneo nares humeſcere; ſicque valent potius quæ ſuo blando calore & halitu humido partes iſtas tepefacient: de majoranæ pugillo in aqua multa macerato dici hoc poteſt, quod tuto uſurpatur a nonnullis; tutius betæ, & anagallidis ſuccus, hydromeli, ad detergendum & humectandum conferre poteſt.*

CONSILIUM LX.

Ad Ardorem, & reliquias antiquæ Gonorrhœæ.

1. *Emulſiones.*

COgitatur de iſto fluxu non omnino ſiſtendo, ſed moderando, in id præſcripta victus ratio conveniens.

Conſultus

(g) Criſis.

Consultus usus emulsionis ex decocto hordei, amygdalis, sempervivo vermiculari, seminibus frigidis, aqua plantaginis & rosarum, syrupo violato. Bolus ex cassia, rheo, cum terebenthina & diatragacantho frigido, pauca conserva nymphææ, sub finem, cum rheo solo: pro litu ad perinæum rosato Mesuæi addatur parum argenti vivi in succis salviæ & limonum exstincti: prosunt temperata, si calor adsit, injectiones ex refrigerantibus aquis, hordei decocto, lacte, vulnerariis herbis: tandem ad aluminosam aquam deveniendum. *Bolus.* *Litus.*

Usus conservæ rosarum, nenupharis cum cydoniato Aurelianensi & myrobalanis conditis.

Opiata laxativa ex conservis aptis, rheo, & senna: vel tabellæ roborantes ex santalis, conserva rosarum, karabe, & rheo: item pilulæ sub finem usui esse possunt, ex aloe lota, karabe, senna, rheo, pulvere juniperi, & hederæ, exceptis terebenthina aut syrupo de althæa. Alternis diebus exhibendæ sunt tabellæ diatragacanthi: syrupus additis herbis vulnerariis, halicacabi fructu, ciceribus; transcolata conserva rosacea valet pro potu, aut decoctum chinæ cum radice cichorii aut cum oxyacantha. Sed quia æger est salax & libidinosus, id quod fluxum ad partes imas provocat, danda quædam remedia quæ semen minuant & quæ ad sterilitatem faciunt; aqua rhabarbari in qua radix sanamundæ, pentaphylli incoquatur, hordeata conferunt. *Opiata.* *Pilulæ.* *Tabellæ.*

Item terebenthinæ parum lautæ dr. ij: mellis parum, pulveris diatragacanthi frigidi, dr. j: fiat bolus: meminimus ante injectionum. Iterum dicimus eas parandas ex hordeo, palea hordei, veronica, pilosella, bellide, semine cydoniorum, psyllii, consolida, medulla guajaci, agrimonia, pentaphyllo, plantagine, floribus hyperici, cum syrupo absinthii, rosarum siccarum, melle rosato, trochiscis albi Rhasis; sub finem malo rebellante, alia injectio conveniet ex aqua plantaginis, myrthi, solani vel decocto ejus, cum trochiscis Rhasis & pauca aqua aluminosa, vel tantillo hydrargyri dulcificati. *Bolus.* *Injectiones.*

ANNOTATIO.

1. *Videndum sedulo ne diuturnum cervicis vesicæ ulcus nobis imponat. Ex hoc enim, curata interdum gonorrhœa, perinde atque e prostatis post diuturnas gonorrhœas, purulenta quædam illuvies, aliis in totam vitam, aliis donec justa curatio adhibita sit, stillare & agri indusium commaculare consuevit, quæ gonorrhœam ementitur.*

CONSILIUM LXI.

De Satyriasi.

QUidam uxorem duxit; post aliquot annos laboravit satyriasi, eaque vehementi & molesta; longe ante gonorrhœa laborarat, a qua liberatus erat, & a matrimonio uxor ejus ne minimum incommodi senserat; viscera habet calida & æstum internum (is enim est temperamento melancholicus) sæpe conquerendo objicit: sentit acrimoniam & nitrosi humoris velut insultum & impetum. Opinio primi deliberantis, salvo nostro judicio, ut benigne præfatus est, fuit, ut enematis primum consuleretur, phlebotomia, blandis medicamentis, non neglecto respectu humoris melancholici, additis seminibus viticis & nymphææ. Probavit quoque balneum, lac caprillum, opiatam ex conservis refrigerantibus, & aliquantum corroborantibus, litum ad partes naturales & lumbos ex nenupharino oleo & rosato Mesuæi. Animo & corpori providendum putavit. Animo contra pathemata, quod ad illecebras & imaginarias voluptuarias cogitationes attinet: cogitatio voluptuaria cum illecebris semen auget alliciendo & sensim deorsum attrahendo, maxime quum picturas pulchras, aut mulieres cogitant, aut vident.

1. *Causa.*

Fotus.

Utatur jusculis æger cum extremitatibus vitulinis & gallinis, cum hordeo & passulis; ita moderatos esse oportet ut contemperatio adhibeatur, & stimulus Veneris omnino non tollatur: valet syrupus de pomis simplex & cum senna, syrupus nenupharis, julepum rosatum, syrupus violatus. Opiata laxativa cum senna, tamarindis, materialibus, syrupo de cichorio composito, cassia, manna, conservis temperantibus; tabellæ diatragacanthi frigidi ex intervallis. Opiata corroborans; Balneum universale & particulare; lac asininum, serum lactis clarificatum cum albuminibus ovorum, addito syrupo violato & julepo rosato, aut saccharo violato, aut buglossato. Injectiones in penem ob glandulas male affectas, aliquando ob ulcusculum in glandulis ipsis.

Opiata.

Alvus sit semper mollis, vel arte, vel natura: qui alvo sunt sicciore, sunt libidinosiores (quamquam hoc disputari potest) priapismo, satyriasi, & gonorrhœæ obnoxii magis. In pelvi lacte plena insideat, addita portulaca, trifolio, nymphæa.

Aeizoon & cichoracea sunt minus apta, quia generationi obesse dicunt. Sunt qui laudant trochiscos de camphora.

ANNOTATIO.

1. *Aliud est homo insulsus, aliud fatuus, ille caret sale, & non excitatur facile ad Venerem, fatuus non potest facile explicare Venerem & explere, senex vanum trahit laborem, licet excrementa sint salsa & nitrosa: unde gementes*

gementes dicuntur a Comico, id est tussientes & quasi gemebundi ob excrementum nitrosum, ideo dantur lenientia ad sputum movendum, non calida ut in asthmaticis a copia, unde laudatur pulegium quod vitia pulmonum facit excreabilia, ut loquitur Plinius.

CONSILIUM LXII.

De vertigine & symptomatis melancholicis & hystericis.

OMnibus diligenter expensis, judicamus oculorum suffusionem & tenebricosam vertiginem, a vaporibus melancholicis, tam ab hypochondriis quam ab utero elatis originem ducere: quamobrem distinctione opus est, & affectarum partium maxime habenda ratio; nam remedia, quæ utero suam dicarunt operam, calida tenuiumque partium, boni vel tetri odoris, hypochondriis nocent, vertiginem augent, capiti, jecori & præcordiis plurimum obsunt: sic judicio opus est, ut prima mali causa innotescat, & ea cognita, legitima præsidia adhiberi queant. Observatum est N. D. a teneris annis capitis doloribus fuisse obnoxiam, quæ causa esse potest cur hæc pars citissime afficiatur: & ad id non mediocriter conferet exquisitus nervorum & cerebri membranarum sensus; ideo non probamus remedia calida & odorata, seu interius assumta, seu exterius adhibita, sive in balneis (magnopere tamen profuturis,) seu in fotibus regioni ventriculi admovendis, juvandæ coctioni & flatibus discutiendis dicatis & accommodatis. *Causa.* *Offensis obnoxia infirmitas, ait Celsus.*

Delectus sit ciborum; humectantia maxime conferunt; a calidioribus & siccioribus alimentis abstinendum. *Victus.*

Moderanda omnis animi actio & contentio, cura & negotiorum graviorum tractatio seu πολυπραγμοσύνη.

Aperiatur ex intervallis vena brachii, aut temporis dextri, si dolor urgeat, aut crebrius vertigines adoriantur. *Phlebotomia.*

Utatur opiata & conserva solutiva a D. Quercetano præscripta, quam si respuat, ejus loco parabitur syrupus magistralis, non minoris virtutis & efficaciæ; si hystericis divexetur symptomatis, clysmatis utendum; vitandaque erunt, peculiari de causa, nisi urgente maxima necessitate, fœtida naribus admovenda. Somnus conciliabitur syrupo nymphææ cum tantillo diacodii, ut exquisitior partium sensus spiritusque quodammodo consopiantur; convenienti tempore balnea aquæ tepentis fumo & odore carentis ex usu erunt incoctis foliis violarum, nympheæ, buglossi, lapathi, borraginis, & vitis, æstate maxime; hora somni capiat conservam rosarum, buglossi, borraginis cum tantillo conservæ melissæ & consolidæ. Denique maxime providendum, ut cognoscatur fons & origo affectionis hujus, nam dolores acerbi de quibus conqueritur N. D. non omnino ab utero, sed ab hypochondriis & cerebro repetendi sunt, quod quadam consortii lege seu per sympathiam laborat & cujus maxime habenda ratio est.

CONSILIUM LXIII.

De morſu canis rabidi.

Cucurbitula cum ſcarificatu.

IN omni morſu cavendum, etiam ſi non rabiat; dente canis omnis virus gerit. Teneatur vulnus apertum per dies quamplurimos; parte morſa ſi non ſit nervus, aut tendo inſignis, ſcalpello eſt ſcarificanda pars, aut ſanguiſugæ admovendæ, & cauteria ſine magno dolore, applicanda cucurbitula, aut pullus per medium ſectus; cataplaſma valet ex allio, fermento, cepa, theriaca, & momento ſalis: ſtercus columbinum cum ruta viridi, panis e clibano extractus, aut toſtus, vino, aut aqua vitæ madefactus. Celſus admovet ceram cum reſina, ammoniaco, galbano; allium, mel, ſinapi cum nucibus; Oxalis ſumta, & admota cum allio & fermento prodeſt; ne lavetur ulcus aqua ſola, alioqui decreto omnium eſt incurabile; æger injiciendus in aquam, ut cogatur bibere; vino cum ſale, aut muria ablui poteſt ulcus. Theriaca ſumta, admota, & quia æger adierat aquas marinas, & rubor inſolens apparebat in facie, ſanguis detrahatur ex utraque baſilica; lotio faciei valet cum lacte aſinino & anagallide: bis in hebdomada blande purgetur decocto ſennæ, ex bipinella, ſcordio, eufraſia & bugloſſo.

Cataplaſma.

Venæ ſectio.

Jus bipinellæ & acetoſæ cum vino albo pauco alexiterium eſt; pugillus madeat in vino; opiatæ uſus; conſerva cum pulvere cancrorum fluvialium, aut eorum pulvis cum vino albo per multos dies ore ſumtus.

Sudorificum blandum uſui eſſe poteſt cum aqua ſcabioſæ, bipinellæ, ulmariæ & theriacali, impoſitis lagenis aqua plenis; præmiſſis remediis ſequentibus, de balneo controverſia eſſe debet.

Purgatio.

℞. Meliſſæ, oxalidis, bipinellæ, ſcabioſæ, ſcordii, ana, pug. j: ſeminis ocymi & cardui, ana, dr. ß: foliorum ſennæ, unc. ß: caryophyllorum, dr. j: fiat decoctio in qua infunde rhei electi, ſcr. iv: cinnamomi, ſcr. j: in colatura diſſolve ſyrupi roſarum pallidarum, unc. j: confectionis hamech, ſcr. iv: fiat potus.

Opiata.

℞. Conſervarum bugloſſi, borraginis, anthos, ana, unc. j: conſervæ meliſſæ, corticis citrii conditi, ſalviæ, ana, unc. ß: pulveris cancrorum fluvialium, dr. jß: theriacæ, dr. ij: fiat opiata cum ſyrupo de pomis: utatur mane & veſperi.

Syrupus.

℞. Radicis oxylapathi, unc. j: radicum & foliorum acetoſæ, man. j: bipinellæ, rutæ, meliſſæ, ſcordii, plantaginis, veronicæ & betonicæ, ana, man. ß: radicis ſanamundæ, dr. vj: ſeminis ocymi & cardui, ana, dr. jß: fiat decoctio in aqua: bulliant foliorum orientalium, unc. iv: feſtucarum hellebori nigri, unc. ß: diſſolve in colatura tabellas tres electuarii de ſucco roſarum, ſyrupi roſarum pallidarum, unc. iv: fiat ſyrupus: capiat bis hebdomade cum aquæ ſcordii & bipinellæ, unc. ß aut dr. vj pro qualibet doſi.

CONSI-

CONSILIUM LXIV.

De affectione hypochondriaca pro Angenosii uxore.

NOn est artificis rationem semper reddere cur id vel illud ægro præscripseris; quum & artis, & usus fiducia pronuntiet, edicat ut artifex, hoc vel illud faciendum, denique αὐτὸς ἔφα (*h*), ne si rationem reddat hæsitanti ægro & omnia secura metuenti majorem hæsitandi occasionem prætexat ac insinuet. Medicorum, & aliorum in arte magistrorum 1.
decreta, tamquam senatusconsulta esse debent, quorum ratio, ut omnia arcano pectore conclusa, non nisi loco & tempore, ab eo tamquam ab oraculo elicienda est; tamen apud magistros artis succincte & præcise, non ad pompam & fastum, dictorum factorumque rationem reddere Medicus consortione officii, ut frater non erubescit, nec eum quantum id fiat pœnitet, modo ad ægrotantis salutem id referatur. Certis argumentis colligimus in nobili muliere, cui nos remedia præscripsimus aliquid esse hypochondriacum, quod nomen habet aliquid latentis energiæ quæ opinione major est, & plura se effectu promunt & efferunt quam nomen & affectionis ratio promittat. In intemperie calida sicca primarum venarum, unde alimenti non fit elixatio halituosa, sed assatio fuliginosa λιγνυώδης, 2.
& in phlogosi dioclæa consistere videtur, quasi vero tot symptomaton quæ hypochondriacos querulos, & ærumnosos reddunt, fibræ soboles, propagines, ab ista tantula intemperie, tamquam ab antiqua matrice & radice, pullulent & oriantur. Adeo obscuræ ejus affectionis reconditior est cognitio, manifesti tamen effectus licet origine ignoti, quia dispositio hypochondriaca, & fautrix & alumna, hæc tamen non facile agnoscitur; in hypochondriacis sanguis est acriusculus, nitrosior, alendo ineptus, quem & carnes repudiant, & nervis molestus est, unde punctiones, stupores quasi paralyseos minaces, mille querelæ, mille tædia, dolores animi, & corporis, mille cruciamenta, fixi, vagi dolores, quasi maligno spiritu errabundo, & ab incerto fomite nascente, per omnia penetrabundo tamquam lupus est qui patrem non vidit, hic dolendi & querendi non est intermissio: tabescunt & in dies macrescunt: tantisper dum ἐυεξίαν (*i*) habent atque ἐυσαρκίαν (*k*) ab iis tædiis immunes sunt, maxime dum calor in humido radicali nutritur, & fovetur, dum halituosus est; sed dum ἐκλαμψιν (*l*) is faciat, & acriusculus fit, non amplius irriguo humore radicali fotus, tepefactus ac mansuefactus, tunc hypochondriacus affectus, ut latens anguis sese prodit & sensim nitor faciei deperit & ἐυεξία tollitur, dilabitur corpus, ac extenuatur, nec prius, hypochondriaci meliusculi sunt,

 quam

(*h*) Ipse dixit.
(*i*) Bonum habitum.
(*k*) Bonam carnem.
(*l*) Elucescentiam.

quam quum pinguescunt, licet primus nitor atque ἐυσαρκία sit irrevocabilis, unde Aristoteles & Physici melancholicos dicunt medicinam appetere, quia eorum corpus pungitur ac dolet, & infelicibus plantis ea conferunt, ut prius dictum, ac mirati sumus in ægra nostra factam mutationem ipsius habitus καὶ ἕξεως corporis. Ante paucos annos corpus habuit ἐυσαρκον (m) quasi ἐυεξίαν (n) habens, cum coloris suavitate, ut videretur quasi præ mole corporis ἄναρθρος (o), nunc macra ac dilapsa apparet, & ab eo tempore morbi & dolores apparent, ac soboleſcunt: ἐυεξία (p) bona ut signum & ut causa: habet ἐυσαρκία (q) multa commoda, aut pauca, aut nulla, nisi forte movet illud Hippocratis, conducit ad sapientiam, ut minime carnosi sint homines, nam ad carnis ἐυεξίαν ardoris inflammatio consequitur, quum autem quid tale accidit aqua superata homo ad insaniam adigitur; attamen dictum jam ante carnis bonam ἐυεξίαν in iis quibus æstuant viscera, & qui in album hypochondriacorum referuntur, procurandam esse, nam in his post maciem ἐυεξία est quasi sanitatis terminus & ad bene de ægro sperandum signum, immo ad morum suavitatem valet; id declaravit Cæsar qui minus metuebat a Dolabella & Antonio, utroque elegante succulento & florido, quam a Cassio & Bruto macilentis, subtristibus & strigosioribus. Itaque id dare operam oportet in ægra nostra ut elisis, si fieri possit, fibris affectionis hypochondriacæ quæ falso credita paralyseos rudimenta, dolores, inflammationes & mille tædia alia suscitat, ut primæ ἐυεξίη (r) restituatur. Id fiet idonea victus lege, purgatiunculis sæpius repetitis, phlebotomia parca manu celebrata, clysmatis refrigerantibus, hordeatis, emulsionibus addito semine papaveris albi; balneis; lacte asinæ.

In historia de Bimontio.

1. de diæta ad finem.

3.

Macri magis formidandi quam floridi & succulenti.

ANNOTATIONES.

1. *Sic apud Comicum* in Andr. *obstetrix dicit, date bibere quod jussi, date quod imperavi, sic auctoritatem Medicorum imitata.*

2. *Unum maxime notandum de melancholicis quod maxime habenda sit ratio adustionis, & caloris adurentis, propterea non simpliciter calor considerandus; id testatur natura, conditioque tumorum ab eo humore natorum, nam plumbum & cerusa maximum auxilium adferunt. Quid ita? quoniam est virus quoddam junctum cum adustione, quod solatro, plumbagine, cerusa, plantagine, emendabile est, ceteris impendio magis irritatur & efferatur.*

3. *Melancholici pinguefaciendi sunt, alioqui eorum humores ferociunt magis; dulcedo enim alimenti temperat & suaviores mitioresque reddit humores; contra quia melancholici perpetuo conqueruntur molestumque rei cujuspiam sensum habent, putant extenuatione, purgatione, sibi opis non nihil posse adferri; at contra fit; nec enim tam quantitas humorum molesta esse solet, immo bene habent*

(m) Bene carnosum.
(n) Bonum habitum.
(o) Inarticulatus.
(p) Bonus habitus.
(q) Bona caro.
(r) Bono habitui.

bent illi quum εὐεξίαν compararunt, dummodo εὐσαρκία non impediat difflatum fuliginum, quæ etiamnum in talibus visceribus generantur: nil itaque tam noxium est quam fames, abstinentia, extenuatio, & si in aliis extenuatio iram provocet multo magis in melancholicis; consilium est Hippocratis dum loquitur de iis quibus aspera arteria exulcerata est ob acres fluxiones, & tussis jugis est permolesta, studium curaque esse debet, ut ii reficiantur & quam crassissimi fiant; denique necessum est ut idem hic contingat quod arboribus quæ æstatis initio ad ferendos futuros æstus umbram sibi ex foliis & pampinis comparare solent, nam talia corpora similia sunt arboribus quæ in regione arida & siticulosa nascuntur, ait Themistius.

Bonus habitus confert melanch. dummodo difflatum non impediat. Hipp. lib. de diæt.

CONSILIUM LXV.

De cholera morbo pro D. Angetio.

MAgni refert, ut qui reipublicæ utiles sunt & bene præstiti muneris, officiique fiducia sunt commendabiles, firma sanitate fruantur, salus enim reipublicæ cum eorum salute conjungitur, & ex valetudinis detrimento, respublica nonnihil capit detrimenti. Sic olim inter vota quæ pro principe nuncupabantur, id primum, ut vita prolixa foret; eodem & jure pro magistratu idem fieri debet; quæ causa fuit ut unum de D. Trancautio adscribere officii nostri ratio monuerit, quod ad ejus salutem apprime pertineat. Cholera morbus sæpe nobis & videntibus & Medicis eum sæpe prehendit; morbus ita acutus & præceps ut fere & vitæ filum præciderit & ita præceps ut tenui, extremaque spe salus ejus penderet, facies illa Hippocratica cum oculo cavo characteris & coloris mutatione apparebat. Apud Hippocratem, choleram, morbum acutissimum, ἀπὸ τῶν χολάδων (*s*) dictam, quod χολάδες intestina vocentur παρὰ τὸ χολῶδες τοῦ ἥπατος δέχεσθαι (*t*), duplicem reperio, unam humidam, siccam alteram; in humida est perturbatio ventris immodica bilem per vomitum & dejectionem excernentis: morbus hic facile hominem consumit, ob defectus animi frequentes, bilis & crudorum humorum excretiones, quas excipit ἐφίδρωσις (*u*), pulsus vermiculans, surarum contractio, & tensio; frequens morbus iis quibus aut alimentum in lactibus corrumpitur, aut non distribuitur, & effectu salutaris est, quia si æger superfit, sanior degit. Sicca cholera dolorifica est, quia fit a maligno flatu distendente & divellente; iis familiaris est qui aut fungis vescuntur, aut valde crudis alimentis, mixto vino generoso, pipere, sale, allio; nulla pæne fit excretio, quod flatus obicis instar impedit, sed venter differtur dolore ac quasi disrumpitur. Humida est cholera quæ dominum afflixit, & nisi repurgetur

Cholera duplex, humida, & sicca.

Celsus sic loquitur.

(*s*) Ab intestinis.

(*t*) A recipiendo quod est biliosum hepatis.

(*u*) Sudatiuncula.

Eadem sunt præcavendorum & curandorum morb. præsidia.

Facile quis securus est in iis quæ sine periculo evasit ille sollicitari debet cui hæc nova sunt. Cels.

tur antequam morbus sit redux, aut vena illi secetur si quid urgeat, verendum, ne oscitans, imprudens, & nimium sui securus opprimatur, & quoniam omnis mali prævisio est inutilis ni ad eum cautio adhibeatur, ideo Medicus familiaris & sæpe in aurem personet quid & quantum periculi re neglecta ingruat; Summaque rerum in eo est, ut bona victus lege utatur, ut blando medicamento tertio quoque mense utatur; hæc præcautio morbum imminentem arcebit, quum facilius excludatur morbus, quam jam introductus expellatur, & quamquam de eo morbo aliquis securus esse potest quo sæpe deprehensus ab eo liberatus est, tamen ea falso credita securitate, & a periculo liberatione, non est viri boni salus sæpius periclitanda, hic enim canon prudentiæ apud Comicum: *Quod cavere possis, stultum est admittere.*

CONSILIUM LXVI.

De febribus diariis hecticæ prodromis & rene purulento.

D. Robinelli vidua laborat intemperie calida sicca quæ febris hecticæ minax est, & quum non videatur febricitare, habet quasdam diarias, quæ febres hecticas, aut veras, aut nothas prægrediuntur, ut alias ex Arculano annotavimus; vetus quoque est querela renis purulenti, immo nescio quod tabum, aut semen maleficum circum partes uteri stabulatur, quod conspirat in ejus perniciem, fovet, & alit alia mala sic, ut continuatio, & series quædam sit malorum, hinc illæ lacrymæ, hinc illa misericordia, & Medicorum aures perpetuo obtunduntur, ac verberantur, hinc reperimus verum illud Hippocratis: summum est bonum sanitas, divitiarum, aut bonorum corporis nulla est utilitas citra sanitatem: nec mirum si artis præsidia eludantur; nam naturam obscuram, (id est intemperies & quæ ab ipso sunt fata) mutare difficillimum; non transformantur, corriguntur quidem. Et mirum quum veteres calidæ intemperies, ætatis flexu & fluxu curentur, aut minuantur per Hippocratem, cur hæc mulier veritatem illius oraculi Hippocratici non persentiscat, maxime vero quum in victus ratione non peccet; præter intemperiem etiam malam partium diathesim, atque διαφθορὰν (x) accusare licet, tot symptomatum causam. Corrigendæ ergo intemperiei conveniet usus syrupi ex succo plantaginis utriusque, acetosæ, lamii, addito nenuphare & julepo rosato, ut molestias caloris adurentis & hæmorrhoidum devitet. Pomatio utatur, opiata laxativa, qualis post describetur: clysteribus ex sero lactis addito butyro plumbeato, qualitas enim plumbi hic apprime confert; vel injicientur hordeata, vel aquæ refrigerantes cum mucaginibus; utetur emulsionibus, item pasta (in formam massæ panis) in quam ingredietur semen papaveris: in calore isto & phlogosi conferunt glutinosa, & lenta, quia eum

Lib. 3. de diæta.

1.

In Epid. morbi connuriti in senecta relinquunt. Gal in comm. interpretatur de calidis.

2.

(x) Corruptionem.

eum suo lentore domant & temperant, ut de glycyrrhisa alias annotavimus. Immo est deliberatum num litus ad lumbos ex hydrargyro pauco conferret.

Cassia valebit, quamquam in ardore renum Rondeletius (nescio quo motus consilio) cassia interdicit, quia ait, calefacit propter nonnullam quam in se habet caliditatem. *3. lib. meth.*

Sed & ob ulcus vetus renum quidam consuluere usum decocti sudorifici. Ita Rondeletius: *post evacuationes utile erit promovere sudores, vel ingressu laconici, vel guajacino cremore qui movet sudores, ulcera terget, copiam urinæ minuit, sic in omni ulcere renum, & vesicæ juvat*, & hæc quæstio est de apicibus artis. *Ibidem in meth.*

Injecti clysmi ex mollientibus, plantagine, foliis papaveris, seminibus frigidis, & semine papaveris, semine psyllii, cydoniorum coctis in sero lactis. Addita est aliquando clysteri dr. ß. pilulæ de cynoglosso.

Facta est opiata solvens ex unc. ij. foliorum sennæ coctis cum althæa, fumaria, plantagine, bipinella, cicerbita, rostro porcino, passulis: dissolutæ sunt unc. ij cassiæ: additæ dr. vj tamarindorum; mucaginis seminis psyllii extractæ in aqua parietariæ dr. vj: usa est ad unc. j. præscriptus syrupus de papavere rubro; data quotidie mane de hac opiata sequente ℞. *Conservæ rosarum, nenupharis, ana, dr. iij: rasuræ eboris, cornu cervi, electuarii triasantalon, ana, scr. ij: limaturæ chalibis præparatæ, dr. iij. cum syrupo de cichorio simplici fiet opiata ad usum.*

ANNOTATIONES.

1. *Optimum bene valere; secundum formosum esse: tertium habere divitias nulla fraude quæsitas, ait Plato* in Gorgia.

2. *In doctrina Hippocratis sunt morbi congeniti seu connutriti, Plinio parentales dicti, qui ut hereditates ad posteros veniunt atque in mancipatum, suntque æternæ possessionis, sic in eos morbos non est longioris temporis exceptio.* *Hipp. συγγενεῖς (y) vocat in Epid. καὶ συντρόφους (z).*

CONSILIUM LXVII.

De Rheumatismo.

UXor D. Piiartii Aurifabri videtur laborare ea affectione quam ῥευματισμὸν (a) vocamus, de quo libellum dedita opera exaravimus, cujus vis in eo consistit, ut & effluat in habitum humor, aut impulsus a partibus *Ballonius citat libellum suum de rheumatismo an. 1643. editum.*

(y) Congenitos.
(z) Et connutritos.
(a) Rheumatismum.

tibus internis robuſtis, aut rigato toto muſculoſo genere per διάχυσιν (*b*) quamdam humorum in habitu contentorum: immo vero id fit forte & per impulſionem, & per attractionem: Item vis conſiſtit in eo ut a parte in partem ſubinde fiant tranſlationes, unde tandem inſignis circum articulos abſceſſus excitatur; in plenitudine & cacochymia id maxime excitatur, ut Hollerius annotavit, vulgus ad caput id refert & ſoli capiti ſtudet, ratus fluxionem eſſe a capite: Galenus ad robur partium principum ſe ſe liberantium pravo humore diſpendio imbecilli corporis habitus, in quem relegant deponuntque ſuas ſordes. Duo ſunt loci commemorabiles, qui non longe ſunt diſſimiles huc adducendi, ut ex iis demonſtratio aliqua deſumi queat, prior eſt *in aphoriſmis*, quum loquitur de fluxu immodico ſanguinis: *Fieri poteſt*, ait, *ſi ora vaſorum ad uterum pertinentium plus æquo aperiantur, & ſi ſanguis, vel tenuior, vel calidior fiat, & totum corpus ob aliquem malum habitum gravetur ſanguine, licet ſuam ſymmetriam copia non excedat, expellit ideo ad venas uteri, ut accidit* ἐν ταῖς ῥευματικαῖς διαθέσεσι (*c*) *in quibus alias in aliam partem fluxus fit, fieri poteſt* (*inquam*) *ut immodica menſium ſit evacuatio.*

l. de mater. chirurg. cap. de repell. 8. cap. de ſang. miſſione.

Alius locus eſt Galeni *de venæ ſect. Partes imbecillæ*, ait, *excrementitiis morbis capiuntur: hac ratione* τὰς ῥευματικὰς διαθέσεις (*d*) *fieri ſcito, univerſo corpore imbecillo exſiſtente, quæ una eſt aliqua* κακεξίας, *id eſt, mali habitus ſpecies, principibus illius partibus, licet in iis paucus ſit ſanguis, gravari ſolitis, eumque ad carnoſas juxta cutem partes protrudentibus, & magis ad glandulas*, &c. Et paullo poſt, *Quibus pulmo, lien &c. cerebrum, carnoſo genere natura ſunt robuſtiora, in iis ad glandulas & carnes fluxiones perveniunt, quum præſertim, univerſus corporis habitus imbecillus fuerit, ut* ἐν ῥευματικαῖς διαθέσεσι: quo in caſu Galenus roborat partes, evacuato prius ſanguine, licet imbecillitas ſit carnium, & mirum quod immodicus non eſt ſanguis, ſuam enim ſymmetriam quantitate retinet, quare ergo gravantur partes? ſi modicus eſt ſanguis, immo ſi parcior unde tanta νωθρότης (*e*); Ajunt id fieri ob imbecillitatem partium, nam imbecillo homini exiguum etiam pondus oneri eſt, & quum partes robuſtæ ſeſe exonerant in genus muſculoſum & glandulas, fit quædam plenitudo ad vires. Ego vero non tam ad quantitatem ſanguinis id revoco, quam ad vitium quoddam ejus; imbecillitas partium & habitus non eſt ſine morbo, cachexia ipſa & ſumma decoloratio habet & deſignat aliquid κακοήθες (*f*). Non in aliqua evacuatione ſanguinis & corporis externi, habituſque roboratione ſalus ægrotantium conſiſtit ut placet Galeno; alia quædam ratio inquirenda eſt; unde videmus & cachecticas & decolores virgines non juvari, aut ſanguinis detractione, aut purgatione (licet utrumque queat uſurpari, ſed curatio non inde pendet): balneæ naturales, & crocus martis, miraculo curant; ubi eſt latens aliquid quod non niſi medicamento virium latentium

8. *cap.*

(*b*) Diffuſionem.
(*c*) In diſpoſitionibus rheumaticis.
(*d*) Rheumaticas diſpoſitiones.
(*e*) Tarditas, ſegnities.
(*f*) Malignum.

latentium exigatur & depellatur; fidem quoque facit quod cachexia ipsa in leucophlegmatiam, aut elephantem degenerat ac terminatur. Vide plura alio loco. In morbo hujus mulieris & in omnibus similibus, ex dicto Hippocratis omnes cavitates & inania musculorum ichore replentur: venæ sectio in hoc affectu remedium est ἡγεμονικὸν (g); sub finem blanda catharsis; & quoniam genu valde laborat & tumet, placet emplastrum ex sigillo beatæ Mariæ crudo: emplastrum de baccis lauri cum pulvere ireos; ichore replentur carnes, & muco maligno nervi & ligamenta, qui mucus quum laudabilis est, apte, & sine dolore moventur partes: sin minus contra, & quo magis ægri extenuantur, partes replentur tetro ichore, & muco: & ex Galeno iste mucus nec affusione nec cataplasmate, nec medicamento attrahitur aut discutitur, sed coctione, & mitigatione eget, potius, cataplasma valet ex farinis in vino coctis addendo sapam, fæcem vini, sigillum crudum B. Mariæ; experiundæ sunt stuphæ siccæ sub finem, aquæ Plumbares primas forte tenebunt.

Consil. 30.

Comm. in lib. 3. de Articulis. Præclara qui pro emplast. ex gummis liquefaciẽtib.

ANNOTATIO.

1. *Morbus hujus mulieris ad febrem laboriosam accedit, in qua circum maxillas, & articulos abscessus fiunt ex Hippocrate & forte in habitu corporis, & genere musculoso est materia morbifica, ut Galenus ait, materiam causi in universo corporis habitu esse. Et Galenus* comm. in aphoris. 31. lib. 4. *communem locum qui patitur in lassitudine, & labore spontaneo, & non spontaneo, genus universum musculosum esse putat.*

CONSILIUM LXVIII.

Pro D. Mombeliart dysuriam & stranguriam patiente.

AB equitatione mictus cruentus, excreti lapides, dolor in rene. Dolor ad splenis regionem, qui autem non est splenis, sed per viciniam renis laborantis & tumefacti fit. Urinæ alias crassæ, mucosæ, purulentæ, suspicio ulceris. Cathetere probatus, non deprehensus lapis, licet ejus magna sit suspicio, & non percipitur, nisi a valde perito, aut certis de causis eludit, aut fallit catheterem: ideo ad probationem deveniendum putamus. 1.

Nobis argumenta sunt affecti renis, affectæ vesicæ, aut quia in ea calculus est, aut exulceratio internæ membranæ a pure, ichore, aut tabo a renibus manante; plerique enim habiti sunt lapidosi in vesica, unde stranguria, quibus a rene malum erat; item ulceris rudimenta in collo vesicæ, aut

Vide ante cons. 26.

(g) Principale.

aut partibus vicinis ſuſpicamur; at intereſt ſcire, an ulcus ſit in urethra, an lapis, alioqui futilis futura eſt diſputatio.

Quæſtio præclara eſt; an pus ſit, aut quid purulentum, an neceſſe ſit ulcus eſſe, nam in venis ſanguis pus fit apud veteres, ait Donatus, explicans illud Terentianum. *Expuere omnem moleſtiam ex animo*; pus, ait, ſignificare omnem humorem corpori oneroſum. Victus ratio conveniens præſcripta.

In Eunucho.

Clyſteres etiam additis herbis vulnerariis ſunt inſtar fomenti; in eo ægro cui alvus pigrior eſt, caſſia in bolo, & diſſoluta, immo clarificata.

Si ulcus, ſtudendum ulceri, immo dilutius decoctum Guajaci valet; ſi ulcus ſit in eam formam accipiatur unc. ß. maceretur in decocto paſſularum, graminis, & acetoſæ; fiat inſtar ptiſanæ ad uſum in paſtu.

Abſtinendum a validis diureticis; hordeata valent, emulſiones, lac aſinæ, aut capræ, bis die.

Syrupus nenupharis ad ſomnum ciendum, & leniendas moleſtias, dolorem; balnea, injectiones convenientes in veſicam, ad dilatandum: nam ob frequentem enixum in micturiendo ſtringitur os veſicæ, emejitur id quod tenuius eſt, remanet fæx, hinc illæ lacrymæ.

Decoctum foliculorum & caſſiæ valet, litus blandi, uſus hydromelitis recentis & aquoſi, uſus aquæ albæ, miſſio ſanguinis, ex brachio & ſaphena. Aquæ Spadenſes ob ulcus; ſi ſit in veſica lapis, advocandus lithotomus.

ANNOTATIONES.

1. *In urinis quorumdam mucoſum quid, tenax & glutinoſum apparet quod matulæ ſuo lentore ac tenacitate adhæreſcit ita pertinaciter & obſtinate, ut inde avelli nequeat; deinde poſtquam fundus matulæ propendet, & dorſum verſus inclinatur, ea materies cogitur in ſe, & conglobatur & affatim acervatimque velut provolvitur. De cauſa ejus materiæ ſic præter naturam genitæ plerique digladiantur: alii ad renes referunt, alii ad cacochymiam corporis & fluorem muliebrem; alii ad colliquationem quamdam corporis, vulgus ad catarrhum; alii ad pravam quamdam diſpoſitionem partium omnium urinariarum, alii ad ulcus ſordidius ipſius veſicæ, alii ad morbum veſicæ, alii ad hyperſarcoſin urethræ, ut effluat id quod tenuius eſt, remaneat quod craſſius præ anguſtia aquæductus; alii ad calculum in veſica contentum: immo quum calculus in veſica & frequens micturiendi deſiderium, æger ſe comprimit ob dolorem, & ita emittit id quod tenuius eſt, quia compreſſio eſt; in conando remanet craſſius id quod in dies lenteſcit; & obſervarunt primarii & lithotomi lapide in veſica contento diutius, non initio, quum dolores excitat, & ipſa veſica ægrotat, & fœtet, mucum illum naturæ moleſtum excerni, tales urinas reddi, donec excluſus ſit: laborat enim & ægrotat veſica, & quia pars eſt membranoſa & habet aliquid νευρῶδες (h), tale in ea congeritur*

(h) Nervoſum.

geritur excrementum, tum a proprio ipsius excremento, tum ab externo: ubi vero excluso lapide vesica melius habet, tum nil tale generatur, quorum demonstratio peti potest ex Galeno comm. ad part. 66. lib. 3. art. *quum distinguit excrementa partium carnosarum ab excrementis partium spermaticarum, maxime vero membranosarum; sunt enim* μυξώδεα (*i*), *tenacia, lenta glutinis instar, & quum id quod in mucosa urina apparet, non sit dissimile ei excremento quod decedit e partibus spermaticis: urinæ istius mucaginosæ causa necessario adscribetur morbo ipsius vesicæ, ægrotat autem quoties in ea lapis exsistit. Simile quid a Fernelio observatum* cap. 16. de urinis *& Galenus* ad aph. 3. lib. 5. *non videtur definire excrementum superfluum, simile quidem naturæ partis ut humor exsistit, in osse medulla, in hepate sanguis, spumeus humor in carne pulmonum, in articulorum compagibus humor glutinosus & in cadaveribus eorum qui calculo interierunt vesica inventa est plena muco isto simili mucilagini extractæ ex seminibus carnosis & succulentis.*

2. *De injectionibus in vesicam videndum an sit ulcus simplex, an cum calculo, indicatio enim alia adest; Rondeletius ad detersionem puris in vesica injicit guajaci decoctum, item parat alia non pœnitendæ lectionis; si aquæ refrigerantes, aut similia ejiciuntur, ista refrigeratio confert ad coagmentationem lapidis, & ipsius vesicæ naturam spermaticam lædere potest: purgato corpore, bolis potius quam potionibus utendum, remedia topica usurpari possunt quæ leniter ardorem reprimant, pus abstergant, & ulcus glutinent, in eum modum.*

℞. *Trochiscorum Gordonii sine opio unc. ij. dissolve unum in lacte caprino, aut hordei decocto, si ulcus quis purificare malit quam glutinare, & per catheterem in vesicam per aliquot dies injiciatur; purificato ulcere dissolvatur unus trochiscus, in lacte ovillo, nam glutinat; si pus crassum admodum dissolvatur, trochiscus unus in aqua mulsa, hæc magis conducunt quam sumta, quod ab ore ad vesicam longa sit via, dolor autem quem mejendo patitur æger mitigatur fotu pectinis ex malva, radice althææ, nympheæ, floribus chamæmeli, meliloti, semine nympheæ, calamo aromatico.*

CONSILIUM LXIX.

Pro D. des Brosses tussiculoso phthisico.

DEstillatio erat ferina in pulmones: vetus tabi & seri putris collectio in pulmone; ut in epilepticarum ovium cerebro saniosus est humor auctor mali, auctoritate Hippocratis jam ulcuscula & vomiculæ in pulmone. *Lib. de sacr. morbo.*

Quæstio fuit an utendum siccantibus, detergentibus & adversus pulmonum & mollitudinem & putredinem eorumdem, an humectantibus: illa putre- *Quibus pulmones sunt calidiores iis*

(*i*) Mucosa.

quædam tabes est familiaris nomine tabis largius sumto. Vide lib. 2. cons. Ball.

putredinem arcent, robur pulmoni conciliant; hæc putredinem pariunt; revera temperanda hæc sunt, ne humectatione nimia sputum effeminetur, ut loquitur Hippocrates, & putredo augeatur, neve siccatione os siccius reddatur & sputum non educatur; veteres in simili casu utebantur hedrychroo, id est compositione quadam ad pulmones corroborandos; & nunc sunt qui concinnant tabellas cum flore sulphuris ad siccandum, eo modo quo olim hedrychroon laudabatur.

Capita inter hæc constitimus, linctus cassiæ, aut cassia soluta, gargarismi refrigerantes & adstringentes, in ferina destillatione in materia calida catarrhi: in frigida, aqua tepida ore contenta.

Lib. morb. Galenus lib. de locis aff.

Aëtius in ferina destillatione utitur oxyrrhodino & capitis lotione ex incrassantibus & refrigerantibus, id quod notabile.

Si febris putrida conjuncta est ex urinis patebit, corpus purgetur. Emplastrum ex thure & mastiche cum emplastro de betonica ad suturam coronariam in formam T.

Pulvis cum pulvere chinæ, pulmonis vulpis, penidiarum, electuarii diatragacanthi frigidi, conserva rosarum: vel tabellæ instituentur additis floribus sulphuris, ut quidam volunt hoc modo.

℞. *Pulvis diatragacanthi frigidi, & diarrhodon. abbatis, ana, dr.* j: *florum sulphuris, unc.* ß: *sacchari optimi unc.* ij: *gummi tragacantha dissoluti in aqua rosarum aut cinnamomi, scr.* j: *confundantur in mortario marmoreo: dein cum tantillo olei anisi formetur massa tabellarum dosis, a dr.* ß *ad scr. ij.*

Syrupus de symphyto descriptore Fernelio valet, vel similis a D. Magno celebritate medendi maximo institutus *in Hist. Godonii lib.2. Consiliorum nostrorum: Cons.* 52.

Formulæ masticatoriæ, additis iis quæ pulmonem siccant, vi sua ryptica & a corruptione impediunt.

Hipp. 3. de ar.

Quæstio præclara, an balneum conferat? conferre potest multis rationibus, quas prudens Medicus fabricaretur; an non & blandorum sudorificorum usus etiam commodus, ut serum putre absorbeatur; nam quo corpora strigosiora & macilentiora eo magis sanie & ichore quæ supersunt carnes scatent.

Quoniam putres etiam humores in ventriculo, & mesenterio succrescunt, & diarrhœæ funestæ tabescentibus contingunt, infusum rhei ex usu est aliquando: item pilulæ ex aloe lauta, pulvere diatragacanthi frigidi, rosarum; rhabarbaro, santalis.

Vel tabellæ ex pulvere diatragacanthi frigidi & triasantalino, ex rheo.

Primula veris siccat & adstringit.

Conservæ symphyti, nicotianæ, rosarum, violarum, herbæ paralyseos, & pulveribus thoracicis conferet.

Caro cydoniorum, & conserva nympheæ addi potest cum pauco pulvere chinæ, aut radicis sassafras: litus ex oleis refrigerantibus lautis in aqua hordei & rosarum.

Plura in lib. 1. consil Ball. ad tabidos & hæmoptoicos initio.

Sectio venæ frequens, sed pauca evacuatio sanguinis.

Suffumigium ex herbis vulnerariis & nicotiana, symphyto utroque, pulvere guajaci, ad siccandos pulmones; valet item hic syrupus qui proxime viribus æquat syrupum de symphyto.

℞. *Florum*

℞. *Florum & germinum salicis, ana, man.* ß: *radicis althææ utriusque, plantaginis, becchii, marrubii albi, sonchi seu rostri porcini, caulium rubrorum, ana, pug.* j: *jujubas sebesten, num.* 20. *seminis bombacis, unc.* ß: *florum nympheæ, pug.* ij: *fiet decoctio in aqua hordei, & aqua macerationis rosarum provincialium: in colatura ad lib.* j. *dissolve succi bipinellæ, pilosellæ & pomorum, ana, unc.* iij: *sacchari, quod sufficiat; fiat syrupus ad usum ex cochleari.*

Notandum quod in tabescentibus a pulmone (idem etiam de reliquis) consumta valent (modo non sit febris putrida juncta) iis de causis quas alibi attulimus, supplent enim vicem testudinum nemoralium. 1.

Valet & hordeum mundatum, in jusculo carnium crepante & cocto. *L. 1. cons. Ball. initio.*

Aqua alba confert. Manna cum jusculo galli decrepiti.

Pineolatum in rupe, syrupus ex passulis; sed & ad pulmones valet syrupus de symphyto quem concinavit Fernelius: item pasta seu electuarium regium quod optimum est, & paratum legetur *lib.* 4. *meth. medendi*; item mandere rheum cum passulis utile erit.

Ceterum quidam somnifera tabescentibus, maxime si tussiculosi sint, præscribunt, quod magna cum cautione faciendum. Galenus enim notat semen papaveris supprimere ea quæ a thorace, & pulmone educuntur, valere autem in tenui & acri fluxione. *1. de alim. fac. cap. de semin. papaver.*

ANNOTATIO.

1. *Ad tabidos & pulmonicos dari debent ea quæ calorem tabificum temperant, & lentum succum habent, ut resistant calori depascenti qui consumit corpus, carnes enim (ait Hippocrates) magis liquescunt a malis quam nutriantur ab assumtis; unde notandum unum apud Plinium quum loquitur de succis arborum*, vivaciores sunt, *ait*, plantæ quibus succus lentior est. *Idem judicium de corporibus, & ille humor radicalis lentus, halituosus, glutinosus: in eo affectu syrupus sequens maxime commendatur.*

℞. Caponem unum succulentum, armum vitulinum, aut partem pectoris vitulini, coque in aqua fontana & parte aquæ scabiosæ, & in eadem incoque carnem duarum testudinum nemoralium detractis extremitatibus, adde hordei mundati, man. ij: florum tussilaginis, nympheæ, violarum, ana, man. j: seminum frigidorum majorum & minorum, ana, unc. ß: seminis papaveris albi, unc. ß: scariolæ, acetosæ, lactucæ, ana, man. j: gummi tragacanthæ & arabici, ana, dr. iij: passularum, unc. ij: seminis sesami, dr. iij. penidiorum unc. j: fiat decoctio ad lib. ijß: adde sacchari quod sufficit, fiat syrupus ad usum.

CONSILIUM LXX.

De arthritide, lumborum doloribus & aliis affectibus.

SYmptomata hæc vexant D. Deudicourt, dolor ad umbilicum, ructus graves, nidorulenti, acidi; aliquando inflatio non tam sumto statim cibo, quam in anadosi; arthritis; quæ simptomata comitatur & dolor circum lumbos, id autem fit sæpe quia mesenterium, quod hic laborat, alligatur lumbis & spinæ; quo fit ut affectiones mesentericas, spinæ dolores & lumborum, item & paralyses quædam sequantur, ut Meloduni post dolores colicos contingit.

Nota de paralysi Melodunensibus & Pictaviensibus familiari.

Si ea symptomata fugacia sint, bono est; si stabilia, durioris, & exitiabilis fati sunt minacia: nam aut dominatum caloris contra naturam significant & paupertatem nativi & partium imbecillitatem, aut rebellem obstructionem in mesenterio; sed notanda maxime distinctio hoc in loco μετεωρισμῶν (*k*) recentium, aut veterum, & divisio obstructionis attenuativæ & oppilativæ.

Attenuativa est in senibus, in pulmone, unde dyspnœa; in nervo optico, unde cæcitas; in urethra, unde urinæ suppressio.

Lib. de morb. Allatus locus de morbo ructuoso, quem Hippocrates νῦσον ἐρυγμάδεα vocat, de morbis qui in juvenibus curantur, in senibus immedicabiles: item quod icterici admodum flatuosi sunt.

Denique quum ille sit arthriticus, mitiorque morbus in dies fiat, an id bono est, & materia supprimitur an imminuitur. At arthritides biliosæ una cum senecta relevantur, alioqui arthritidem cessare exitio est, & aut epilepsiam, aut apoplexiam accersit & quasi in locum suum sufficit ac substituit.

Visum est laborandum esse in obstructionis ablationem, si ab infarctu est humorum ἢ ἐν σφηνώσει (*l*) injiciendi clysteres, purgandum corpus, diligenter balneo utendum; fotu hypochondriaco non calefaciente.

ANNOTATIO.

1. *Arguitur vulgo imbecillitas partium, ut morborum causa & morbus sæpe in materia est: tamen Galenus aliquo loco ridet eos, qui imbecillitatem causam in ore perpetuo habent, quasi aut parum dicant, aut nihil: tamen* lib. de symptomatum causis *tanti facit partium imbecillitatem, ut licet nulla materia superflua affluat, febris tamen redeat; contra sentit* com. in aphorism. de eunuchis, *qui locus notatu dignus: hac voce utitur etiam Celsus dum*

(*k*) Fluxionum.

(*l*) Et in humorum concretione, incuneatione.

dum sic ait, Magna pars urbanorum stomachum imbecillum habet, *signa edit pallorem, nauseam &c.*

Raro non aliquis partem habet imbecillam.

Apud eundem capitis infirmi fit mentio, & ad id commendat affusam aquam frigidam, & alio loco cuilibet pars aliqua natura est imbecilla, an ea imbecillitas ad intemperiem, an ad morbos materiæ revocanda.

Celsus. Et alibi offensis obnoxia infirmitas.

Itaque videndum quid nomen imbecillitas significet, aut aliquid habeat ἄῤῥητον (m) nec id negligendum, ne frustra partem natura imbecillam inaniamus & medicamentis affligamus, immo detracto sanguine infirmemus. Nam imbecillitas robur addendum suadet & insinuat, unde qui sæpe capitis doloribus capiuntur, capite sunt imbecillimo, & repletio eas partes quaqua versus distendens dolorem excitat.

CONSILIUM LXXI.

De febre assidua cum symptomatis paraphoricis, catarrhoicis & cataphoricis.

AUrelius adolescens medio Octobri capite doluit, febris, sed ea fallax, quum se febrire non putaret; nulla dum intermissio officii, lex vitæ neglecta; dolor tamen capitis in dies aggravescebat, externa accusabantur, ut ætas ad omnia prona; tandem febris aucta, dolor capitis auctior, febris vere κεφαλικὴ τυφώδης (n); nihilominus tamen sui negligens, modo ruri, modo in urbe fuit, securus omnium; tandem lecto affigitur & affligitur; fallax pulsus ut in morbis capitis, urina fallacior, ille febri non respondebat, & in capite focus erat; segnities alvi, nec nisi arte provocata quicquam ex alvo affluebat: æstus viscerum, sed major capitis; oculus ardens, facies rubra, maxime genæ, aliquid pulmonicum suspicabamur, dolor capitis major ad synciput; omnia noctu graviora, clamores, jactationes, deliria fugacia, indecora corporis compositio, mox ad se reditus, rursus deliria intra verba, somnus profundior, ut vix excitaretur, deinde κῶμα ἄγρυπνον (o), & inæqualis symptomatum mixtura, mox catochus, nisi quod deliratio jugis non foret, mox lethargicum quid, mox typhomanias species; tandem oculi fixi & rigentes ut in catoche, obscura phrenitis, blanda, contrectabilis, dextrarum partium rigor, revera σπασμώδης (p), & deinde paraplegiacum quid; siriasin quamdam & φλόγωσιν (q), suspicati sumus; difficilis respiratio, qualis peripneumonico: omnia visa sunt mitiora, convalescendi spes aliqua, morbus varie lusit oppugnatus, sed non expugnatus invaluit: dolores repetunt, omnia in pejus ruere, per dies 40. traxit: mors.

Obscuræ; blandæ & contrectabiles desipient. pessimæ Hippoc. in Prorrh.

In

(m) Ineffabile.
(n) Cephalica typhodes.
(o) Coma vigil.
(p) Spasmodicus.
(q) Phlogosin.

In primo insultu morbi negligentia ipsa ægrotantis conjecit eum in periculum; quum morbo victus, lecto per decumbendi necessitatem afflictus est, adeo terrifica symptomata paruerunt, ut aliquid funebre nos ominaremur; utinam nos augures augurium ipsum potius fefellisset quam dira sors bonæ indolis juvenem sustulisset.

Symptomat. cerebri aut cataphorica, paraphorica, catarrhoica, aut cephalalgica.

Parva causa medelis exsolvitur nisi quid circa partem principem sit. Hip. de præc.

Symptomata quæ caput exercent, aut sunt cataphorica cum somno profundo, aut paraphorica, cum delirio, aut catarrhoica cum fluxionibus, aut cephalalgica cum dolore capitis; tria sustinuit æger, paraphorica, cephalalgica, cataphorica. Et quum morbi cerebri sint curatu difficiles, cognitu sunt difficillimi: parvæ ejus causæ gravia in capite edunt symptomata, immo solus vapor teter, furtim surrepens, convulsiones terrificas invehit, & magno Medicorum dedecore. Sæpe capita hominum morbo capitis consumtorum aperta sunt in quibus nil commemorabile repertum est, quod mortem intentasset, quum alioquin Medicus aut absceſſum, aut simile quid repertum iri pronuntiasset; spes augurantium ipsa inspectio fefellit & eorum fiducia, & inspectatio in stuporem vertit, ac si cum ipsa anima mortis occasio evolasset.

Aliud affici cerebrum ob alterationem, aliud per alienationem quamdam. Gal. in j.com. p. 33.

Hippocr. prorrh. hanc dicit esse similem lanis tinctorum δυσποιὸν καὶ δυσέκπλυτον (r).

Celsus in lethargo marcor & inexpugnabilis dormiendi necessitas, in phrenitide promta ad omnem audaciam mens est.

Causa interitus & symptomatum terrore plenorum fuit illa siriasis & phlogosis, præsertim membranarum cerebri; in his & in cerebro non tam fuit alteratio quam alienatio; & in iis fuit quædam hectica intemperies diuturnitate temporis contracta; morbus forte initio fuerat curabilis, sed ex eventu incurabilis factus est; febricitans nec cibo, nec largiore potu abstinuit, & aëris gravitatem & contumelias non vitavit, sic tota vis venenata se in caput inclinavit. Accessit pulmonis dextri impuritas, in quo vomicæ erant veteris tabi, & puris reliqui, ex peripneumonia, qua ante annum laboravit, & ita ut Medici magis adversum rerum exitum timerent, quam sperarent secundum: unde Hippocrates notat quosdam ex pulmone lethargos, quum afficitur cerebrum tetro vapore, unde marcor cerebri, & marcet æger, nec fari potest; ut uno dicam verbo typhomaniæ erat potius species quædam, mixtis symptomatis phrenitidis, & lethargi, non vera & aperta fuit phrenitis; in qua ad omnem audaciam promta mens est, sed ob impressam inustamque hecticam cerebro & membranis intemperiem obscuram; vulgus designat phrenitin ex morsu, clamore, insultibus, involatu in obvium quemque unguibus, delirio perpetuo, sed alia est sine his manifestis: Id quod Galenus diserte expressit, & sese ipse eleganti ea enarratione vicit *in Prorrhetico.* Citat locum Hippocratis *ex Epid. nullus phreniticorum valde insanivit, sed veternosa ad somnum inclinatione gravati peribant*, & hi phrenitici obscuri vocantur; & id sæpe vulgo ignotum & medicis; eos demum vocant phreniticos qui clamant & exsiliunt; in obscura ea virium languor est, & hectica quædam affectio phrenitidis est; idem contigit quod lanis tinctis, quæ colorem non deponunt; ita quidem hæc affectio cerebro impressa hectico modo vix elui potest, & ni beneficio ætatis adjutus fuisset, & artis ope, vix tanto morbo superfuisset, sed morte fuisset

(r) Illuibilem, & ægrè auferibilem.

fuiſſet præventus, tandem aggraveſcente valetudine ſuccubuit, expertus illud Hippocratis: *Quibus convulſis oculi fixi relucent, non apud ſe hi ſunt & diu ægrotant*: ſperandi & deſperandi vices fuerunt: tamen in deteriorem ſemper partem noſtrum judicium & prognoſin vertiſſe auriti teſtes multi fuerunt.

1. *Ad part. 33. lib. 1. Prorrh. Anatome corporis. Hippocr. hanc affect. vocat* ὑπερίμετον *cerebri.*

Ægro in ſua initia reſoluto ſectione internæ partes oculis ſubjiciuntur, aperto capite, venæ quaſi varicoſæ tabo & ſanguine nigro turgentes videntur; item obſervatum in ventriculo medio ſerum multum; medulla cerebri quæ mollior & friabilis eſſe debet, ſiccior, membranæ ſicciſſimæ, quaſi per ſyriaſin & deflagrationem arefactæ & rigentes vix lacerabantur, vix novacula præcidebantur, acutiei ſecantis reſiſtentes: immo ſectæ crepabant more membranarum arietinarum igni objectarum atque occaleſcentium: pulmonis partes dextræ lateri adhæſu contumaciore lacerabiles, plenæ vomicis, tabo & pure ſcatentibus; hæc reliqua ex gravi peripneumonia, quæ anno præterito illum oppreſſit ac pæne conſumſit, hepar labem conceperat, ſed non maximam qualem pulmo, hinc illæ lacrymæ; ſic hectica intemperies cerebri, pulmonum maxima, hepatis minor labes, juvenem (arte malo victa) arte & natura repugnantem oppreſſerunt, expugnarunt, ſuſtulerunt.

ANNOTATIO.

1. Tremulæ obſcuræ blandæque, & contrectabiles deſipientiæ valde phreniticæ, *ut Didymarcho in Coo obvenit ut citat Hippocrates* 1. prorrh. *Galenus* in com. *meminit phreniticorum*, *de quibus loquitur Hippocrates* 3. Epid. Nullus phreniticorum, *ait*, vehementer inſanivit, *velut aliis uſuvenit*, ſed alia quadam veternoſa in ſomnum inclinatione capite gravati peribant. *Et paullo poſt*, phrenitide ex bilioſo ſucco generationem habente, quum is in cerebrum decubuerit, principio quidem qualitate ipſius nondum toti corpori cerebri permixta confuſaque tumultuoſæ fiunt deſipientiæ: procedente vero tempore, ſimile quippiam contrahitur lanis quæ a tinctoribus appellatis tincturam accipiunt, nempe & hæ vix eluibiles redduntur, non ſecus atque eæ quæ ab initio colorem habent, talis igitur cerebri tinctura *Græce* βαφὴ deſipientiam hecticam habet; atque ob id affectio horum, ut febrium hecticarum prava eſt.

(1) Supervomitum.

CONSILIUM LXXII.

Pro muliere sterili fluxu muliebri laborante.

PRæcesserunt fœdi colores, labes viscerum observatur, mala ex se & ex consequenti: per se, quoniam cachecticum quid est, & intemperies cordis, & arteriarum; ex eventu & quasi auctarii vice, quia hæ virgines pravo utuntur victu & res alienas liguriunt, unde humorum pravorum cumulus & propagatio; ab eo tempore nupsit, a nuptiis sterilitas, inde morbosi menses & ῥοῦς γυναικῶος (*t*). At longe distinguuntur, si natura bene ordinata euntibus mensibus dat inducias, ῥοῦς (*u*) fit, id non fit in morboso mense, nec in gonorrhœa virulenta.

Symptomata, odoratus imminutio, aliquid ephialticum, σπασμῶδες (*x*), menses mali, ῥοῦς, uteri indignatio congressum respuentis, dolor, molestusque sensus in consuetudine ipsa; ex quo tempore resoluta est virginitas res meliores non fuerunt, unde non mirum si non possit γυναικωθῆναι (*y*), nec mater fieri, hinc illud Hippocratis. Sana muliere moderati
1. sunt menses; pauciores, plures, ad pauciores dies sunt quid morbosum & sterile; & ut de morbosis, ita de sanis, & quibus per pauciores dies sunt menses, succulentæ sunt & viriles & μνησίτοκοι (*z*) non fiunt, nec partus, nec conceptus sunt memores.

Purganda non valde, & siquando non sistatur fluxus, roborantibus est utendum.

Decoctum vulnerarium valet, caryophyllata, pentaphyllum, fragaria, pulveres siccantes, pilulæ purgantes addita terebenthina cum diatragacantho frigido addito rheo: de aquis naturalibus videndum.

ANNOTATIO.

1. *Plurima genera morborum primo coitu & prima mensium eruptione solvuntur, quod si non solvantur, vix, ac ne vix curationem admittunt, ait Plinius.*

(*t*) Fluor muliebris.
(*u*) Fluor.
(*x*) Spasmodicum.
(*y*) Muliere fieri.
(*z*) Partus memores.

CONSI-

CONSILIUM LXXIII.

De rubore narium.

D. Robinella ſentit ex intervallis appulſum fuliginis, aut vaporis calidi; ut eſt prædita viſceribus calidis, extrema naris incaleſcit, intumeſcit, ſed ut mulieri non poteſt eripi cura cultus corporis, ita nil negligit quod ad id mali evitandum pertinere poſſit; immo etiam ad Empiricos confugit. Illi calidis rem irritarunt, & infecta plane res eſt. Nos *Celſus;* ea ratione ei conſultum voluimus, quia malum a viſceribus, iis danda opera eſt, phlebotomia, purgatio cum caſſia valet, catholico, ſenna; lautio pedum; epithemata, cucurbitulæ, enemata refrigerantia: caveat topica frigidiora, eaque quæ moram in parte affecta trahant, unguentum citrinum, cera virginea lauta in aqua roſarum, & nenupharis: vinum fragorum, cremor hordei, decoctum hordei quo mangones ad mangonium puerorum, & nitorem utebantur Hippocratis tempore; emplaſtrum molle ex gummi tragacantho, arabico, amylo, pauca ceruſſa & cera virgine: loco ceruſſæ lythargyrus valebit. ℞. Foliorum ſalicis, man. ij: albumina xij. ovorum, ſucci limonum unc. ij. diſtillentur cum lacte; oleum ex ſeminibus frigidis, aqua liliorum cum trochiſcis albi Rhaſis; vel emulſiones; aqua roſarum cum pauco mucore ſeminis althææ & gummi tragacanthæ; fruſtum carnis vitulinæ mane applicatum; valet paſta regia Fernelii & hordeum mundatum in juſculis.

CONSILIUM LXXIV.

De quodam vomitum patiente cum ventris tormine.

E Nimvero id totum de quo agitur hypochondriacum eſt magnum quid, & opinione majus. Res enim ſubindicata latet, & inteſtina eſt, quam vix animus apprehendat; accuſatur ſemper ventriculus, licet innocens & viciniæ lege patiens; dioclea pylori phlogoſis intelligitur; chylus aduritur, talis ſanguis; at natura aduſtionem horret, elixationem admittit, unde locus eſt Plinii, cur homines ſunt breviores ſuis temporibus, quam olim, quia aduſtio ſemen alterat & conſumit, hinc marcor, ſqualor, tabes: nuper octo vidi ægrotantes ſimili morbo afflictos; alimento ſumto gravis erat ventriculus; coctio talis qualis in anadoſi, dolor, corpus differebatur (verbo Terentiano) dolore, noctu quies & induciæ, die ſequenti redundatio ſtomachi.

Aſſumtorum vomitus hos per menſes tres, alios per quatuor exercuere, pars ægrorum emarcuit, tabuit, collapſus aqualiculus, mors; pars, cujus

minore virium dispendio morbus productus erat, afflicta quidem & lecto & morbo, vomitus periodicus ut in cœliacis, ventriculus quidem facit officium, pylorus obstructus, & mesareon, aut oppilativa, aut attenuativa obstructione (ut loquuntur veteres practici, non tam verborum quam rerum aucupes) per collapsum vasorum & viarum, & hæc fatalis filum vitæ præcidit: Id fit in opticis nervis, unde perfecta cœcitas, illæso oculo in apertis cadaveribus eorum, quos sua sors peremerat; alias inventa pylori inflammatio, obstructionis & angustiæ causa; in aliis glandularum mesenterii durities, impendio magis & quasi callus; mesenterii ut quidam sphacelus; ut mirum non fuerit si ventriculus alimentum appetiverit, quoad potuerit coxerit res ingestas, sed vitio anadoseos & ob vitium labemque mesenterii omnia rejectantur vomitu, licet chylus gratiam naturæ receperit.

Videor tamquam in tabula afferre lineamenta ad vivum expressa causæ tam dira symptomata excitantis, & graviora, ni Dii prohibeant, excitaturæ, ni tutelaris Deus fibras tam pertinacis affectus eliserit. Est quædam attenuativa oppilatio natura fatiscente & instrumentis nutritioni dicatis feriantibus, credo labem nescio quam & κακοήθες (a), unde σφάκελός τις (b), ut ita dicam, per alienationem, non per alterationem; & præclara actum a te qui temperatis usus fueris, inductus opinione intestinæ φλογώσεως (c) quæ tot malorum est fabricatrix; hic metuo adversos rerum exitus, tamen si velis explicare ægram ut dolendi, ita querendi, & quærendæ medicinæ non sit finis, non quin naturæ dandæ sint induciæ; valent tabellæ ex chalybe, aqua rhabarbari, aquæ naturales; balnea, medicamentum in balneo, fotus mites, pilulæ ex aloe lota, succino, pulvere sennæ, santalis; addita pauca quantitate pilularum aggregativarum, exceptis omnibus syrupo de cichorio; somnifera, pilulæ de cynoglosso; decoctum folliculorum addito rheo, & saccharo cando, ne revomat.

Curatio.

CONSILIUM LXXV.

Pro fluxu dysenterico & mesenterico.

CONsideravimus tempus a quo laboravit (erat enim jam tertius mensis exactus) periodon, motum humoris, speciem humoris, & doloris.

Omnis fluor est dysenter. diarrh. mesent. & hepaticus.

Quæsitum, an fluor esset simpliciter dysentericus an diarrhoeicus, an mesentericus, an hepaticus, in quanto, quali, & excretionis modo.

Intestinum ob diuturnitatem fluoris τὴν διάθεσιν ῥευματικὴν (d) conceperat.

Non.

(a) Malignitas.
(b) Sphacelus aliquis.
(c) Inflammationis siccæ.
(d) Dispositionem rheumaticam.

Non abs re, de periodo quærebamus, an certis horis, an incertis rediret fluor; veteres hepaticum & cerebralem distinxerunt a stomachico & intestinali, quod primus sit periodicus; cerebralis fere a distillatione est, hæc autem dici solet esse nocturna potius: tamen Hippocrates longarum dysenteriarum, & lienteriarum causam a capite repetivit. *lib. de affect.*

Et ea dispositio rheumatica duo facit, excrementa a jecore facile recipit, & ea magis corrumpit ob vetus vitium; parti sanæ suum alimentum est solatium, ægræ tamquam onus est.

Galenus dum *libris de locis affect.* medetur ῥευματικῇ διαθέσει (*e*) tria statuit, ut alimenta sumantur, non facile corrumpenda, ut adstringant, ut roborent. *Gal. 2. de diff. feb.*

Apozemata sunt instituta ex iis quæ hepar reficerent; & quia ulcusculorum & tabi nescio cujus erat suspicio nonnulla, portio herbarum vulnerariarum incocta est, ut bugulæ, saniculæ, symphyti minoris, agrimonii, veronicæ, sanamundæ. *Apozemata.*

Aqua rhabarbari imperata est; lac capræ, quæ depasceretur folia salicis, summitates ruborum, viminis & rosariorum.

CONSILIUM LXXVI.

De tumore hepatis seu fermentatione.

CUjusdam Præsidis servo febricitanti tumor & durities quædam ad tactum apparebat, alii scirrhum dicebant, alii non, a flatu quia fugax fuisset; initio paroxysmorum regio hepatis apparet tensa & inflata, sed id residit calore febrili aucto. Nos putabamus id esse quod Hippocrates *in Epidemiis* vocat hepatis fermentationem quamdam; nam in febribus aliquando & cystis fellis intumescit, & totum hepar fervente & bulliente in capillaribus venis sanguine, & turgentibus humoribus; & ii Medici quibus sine experientia ratio quædam suffragatur nec morbum istum norunt nec medicari possunt. In tali affectu non est parcendum sanguinis detractioni, hæc enim largior opitulatur; malactica & foris admota fere sunt inefficacia; profluvium quoque biliosum juvat, sed illud non solet opportune evenire nisi detracto luculenter sanguine ardor mitescat, & tumor duritiesque minuantur, id quod valde est notandum. *ζύμωσις (f) hepatis.* *Liberalis venæ sectio hepatis fermentationi convenit.*

(*e*) Dispositioni rheumaticæ. (*f*) Fermentatio.

CONSILIUM LXXVII.

De auditu imminuto qui βαρηκοία, καὶ δυσηκοία (g) dicitur.

MAgna vis est constitutionis temporis πρὸς τὴν ἐυηκοίαν, ἢ βαρηκοίαν, ἢ δυσηκοίαν. Περὶ δὲ παρακοῆς ἢ παρακοίας (h) paullo post dicitur: nam in aquilonia constitutione & animæ, & corporis constitutiones meliores exsistunt, conciliatur enim partibus vis, robur & ἐυτονία (i): & Galenus diligenter operationes istas animæ & naturæ distinguit quas vocat φυσικὰς καὶ ψυχικὰς ἐνεργείας (k). Aquilo reddit corpus ἐυκίνητον καὶ ἐυχροον (l), ut ait Hippocrates *aph.* 17. *lib.* 3. *Aphorism.*

ad aphor. 17. *lib.* 3.

Quum dicit mobile, & bene audiens corpus, animæ functionem & τὴν ἐνέργειαν (m) significat; quum autem bene coloratum, dicit naturæ operationem; & quum paullo post dissolutionem explicat quam affert Auster, ait, mala est ista Austri διάλυσις (n) ad omne opus sive ψυχικὸν sive ζωτικὸν (o), credo quod ζωτικὸν (p) confundit μετὰ τῦ φυσικῦ (q): si austrino & humido tempore auditus est obtusior, id ab humectatione est, & ex humectatione διάλυσις sequitur, a dissolutione quadam actionis læsæ: actio siquidem est partium solidarum.

Sic δυσηκοία (r) ab austro est κατὰ τὴν λύσιν τινά (s). Quod ad curationem attinet, aliter te geras si sit obstructio, aliter si humectatio, & dissolutio; contrariis enim oppugnatur morbus, & obstructioni debentur ἐκφρακτικά (t), quæ autem mixta sunt ex rypticis & attenuantibus; & detergentia, humiditati siccantia, dissolutioni συντακτικὰ (u), id est quæ contendunt, ac firmant.

Ceterum imminuta auditio symptoma est, actio enim læsa est in genere eorum quæ audiuntur: morbus est obstructio; hæc autem aut fixa est, aut fugax Galeno; surditas fit ob humorem quemdam in auditoriis meatibus impactum, Græce διὰ τὸν σφηνοθέντα χυμόν (x); & alio loco, firmatos una in parte humores species una symptomatis, tum naturalis partis tum humoris virtuti peculiaris consequitur.

ad part. l. 1. *prorrhet. ad part.* 27. *l. prorrh.*

Curatio.

In obstructione aurium quidam habent olea suspecta, ut quæ obstruant suo lentore; aquæ vitæ, aut theriacalis, aut rutæ valent, castoreum, oleum

(g) Auditus imminutus & difficilis.
(h) Ad auditionem facilem, imminutam, tardam. De hallucinatione auditus seu falsa auditione.
(i) Eutonia.
(k) Naturales & animales operationes.
(l) Bene mobile & bene coloratum.
(m) Energiam.
(n) Diffusio.
(o) Naturale, sive animale.
(p) Animale.
(q) Cum naturali.
(r) Difficilis auditus.
(s) Secundum quandam solutionem.
(t) Deobstruentia.
(u) Corroborantia.
(x) Propter succum impactum, incuneatum.

oleum de terebenthina chymicum, ſemen cumini infuſum in aqua vitæ, & rutæ, deinde expreſſum, ſuccus bulbi eſculenti & rutæ & vinum album. 2.

Quibuſdam placet in ſumma obſtructione procurandam quamdam ſuppurationem, ut aliquid ex aure emanet, ſed habenda maxime ratio ſubjectorum viſcerum.

Catharſis inſtituenda ex intervallis eaque blanda.

Mulier ægra cui hæc decernuntur remedia multis ſignis melancholica deprehenditur, tamen mollem carnem habet, candidam, obeſulam. At qui talem carnem habent Galeno nequaquam habent humorem melancholicum; videndum eſt ne habitus exterior nos decipiat, fraudemque faciat; ſæpe enim exterior interiori non eſt ſimilis. *Libr. de l. aff.*

ANNOTATIONES.

1. *Aurium affectus ſunt ſumma cura prænoſcendi, ac præſertim ii qui cum dolore exſiſtunt; oculorum quidem dolores & morbi noſcendi quidem & plurimi faciendi, ſed non tanti quanti aurium affectiones. Notandum enim quod eleganter ſcripſit Celſus* cap. 7. lib. 6. aurium uſum proximum luminibus nobis dedit natura, ſed in auribus aliquanto majus periculum eſt; nam vitia oculorum intra ipſos nocent, aurium inflammationes doloreſque interdum etiam ad dementiam mortemque præcipitant.

2. *Decoctum cannabis ſativæ vermes in auribus deliteſcentes, aut alia animalcula allicit auctore Plinio.*

CONSILIUM LXXVIII.

De Melancholia hypochondriaca pro muliere hyſterica.

SOlemne eſt illud Philoſophorum decretum, omne imbecillum querulum eſſe: quum autem duplex imbecillum ſit, natura & valetudine: in primo genere eſt mulier, valetudinarii in ſecundo; hæc mulier in utroque hæret & laborat, unde perpetuo querula eſt: & Medicorum aures querelis ſubinde novis fatigando querendi finem non facit, quia non facit dolendi, nec conquerendi ſatietas eſt. At quærere oportet an jure dolendo queratur, an infractione animi id contingat, an quia melancholica eſt, an melancholici perpetuo doleant, omne enim animans duce natura voluptatem quærit, & dolorem, ut ſummum malum, fugit dolorique remedium quærit. In eo genere ſunt melancholici (præſertim ſi humor per aſſationem, aut ſuppreſſionem acriuſculus eſt) ſive quod natura, ſive quod valetudine imbecilli ſunt, propterea quod queruli. Ideo Ariſtoteles ait, *melancholicos perpetuo medicinam appetere*, id eſt ſummis & aſſiduis votis remedia poſtulant, ſive ſint alimenta, ſive ſint medicamenta; immo eorum major pars pharmacorum eſt, quam alimentorum appetentior: quare? quia

Ariſtot. Seneca l. de ira.

quæſt. obiter hic agitatæ de melancholicis.

7. Ethicorum. Melancholici perpetuo medicamenta appetunt.

quia dejectam habent appetentiam; unde? ab intemperie & affectione prava quam Galenus *in prognosticis* eleganter vocat κάκωσιν τῆ στομάχῳ, id est malitia oris superioris ventriculi: temperatæ enim naturæ dulcia & appetunt & iis fruuntur, intemperatæ imminutam habent appetentiam, & exoticas in cibis qualitates desiderant, unde tales melancholici sicci sunt & strigosiores.

Ceterum abhorrent a cibis, nisi excedente qualitate præditis; medicamenta purgantia appetunt, licet ab iis sæpe deterrime habeant, quia humores eorum aduruntur nec putrescunt putredine ordinaria, quæ humores exclusioni paratiores & obsequentiores reddit. Sed quæri potest, quænam sit hæc dispositio diathesis, sive intemperies τῶν ὑποχονδριακῶν (*y*); Rondeletius ex Dioclis non omnino vera opinione, sed plausibili, & ex parte probabili, putat id totum malum pendere a mala intemperie primarum venarum mesaræi & etiam mesenterii: declarant signa hic non enumeranda, inter quæ est volæ manuum siccitas, & squallor: at cutis squalida labem vitiumque ventris significat; declarat curatio, medicamenta humectantia refrigerandoque purgantia, syrupus de pomis, syrupus violaceus, lac asinæ aut capræ, balneorum frequens usus a cibo, aquæ Spadenses, Nivernenses, αὐτοφυεῖς (*z*); immo eis ulcera oriuntur & καρκινώδεις (*a*) tumores qui non nisi pompholyge, plumbo, cerusa, & mercurio leniuntur & mitigantur, & quod fit foris, idem domi & in visceribus fieri debet.

Galen. de loc. Aff. c. de melanch. Hipp. in Coacis. Legitima hypochondriacorum curatio.

Sed impediunt flatus multi qui in hypochondriacis scaturiunt, & indicatione quadam contraria avertunt ab usu rerum humectantium, & refrigerantium, quæ causam oppugnarent: sic quod est primæ & radicalis affectionis remedium, auget symptoma, ut fit in hydrope & squallore & hectica viscerum intemperie; quum enim quæ flatum discutiunt calidiora tenuiorumque partium esse debeant, siccitatem squalloremque partium augent, quæ causa impulit Themistium magnum Physicum, & tamen non satis bonum Medicum, ut credat atram bilem naturaliter frigidam refrigerare ventrem, & jecur partes nutritioni devotas & consecratas: quod si verum est, mirum non esse debet, si tantus sit flatuum proventus in hypochondriacis: Immo vero κατ' ἐξοχὴν (*b*) flatuosa melancholia esse dicitur: quamquam hypochondriacis, & iis quibus æstuant viscera, quos θερμοκοιλίους (*c*) vocat Hippocrates, non raro usuveniat, ut quum calore acri abundent, non desinant esse flatuosi, immo in tympanitem fere post dolores alvinos diuturnos & vix placabiles incidant, & iis non raro secari vena solet secundum illud Hippocratis ἀνεμίων φλεβοτομίη λύει (*d*). Verum isto loco Themistius rationem reddebat cur melancholica corpora macra essent, ita enim ait, Affecta sunt corpora, ut eo non fruantur alimento quo vescuntur, & idem alimentum non subit partes nutriendas, & id genus

Contrariæ indicationes in cura melancholicorum observandæ.

Cur melancholici macrescunt.

(*y*) Hypochondriacorum.
(*z*) Minerales, sponte nascentes.
(*a*) Cancrosi.
(*b*) Per excellentiam.
(*c*) Visceribus calidos.
(*d*) Ventositatem venæsectio solvit.

genus corpora ſunt infelicibus lignis aſſimilia, quæ in regione arida, & ſiticuloſa naſcuntur. Themiſtius autem atram bilem proprie non ſumit, ſed pro ſucco melancholico frigido; magna enim pars melancholicorum & deterior morboſiorque per flavam bilem, aut ſuccum melancholicum uſtum, aut ſanguinem generatur: unde cineri, aut tartaro calcique talis humor ſimilis eſt, quibus per aduſtionem calor eſt acer & mordax; unde melancholici tales ſunt piloſi, abundant multo excremento fuliginoſo, quia in iis ſanguis & ſuccus eſt acriuſculus, & calidiores ſunt arteriæ plenæque fuligine.

Uſta bilis & melanchol. ſuccus gravia inducit ſympt.

Quoniam Themiſtius videt multos effectus frigoris, cauſam putat frigidam; at in magna parte hypochondriacorum eſt calor acer & mordax, hic eſt corruptor, & fructum non capit corpus, immo quo corpus calidius calore adventitio, & febrili, calore naturali omnium bonorum auctore, eo frigidius exſiſtit.

Effectus frigidi non arguunt ſemper cauſam frigidam.

Id quod expreſſit illud Hippocratis: *quibus calidior venula eſt*, id eſt arteria, *multitudine ſanguinis exuſtum procreat & idem excernit*; exuſtum autem τὸ καυσῶδες (*e*) vocat, a quo fuliginoſum excrementum multum; intemperies cordis & arteriarum, concurrente pulmonis calore & ſiccitate, tam celeris motus cordis (præſertim per greſſum) cauſa eſt, & tum affectio hectica eſt: non ſic in aliis febrientibus contingit, non enim moti, ita anheloſi ſunt: immo in corde ipſo jam ſpeciem aneuriſmatis ſubeſſe autumamus, ſpiritu & ſanguine mirum in modum arterias diſtendente & dilatante.

Sect. 6. lib. 6. Epid. partic. 2.

Celer cordis motus ab intemper. hectica, & quadam aneuriſmatis ſpecie oritur.

Sed nunc relicto diſputationis filo cetera perſtringamus; numquid cordis magnitudo, & ejus intemperies in ea muliere, cujus ergo ſuſceptum eſt hoc præludium, difficilis reſpirationis cauſa eſſe poſſit, qualis eſſe ſolet in iis qui cucurrerunt. Unde tanta inappetentia? bilioſa quum ſit temperamento, cur tantopere flatuoſa? icterici non admodum flatuoſi quia in iis bilis abundat, non pituita quæ in flatum reſolvatur, & raro imbecillitate partium nutritioni ſervientium (quæ una cauſa eſt generationis flatuum) laborant, ait Galenus, quæ opinio an vera ſit porro inquirendum.

Com. ad part. 72. l. 5. apho.

Difficultas hæc ſpirandi, quia creber & frequens eſt ſpiritus, nomine τοῦ καρδιωγμοῦ (*f*), apud quoſdam veteres exprimitur: præſertim quum palpitationi ſimilis eſt: Erotianus παλμὸν ἀθρόως καὶ σφοδρῶς ἐν τῇ καρδίᾳ (proprie dicto corde) γινόμενον (*g*); cur καρδιωγμὸς (*h*) id vocetur vel καρδιαλγία (*i*), non eſt facile explicare: niſi id fiat, vel quia talis affectio ſignificet vim vitalem maximo incendio laborare, vel quia quum per æſtum cor celerrime vehementiſſimeque moveatur, anima deficere videatur, & id veteres vocant καρδιώσσειν; καὶ καρδιαλγεῖν (*k*) dici verbo vulgari

Comm. ad aphor. 65. l. 4. aphor.

(*e*) Inflammatorium.
(*f*) Ventriculi morſus.
(*g*) Palpitationem confertim & vehementer in corde genitam.
(*h*) Cardiogmus.
(*i*) Cardialgia.
(*k*) Cor mordeti; & cor dolere.

gari potest, unde quum pulmo inflammatur, frequentia sunt animi deliquia, καὶ ἐκλύσεις (*l*): hæc nostra conjectura & præjudicium: aliorum sit judicium.

Attenuantia & incidentia hepar siccant, lienem minuunt, quod sæpe malum est. Plin. cap. 43. l. 8.

Item peccatur in hypochondriacorum morbis, nam fere ad lienem opera dirigitur, & dum incidentia, ῥυπτικὰ, attenuantia, cappares, tamariscus, cassutha, chamædrys, chamæpitys, flores sparti, immo radices caliditores præscribuntur, hepar siccatur primum, quia integris viribus traducitur ab iis medicamentosis simplicibus, & dum vulgus & Medicorum & hominum intendit per corticem tamarisci & asplenium lienem minuere, minuit: immo forte fit ut perexiguus sit splen, quod malo est; nam satis amplum & validum esse oportet splenem, ut hepatis sanguinem purget; alioqui mille incommoda sequentur.

Ideo non est bonum minui lienem aspleniis medicamentis, nam ubi minor non bene desæcat sanguinem; hinc inappetentia, & mille incommoda; sic narrant de chamæleonte, qui nec bibit, nec comedit, soloque aëre nutritur; quod hic lienem non habet, semper hiat, semper tenuem qua vescitur auram reciprocat chamæleon.

Quamquam quæstio est an medicamenta splenica integris viribus hepar pertranseant; si id sit, non fit sine noxa hepatis. At ajunt non esse necesse, quia a vena porta sunt rami mesenterici, quorum unus ad splenem tendit: melius faciunt qui in affectibus splenis & hypochondriacis ad buglossum, borraginem, nymphæam, succum pomorum confugiunt; alia vero siccant longo usu impendio magis. At, omnis ὕπαρξις (*m*) melancholiæ hypochondriacæ consistit in intemperie sicca partium in hypochondriis contentarum, cum nonnulla caliditate sine affluxu, sed cum obstructione potius a sanguinis & aliorum humorum crassitie: eamque ob rem limaturam chalybis in hypochondriacis & decoloribus virginibus commendant quod pluribus explicatum est alibi.

ἀδροτέρως non sunt purgandi hypochondriaci.

Quæ quum ita se habeant, hypochondriacis sunt ut plurimum φαρμακείαι ἐργώδεις (*n*), nam in ista siccitate partium naturalium in qua illius affectionis omnis ὕπαρξιν diximus residere, non purgandum ἀδροτέρως (*o*) 2. vehementer. Enimvero hypochondriaci fere æstuantia habent viscera, calida & sicca sunt temperie bilis acris genitrice, & quum suo calore & siccitate symbolum habeant & affinitatem cum febre, mirum cur fere non febricitent, aut patiantur febrem quamdam sui generis, quamquam revera interdum diarias quasdam febres patiuntur febrium hecticarum προδρόμους (*p*). Sed & observavit antiquitas, mulierem raro fieri hypochondriacam διὰ τὴν φλόγωσιν (*q*), sed ubi sit, deterius habere; quia id est alienius a temperamento frigido humido, quod muliebre est; quum tamen perpetuo doleant & conquerantur, item sentiunt punctiones & lancinationes & in cute & in visceribus. Ideo Aristoteles dicebat corpus melancho-

(*l*) Et solutiones.
(*m*) Essentia.
(*n*) Difficiles medicationes.
(*o*) Abundantius, vehementer.
(*p*) Prodromos.
(*q*) Propter phlogosin.

lancholicorum perpetuo pungi revera, quod de elephanticis scribunt: inter signa quidem æquivoca duo hæc notant quod raro febriant, & quod in cute punctiones sentiant. Notanda hæc & revera hypochondriacum esse vere est habere gradum unum ad elephantem. Rondeletius ait, hypochondriacos & melancholicos videri quidem carere febre, sed tamen febrire quadam specie febris quæ iis propria est. Sed unum observatione dignum, metus est major ipso periculo, & phantasia maxime afficitur. De his verum quod timor in his ipso major solet esse periculo: Item illud: *Quid timeam ignoro, timeo tamen omnia demens*: symptomata sunt minora quam opinio ipsa concipiat: sed causa major est, & efficacior quam percipiat, immo est gradus ad elephantem. Sic nomen hypochondriacæ affectionis (nec enim morbus est qui notari possit sed effectis se prodit) multa includit & opinione majora: mirumque est, quod qui delicatiores, immo bene temperato cerebro, facilius & gravius afficiuntur, exhalatio tetra facilius impressionem facit; stupidi & obtusiore ingenio non ita percelluntur. Sic prius hominum genus feliciore est ingenio quam fortuna & valetudine.

Metus & mœstitia si perseverent signum melancholicum. Hip.

Qui delicatiore sunt cerebro facilius melanchol. symp. afficiuntur.

At vero quod ad therapiam attinet eamque difficilem reddit, est, quod affectionis remedium auget symptomata, flatus, borborygmos, inflationes; morbus non tam est in humoribus, quam in partibus solidis.

Una consolatio est, neglecti isti morbi sæpe fiunt leviores mirumque ad aliquid conferre negligentiam. Sed & ipsa senectus, quæ morbus est, remedio est, præsertim si ex macro habitu comparetur.

Aetius.

Sed his relictis breviter curationis capita attingamus.

Consulendum capiti tremulo, partibus naturalibus, in quibus scaturigo & soboles flatuum ἄνω καὶ κάτω (r), qui flatus tantorum malorum sunt auctores: consulendum quoque & partibus uterinis.

Capita deliberationis pro therapia.

Capiti, litu ex oleo de salvia arte chymica extracto, expresso nucis moschatæ, oleo nardino cum cera in aqua vitæ lauta; castoreum valeret nisi fœtor adesset; valet quoque litus ex oleo de spicanardi, vulpino, lumbricorum, addita aqua vitæ: emplastrum palmatum, divinum, & de meliloto.

Hystericæ affectioni trochiscis de gallia moschata, suffitu exceptis, pilulis quoque de castoreo, & assa fœtida cum aloe.

Partibus naturalibus, præsertim ipsis flatibus tanti tumultus seditionis oppressionisque partium spirabilium auctoribus studendum, medicamento legitimo. Dictum est ante, omne medicamentum esse illi mulieri ἐργώδης (s), ideo balneum præmittendum videretur, purgatio sit ex catholico ad unc. ijß: colatum & clarum in multas doses, vel rheo cum syrupo de cichorio cum rheo, & ut deorsum revolvantur flatus, clysmata ex jure pingui, quia sicciora sunt exta & intestina.

Difficultas oritur διὰ τὴν ἔνδειξιν (t), causa calida, intemperies lactium calida

(r) Supra & infra.
(s) Laboriosum.
(t) Propter indicationem.

lida & ſicca, unde obſtructio attenuativa; remedia hujus nativæ intemperiei augent ſymptomata, ut obſervatum ante, & vere juvatur vino abſinthite, tabellis calidis; pulvis digeſtivus confert, ovi luteum cum ſaccharo, aut grano ambræ griſeæ.

Fotus blandi ad ſplenem & ventriculum, uſui eſſe poſſunt.

ANNOTATIONES.

1. *Ut quod de ea dicitur pertineat ad omnes alios hypochondriacos quorum magnus eſt numerus: Ægra πολυπράγμων (u) eſt actuoſa, & negotioſa, unde animus inquies, & qui non ſinit corpus refoveri. Eſt autem labor naturalis, aut violentus: naturalis labor, viſus, auditus, vocis, curarum, anima in id quod videtur intenta movetur & caleſcit; calefacta evacuato humore ſiccatur; de auditu idem; mirum ne eſt, ſi illa non pingueſcat; ceterum quum hæc mulier hypochondriaca ſit, mirum quoque quod niteat facies, quæ in aliis decolor & plumbea, in ſanguineis ἴυχροια (x) eſt, & teſte Hippocrate ἰωνθὶς (y).*

Hipp. loc. aureus l. de diæta loquens de viſu & auditu. Hippocr. 2. prorrh. & in Epid.

Illi autem contingit quod pueris cachecticis quibus in cavo hepatis bilis recocta tanti mali auctor exſiſtit. At vere ſplenica non eſt bene colorata & inappetens, quod ſplenicis veris non evenit. Credo eſſe velut ἀνεύρισμα (z) quoddam vaſorum cordis.

Lienoſi ſunt voraces, tum ob acidum ſuccum, tum etiam ob cancroſam lienis diſpoſitionem.

Quæſtio mota cur virgines decolores tam male ſpirent, quum alii febricitantes (ni malum in pulmone) id non patiantur: cur olim eam difficultatem ſpirandi non patiebatur? interna calent, fuligo magna, arteria calidior exuſtum quid procreat, corpus non ita ſpirans, bilis torrida, nitrum, ſulphur dominatur, ut in vetere Gallo: Teſte Hippocrate 2. de diæt. *hinc omnia antiqua & marcida alvum magis movent quam recentia, quia putredini propiora: fidem facit caro Gallorum nitroſa & ſalſuginoſa. Si a calore ætas defecta & inclinans remedio eſſe debet, morbi calidi in ſenecta relinquunt. Hippocrates.*

An detractio ſanguinis valet? quæſtio; menſes in bilioſis ſunt detrimentoſi, ait Hippocrates, & ſæpe λιποθυμίας (a) afferunt.

In hypochondriacis, præſertim qui ſunt tormenta medicorum ob acres humores qui eos pungunt (qui partim natura, partim victus ratione, partim curis & ſollicitudine fieri poſſunt, maxime vero fiunt quibus viſcerum eſt intemperies,) ſi temperantia tantum adhibemus, malum non tollimus, ſed lenimus tantum; ſi acria, & quæ humorem tollunt, irritamus: idem contingit quod & in herpetibus, & ſerpigine: glutinoſa mollia remedia malum fovent, immo deterius faciunt, acria cauſam evocando non ſtatim ſanant, ſed irritant (qui locus pulcherrimus ab externis affectibus ad internos nos ducendo): ſanitatem enim ratione evacuationis ſuccum mordacem abluendo & detergendo non τῆς ἐπικράσεως (b), efficiunt: imo contemperantia aliquando mordi-

(u) Actuoſa & negotioſa.
(x) Bonus color.
(y) Pulchra effloreſcentia.
(z) Aneuryſma.
(a) Leipothymias.
(b) Contemperationis.

mordicationem majorem efficiunt ex accidenti, ut si corrumpuntur & una alunt foventque cacochymiam. Sic videmus serpigini, psoræ, scabiei &c. a bile usta, pituitave salsa, cutis vitiis, aquam salsam, litharg yrium, sulphur, aquam hydrargyri, aluminosam prodesse magis quam temperata & ἐπικρατικὰ (c), quæ alunt foventque cacochymiam & acrimoniam. An ea lex contrariorum, ut contrariis contraria elidantur & oppugnentur; his & similibus rationibus Chymici fundamenta sua stabiliunt dum dicunt similia similibus curari. Galen. c. 12. l. 2. de simp. medicament. facul.

Sed hæc omnia ad rationis & veritatis normam & legem revocanda sunt, nam ea Galeni methodus in cura prædictorum affectuum non destruit solemne illud axioma therapeuticum: Contraria contrariorum sunt remedia.

2. *Non abs re dicebamus paullo ante perperam in hypochondriacis calidis & siccis dari medicamenta splenica falsa lienis affecti opinione; minuitur enim hepar, siccatur, augetur intemperies sicca, educitur serum liquato sanguine, & defectu seri sanguis aduritur, & quum lien minor est justo, non rite defæcat sanguinem humore melancholico; quo fit ut in venis & arteriis ardeat, unde pici aut gagatæ lapidi simillimus exsistit. Ideoque Galenus non vult detrahi sanguinem, si in cerebro tantum affectio sit & nigrescat sanguis; si in toto corpore sanguis nigrior, audentius sanguinem mittit, si non sit melancholicus supprimatur, sic statuit eas distinctiones: In hac muliere flatus generabatur ob inæqualem intemperiem ventriculi & hepatis, & ii distendebant ventriculum in dies, ventriculus amplior & capacior non poterat comprehendere cibos, unde ructuum & flatuum perennitas generationis. In hac muliere (ut in cadavere observatum) sanguis nigruerat, corque vix refrigerium accipiebat, hinc pulsus inæqualis & palpitationi similis, ventriculus amplissimus erat, frigidiusculus, unde rebus calidis delectabatur, licet lingua sicca esset & calidius hepar, sic ventriculus vix cibos coquebat.*

CONSILIUM LXXIX.

De doloribus hystericis & hypochondriacis.

VIrgo matura viro doloribus sævis ad regionem ventriculi torquetur, & maxime ἐν τῇ ἀναδόσει (d) ipsius alimenti, tribus post horis ab eodem alimento sumto: inter cætera, repetunt sæviuntque magis noctu, & ita venter ob agitationem spiritus flatulenti & humoris, qui suos motus & περιόδους (e) non habet, quasi fermentatio foret aliqua, intumescit, ut nisi distringatur laxeturque, opprimatur crepetque inedia; distentio fit divulsioque, eaque ita dolorifica ut vix ferendo sit, & tamen habet ὀρθοκάθην (f), nec ejus lamentis querelisque locus datur; fere fit enim ut ii morbi negligantur qui decumbendi necessitatem non afferant,

(c) Contemperantia.
(d) In distributione.
(e) Periodos.
(f) Erectè stans.

Dentium affectus, podagræ, tormina &c. negliguntur sæpe, licet tormentis adnumerentur, ait Cels.

rant, licet ipsi per se sævi & immanes exsistant. Unde dolores dentium quia vulgares, podagræ, tusses, tormina ventris & verminationes fere negliguntur, quia sine febre, & vulgo homines affligant. Vulgus solet tantum misereri febricitantium, quia morbus est perspicuus, & utinam ipsi hypochondriaci aperte febricitarent: at ob squallorem & hecticum quemdam calorem eorum humor non est suppurabilis, nec hypostasi declaratur. Dolor lateris, aut pleuritis nescio quæ totum hominem ad se convertit, in lecto retinet, Medicos cogit, denique nullo non magisterio & artificio oppugnatur, quum dolores dentium, tusses, tormina, sævitia sint superiores, immo tormentis adnumerentur.

Dolor vires maxime infringit, & huic promte occurrendum, dum habet rationem causæ morbum augentis, aut foventis. Quæ vilia putantur cognoscere difficile.

Quod quum verum sit, & nil tam infirmum corpus faciat quam dolor, is primum omni arte est mitigandus; & is morbus in quo dolores adsunt, pluris est æstimandus, majoreque procuratione dignus, quam is a quo dolores absunt; & revera dictu est mirum quanta & quam longa dolorum acerbitas fere constantiam & patientiam ipsius virginis vicerit & convulserit, & piget scribere ne id vertatur artis medicæ dedecori. *Sæpe*, ait Tullius, *non sunt graviora carnificum tormenta quam quorumdam morborum cruciamenta.* Id quod hic observatum est, & fere iis non condolemus, qui aut assiduo dolore affliguntur quasi conquerendi eorum assiduitas opinionem faciat, aut sublati, aut imminuti mali. Eorum vicem dolemus, qui febricula, aut inflammatione laborant, ut dictum est; tabem, hecticam febrem, dolores dentium & graviora his mala in aliis negligimus, quod non sunt ea ita conspicua, ut inflammationes, aut herpetes. Id Langius transtulit ingeniose ad animi & corporis affectiones; pluris vulgus facit corporis levem affectionem in alio, quia evidens est, quam animi cruciamenta & tormenta: magis tamen in morbo esse judicantur qui tabe, aut marcore laborant, quam qui manifesta inflammatione, aut febri: hæ enim magis apparent & sensum feriunt: sic sunt in graviore pœna improbi qui lento passu ducuntur ad æternam mortem, carnifex enim animus quotidie minutis ictibus pungit & cædit.

Hippocr. de flat. in Epist. Muliebres morbi sere incogniti. Hippocr.

Hippocrati hæ sunt causæ cur morbi muliebres ἀνίατοι (*g*), 1. fere sunt incogniti: 2. præ pudore non narrantur, & sæpe progressi sunt antequam ingressi videantur: 3. error Medicorum, si curant pariter morbos viriles & muliebres, nam longe differunt; sunt enim & corporum & hominum proprietates, id quod mirum, quum non tam longe femina a mare differat, & illa mas inversus dicatur. An ob uterum? an fas eas tragœdias excitari in viduis & virginibus ob tantulam partem? Sunt morbi peculiares feminis, alii maribus. Olim arthritis mulieri pepercit, non nunc: *non quod* (ait Seneca) *mulierum natura immutata sit, sed vita, & quum virorum licentiam æquarunt, morbos virorum æquarunt, & quia feminam exuerunt, morbis virorum plectuntur.* Hippocrates mille motus uteri agnoscit, & uterum omnium morborum muliebrium radicem putat.

Uterus omnium morb. muliebr. causa Hippocr.

In hac dolores sunt descripti paullo ante, & ii a sumto cibo repullulant, & integrascunt; unde id? dolores potius mitigari deberent appulsu

(*g*) Incurabiles.

pulſu boni & amici alimenti; flatus ſunt multi a materia cruda & calore imbecilliore; nec enim vigente hieme nec æſtate media flatus oriuntur.

Mirum cur nondum aut tympanites ortus fuit, aut tranſlatio ad caput juxta aphoriſmum: *Qui circa umbilicum labores, & dolores qui neque medicamento, neque aliter ſolvuntur, in hydropem ſiccum tranſeunt.* *Aph. lib.*

Quid hoc quod tam diuturni dolores? nemo enim poteſt valde dolere & diu, ait Seneca; ſic amantiſſima noſtri natura cuncta diſpoſuit, ut dolorem aut brevem fecerit, aut tolerabilem. Dentium, articulorum, nervorum, aurium dolores ſunt acutiſſimi, quia in anguſto. *Senec. in Epiſt. Dolor in anguſto.*

Cæterum in examine iſtorum dolorum quæſitum eſt, an eſſent hypochondriaci, an hyſterici, an mixti; licet enim ventrem ſuperiorem affligant, poſſunt etiam eſſe hyſterici; ita enim intelligere oportet motus ipſos uteri ſurſum deorſum ad hepar & lienem, ut loquitur Hippocrates, non quod reipſa loco moveatur uterus, ſed quod ſui, aut appetentis, aut indignabundi argumenta edat, in his aut illis partibus; habet enim inſignes venas, quibus cum hepate conſentit, & nervos quibus cum cerebro, & arterias quibus cum corde.

Sed hæ inſignes afflictiones contingunt virginibus viro maturis; incredibile enim dictu quantæ mutationes in ætates incidunt primis coitibus & prima menſium eruptione; natura enim ſui motus dat quoddam ſignum, & dum ſanguis ſuo exitu fruſtratur, refluens ad hypochondria oppreſſionem facit. *Varii uteri motus.*

At notandum eſt, ſanguinem, aut ad alimentum, aut ad augmentum, aut ad fetum futurum ſuppetere debere; ubi ſufficit ad alimoniam, aut ad augmentum, id quod reſtat ſupervacuum eſt (natura autem eo conſilio mulieres leviores frigidioreſque effecit, ut corpore minus ſpirabili plus ſanguinis reſtitaret) id quod non ſolum in interno, ſed & in externo corpore fieri debet; Ideo venæ laxiores eſſe debent, ut ad habitum ſanguis feratur, deinde eæ ſunt laxandæ quæ ad uterum pertinent: fruſtra enim evacuationem per uterum menſtruam cieremus, niſi habitus ipſe plenus foret. Tunc enim argueretur ſanguinem & ipſi virgini ſufficere & puero futuro. At diſcernere num redundet an non, & in externo & in interno corpore, hic opus, hic labor eſt.

In curatione ſunt ἀντιδοξίαι ex parte flatuum, ex parte temperamenti & caloris genitivi acriuſculi. Ergo obſervata ſunt hæc, ſpecies morbi, ſitus, cauſa, curatio, prognoſis. Hecticus eſt calor cauſa mali & diſpoſitio hypochondriaca, & ob appulſum novi alimenti dolor in digeſtione ſentitur; prius alimentum fere non deſcendit, nec fit attractio ob obſtructionem & tumorem partium ſanguine repletarum: ſic alimentum aut corrumpitur, aut non attrahitur; & hypochondriacorum febris eſt ſui generis, & febris eſt tumori cancroſo non diſſimilis, unde ſola temperata proſunt hypochondriacis & balnea maxime, ut ante obſervatum. *Curatio.*

Ut in rebus omnibus eſt quædam maturitas ſuaque tempora, ſic in virgi-

virginibus suo tempore natura molitur καταῤῥηξιν (*h*), quam si non consequitur, hinc oppressiones; humor enim motus & non promotus oppressionem facit.

Menstruales non fiunt sæpe quia partes sunt validæ quæ totum sanguinem sibi & retinent & acquirunt, & nisi partes infirmiores reddantur & sanguis imbecillior non fluat; idem fit quod in alienatione mentis a raptu, & vi sanguinis, effeminandus enim est æger & sanguis de consilio Aëtii & ad deliquium animi detrahendus. Quod an verum sit quæstione dignum videtur; quod autem ob robur ipsius sanguinis ipse alio transferatur, eoque aut menstrui materia pauca sit, aut nulla, patet ex Galeno: & ut e contrario morbi causa tollatur, videtur ei robori sanguinis imminuendo incumbendum esse.

Sed ad therapiam pertinet quoque illud, cur quum recumbit in lecto minus frequens & gravis dolor est; cum aut sedet, aut deambulat amplior fit; in lecto inflectitur facilius corpus, & per inflexionem duo sequuntur commoda: unum, quod per inflexionem recalescit venter, calefactus autem venter melius coquit; secundum est, quod dum flectitur corpus, laxantur partes & sinuantur, id quod exitum flatibus dare solet: horum demonstratio eruenda est ex Aristotele, dum quærit cur sit melius cubare corpore inflexo quam distento, ubi physicas rationes exponit memoria non indignas. Itaque instituta convenienti victus lege, repurgato corpore, balneum instituatur; venæ sectio celebrata e brachio ratione ipsius plethoræ, licet non sit secuta manifesta allevatio, nil perinde est, iteranda tamen est: quasi si quis artem Medicus, is & artis eventum præstare semper debeat & possit. In arte medica licet sit perpetuum quod fieri debet, non est tamen perpetuum quod sequi convenit: postmodum vena in malleolo tundenda est, quo inclinet sanguis deorsum, qui in hac virgine semper (contra naturæ morem in mulieribus) partes superiores appetivit.

CONSILIUM LXXX.

Pro notario paralyticon aliquid patiente, aut potius laxationem quamdam articulorum ipsarum omoplatarum.

NOtarius quidam colico dolore vexatus est eoque acerbissimo; tanta fuit immanitas, ut præripuerit occasionem medendi cum methodo quadam metu majoris incommodi; sæpe ad levationem doloris immittendus fuit balneo, cœlo frigidiusculo, immo, ut verbo dicam, cum temeritate remedia rapienda potius fuerunt; humor, qui id genus dolores concitabat, erat æruginosus qualis in ægri illius corpore congeri ac cumulari solet. Quare? ob ipsorum viscerum intemperiem & fervorem, non

Sic loquitur Cels.

(*h*) Disruptionem.

non tam forte a natura quam a diæta contractum: unum enim de eo ægro notandum est quod & ad notitiam & istius colici doloris & familiaris, & morbi alterius qui inde secutus est & cujus gratia hic locus tractatur, maxime pertinebit: illud vero est; æger iste, etiam dum prosperrima sanitate fruitur (si modo in eo sanitas est) solius vini & panis usu sustinetur; a carnibus, jusculis, & omnibus aliis esculentis abhorret; ad solum vini, & ejus generosioris & meracioris usum confugit; hinc proventus bilis, hinc seri indomiti congeries, hinc inappetentia; augetur enim intemperies nescio quæ in dies magis appetentiam dejiciens, calor enim acer ori ventriculi molestus est, edendi desiderium ademturus.

Hinc sitis assidua & rerum, quæ alienam qualitatem excedentem habent, immoderata cupiditas: ita enim a Galeno dictum definitumque est, soli, ait, extra naturalem statum constituti amaris, acerbis, acidisque cibis delectantur; naturaliter habentes & excrementis vacui pinguibus & dulcibus, & nulla vehementi qualitate præditis cum voluptate delectantur.

Bene habentes dulcibus ægre amaris, salsis, acidis &c. delectantur. ad part. 14. sect. 5. lib. 6. Epid.

Cæterum præter incommoda quæ affert vini usus, præsertim ubi cibo non est temperatus, de quibus incommodis dictum est, aliud etiam longe deterius est; est autem nervosi generis imbecillitas, unde cerebri affectio, & apoplexiæ, epilepsiæ, tremoris nervorum, paralyseos opportunitas; etsi enim vini sua sunt commoda, præsertim si præsumtis cibis hauriatur, ita maximum sequitur detrimentum si jejuno vacuoque ventriculo & nullo projecto alimento bibatur. Obiter autem dictum hoc sit, tamen quoniam exstat ea de re præclarum Galeni edictum illud non debet prætermitti: *Qui vel inedia*, ait Galenus, *vel alvi profluvio, aut fluxu sanguinis, aut alia evacuatione, famem habent, non capiunt ex usu vini utilitatem, immo offenduntur; quoniam & convulsionibus & deliriis confestim corripiuntur, si antequam cibum sumserint, vinum bibant.* Item dum loquitur de iis qui sunt opportuni podagricis insultibus, tria maxime recenset, quæ ejus affectionis occasionem afferunt, desidiam, crapulam & vini usum, maxime ventriculo inani. *Nocent*, ait, *& potus multi & generosi vini, præcipue cum aliquis jejunus potarit.*

Vinum jejunos bibere novitio invento inutilissimum & placitum Medic. novitate se se commendantium. Plin.

Unde mirum non est si noster æger inciderit in speciem aliquam paralyseos, aut potius relaxationis articulorum ipsius humeri: vinum ad id est valde efficax, nisi forte quis dicat vinum, quia calefacit & siccat, tantum abesse, ut obsit nervis ut eos roboret; pares enim habet vires, ac olea arte chymica elicita, quæ siccando & calefaciendo tantopere firmant, contendunt & roborant nervos: id quod Galeni patrocinio tueri facile possit: Quæ enim incommoda vinum sanare videtur ea ante ipsum effecerat, sic vinum nervis erit alexipharmacum, nedum venenum, unde male epitheto Bacchi insignitur ὁ οἶνος λυσιμελής (*i*). Ita Galenus, *Vinum facile nervos replet ob calidam temperiem, intrat enim, ut quum non habeat*

1. *ad aphor. 21. lib. 2. Comm. ad aph. 28. lib. 6. Objectio de vino quam quis in affe-*

(*i*) Vinum membra laxans.

ctionibus nervorum usum vini tueri queat.
Galen. ad aphor. 5. lib. 5.
Vinum substantia nervosis partibus noxium, qualitate amicū.
Magis fundit & liquat vinum quam possit digerere, unde dist. proventus, & nervosi generis repletio & infirmitas.
Gal. ad aph. 5. lib. 5.
4.
6. Epid. part. 3. sect. 45.
In scholio in cap. de colico dolore.

beat crassam substantiam, sic substantiæ copia nervos convellit; rursus autem qualitate sanat eam quam fecit dispositionem nervos calefaciendo atque exsiccando, & si id non facit, mors sequitur, & ut vinum sanat convulsionem, ita & febris. Quis autem apud Galenum locus est, qui vino magis patrocinetur, cur tam caute podagricis, lunaticis, tremulis, paralyticis, & omnibus quibus nervosum genus afficitur, interdicetur? & ut paullo ante dictum est, datur a Galeno hemicranicis; si siccat, si calefacit, etiam paullo immoderatius sumtum non nocebit, immo medicatam vim habebit, & tamen audito affectu cerebri, aut nervorum, aut membranarum, cane & angue pejus exsulat. Nescio cur id fiat, nisi dixerimus calefaciendo & siccando juvare posse, sed vel maligno tetroque vapore nociturum esse vel plus ipsum vinum fundere, liquare & humores irritare quam possit digerere; unde fluxionum proventus & nervosi generis repletio & humectatio, unde Galenus ait, *repletis nervis convulsio fit*, replet autem vinum.

Relaxatio ista & πάθος παραλυτικὸν (*k*) secutum est dolores colicos. An id fit? revera vidimus plerosque qui post longos morbos, præsertim post colicos dolores, speciem quamdam paralyseos contraxerint. Quod qua ratione eveniat pluribus, satis est locum indicasse; est philosophi in ipsius causæ investigationem incumbere. Primum notus est Hippocratis aphorismus: *Cui intestinum a dextra parte articulorum morbo laboravit, erat quietior, postquam vero id curatum fuit, erat dolentior*; id quod tribus de causis contingit, vel quia numquam duæ partes sunt inter se similes, ut æqualiter afficiantur; vel quia duobus doloribus omnino non eumdem locum occupantibus, eorum major obscurat & elevat minorem, vel ut ipsemet ait Galenus *in com.* quod humorum in articulos influentium motus ad colon intestinum est conversus, & revocatus: si id verum est cur non post dolores colicos humor in articulos referri non potest? itaque novum non est, aut dolorem articulorum, aut paralyses colici doloris esse consectarias. Quidam id intestinorum malum de descensu in scrotum interpretantur, mavult Galenus de dolore colico intelligi. De ea quoque re J. Hollerius, arte medendi & singulari judicio antiquis medendi magistris non postponendus, hoc litteris consignavit; quod autem a veteribus scriptum est colicum dolorem in paralysin transire, id rarum apud nos, familiare vero est Britonibus; cuidam sacerdoti ex dolore colico paralysis quæ colicum dolorem solvit, sed ea superfuit; qui hoc fit ut ab intestinis in principia nervorum fiat humoris recursus: vide an sit vera paralysis.

Non est mihi institutum amplius de paralysi disputare, ampla enim esset materies, & quæ non esset hujus instituti, tria tantum præstabo; primum per capitula proponam ea quæ in Medicorum consilio eram propositurus de paralysi: at non tam paralysis quam relaxatio nervorum & articuli a nobis deprehensa est. Secundo, an quum sub finem morbi paralysis contingit,

(*k*) Passio paralytica.

tingit, num ea a ſiccitate potius ſit repetenda. Tertio, ſi ſub finem morbi contingit, cur non potius contrahuntur articuli quam laxantur?

In toto homine, totaque vita obſervatur καὶ τόνος καὶ λύσις (*l*), conformatio & apta membrorum colligatio, ut corpus unum & continuum eſſe videatur.

τόνος καὶ λύσις in vita obſervatur ut corpus unum & continuum ſit.

Paralyſis ab obſtructione naſcitur, a compreſſione, diviſione, ſeu ſolutione continui: ſic laxatio ligamentorum paralyſeos cauſa eſſe poteſt.

Aliquando ſuperiores partes reſolvuntur, aliquando inferiores, ut crurum & tibiarum; eſt reſolutio quæ σκελοτύρβη (*m*) antiquis vocatur; malum hoc contigit ex pravarum aquarum uſu, in exercitu Germanici Imperatoris; cum ſuperiores partes occupantur, ſi cerebri non eſt ſuſpicio, ad medullam ſpinalem, & cervicem malum refertur.

De hoc affectu in præcedentibus conſil. 8.

Si primæ vertebræ cervicis afficiuntur uſque ad quintam, periculum eſt ne vox intercipiatur. Si quinta, ad manum affectio extenditur, unde apud Hippocratem tremor erat in manibus Pythionis, erat enim collectio in primo intercoſtali, qua parte thorax eſt contiguus vertebris cervicis. Si ergo in quinta malum eſt, abſoluta eſt paralyſis; Si in ſexta, non ſenſu, ſed motu privatur manus. Si ſeptima & octava, thorax afficitur, ſed & quidam digiti reſolvuntur, quoniam nervi ab ipſo cubito & olecrano ad digitos tendunt laborantes.

Part. 1. ſect. 1. lib. 3. Epid. Paullus cap. 18. l. 3. particulares paralyſes explicat.

Cauſa, obſtructio, compreſſio, ſolutio continui.

An ſiccitas paralyſeos cauſa ſit, dubitatur; nam ſub finem morborum corpore emaciato videmus paralyſim quamdam oriri partibus redditis imbecillis, corpore languidiuſculo reddito, compagibus ipſis aliqua ex parte diſſutis & vacillantibus.

An non a ſiccitate potius & imbecillitate quadam hæc laxatio, laxitas, & reſolutio ſequitur.

Vide de Tabē coxaria poſt ſex morbi menſes, in Coacis & Paul. poſt dicetur de ea.

Tertium jam erat ut quæreremus etiamſi ſub finem morborum paralyſis ſequitur corpore ſicciore reddito, cur non potius coarctatio, & conſtrictio ſequitur, non obſtructio, non compreſſio? Ac quod ſub finem morborum, præſertim poſt dolores colicos, aliquid παραλυτικὸν (*n*) oriatur & contingat, illud paullo ante dictum eſt, & recentiorum obſervationibus teſtatius redditum: Et non alienum erit Fernelii obſervationem attexere. *Obſervavimus tertianam, diuturnam, & quartanam in atrocem cruciatum colico immaniorem deſinere, qui nonnumquam & in artuum dolores, & in paralyſim faceſcit*: & eodem capite, paullo ante attulerat hiſtoriam cujuſdam qui cum bilioſæ vomitioni foret obnoxius, ea ſuppreſſa immanes colicos dolores ſuſtinuit: hos ſecuta eſt paralyſis partium quæ ſub capite ſunt, rigores erant frequentes. Idem Fernelius ſcripſit, *alius quivis humor in ſpinæ medulla infixus paralyſim committit; ac ſæpe flava bilis hanc infligit, quum ſub finem intermittentium febrium in ſpinam dorſi ac in nervorum*

De paralyſi poſt colicum dolorem Æg. cap. 18. lib. 3. Fernel. cap. 10. lib. 4. patho. Et apud Hip. Eutychis poſt cholericas affectiones diſtenſionem nervorum

(*l*) Et robur & ſolutio.
(*m*) Scelotyrbe.
(*n*) Paralyticum.

eruralium passus est. 7. *Epid. cap* 1. *lib.* 5. *patho Hæc paralysis post colicum dolorem Pictaviensibus familiaris est. Part.* 29. *lib.* 1. *de artic. Vide libr. Ballon. de arthritide.*

rum origines effunditur; his auctoritatibus & exemplis res facta est multo illustrior.

Nunc autem postremam partem attingam, cur quum morbus longus præcesserit, consumto multo humore & spiritu, pars non constricta potius fuerit quam laxa ac dissoluta: hoc pluribus verbis explicare animus non est, nunc tantum adducam Hippocratis auctoritatem, ex qua hujus rei demonstratio, aut saltem probabilis quædam ratio duci poterit; locus est commemoratione dignus, & tanto viro Hippocrate dignus, qui non ea quæ sub sensum cadunt more vulgi observat, sed quæ reconditioris sunt cognitionis. Sententia Hippocratis hæc est: *Carne expertibus citius & excidit articulus & reponitur quam carne præditis. Minor inflammatio humidis & macilentis quam siccis & carne præditis oboritur*: quia ubi violenta est luxatio, repositio quoque dolorifica est: dolorem sequitur inflammatio & inflammationem adstrictio: ubi mucus adest & carnis inopia, facilis est repositio; hinc dolor nullus, nulla inflammatio, nulla adstrictio, lubricus enim ob mucum redditur articulus, deinde subdit Hippocrates: *Omnino autem mucosiores sunt articuli macilentis quam σεσαρκομένοις*, id est carnosis & carne præditis; *nam carnes eorum qui non recte per inediam extenuati sunt*, Græce λελιμαγχημένοι, *eæ mucosæ sunt magis, si graciles sunt quam si carnosi sunt*, & tunc παχέες (o) dicuntur, *si cum inflammatione mucus subsit per ipsam inflammationem ipse articulus quodammodo vincitur, & ligatur & non multum propter mucum elabitur.* Hæc autem Hippocratis verba paullum a ratione aliena videntur, nam quum quis fit macilentus per febrem, fit consumtio spiritus & carnis: febris enim, ait Plinius, sanguinem consumit, inedia consumit & extenuat, unde aphorismus, corporibus carnes humidas habentibus fames adhibenda, siccat enim corpora. Galenus edito eleganti commentario explicat carnes eorum qui vel fame, vel luctu & mœrore, vel iracundia, vel dolore extenuantur, mucosas etiamnum fieri, quia per ea pathemata ipsis in carnibus fiunt quædam σωτήξεις, colliquationes, & muco liquato opplentur carnes, qui per eam corporis superficiem non difflatur, nec sensibili nec insensibili transpiratu. At quum Medicus diætam instituit & corpus attenuare vult, primum id inedia coercet, deinde frictione, & exercitatione: si aliqua colliquatio contingit, vel per manifestum sudorem, vel insensibilem transpiratum reliquum digerit, sic si qua ex corpore reliqua est humiditas, ea educitur, ni educatur corpus liquatum tumet.

6. Ibidem.

7. Aph. 59. *lib.* 7. *In part.* 30. *lib.* 1. *de artic.*

8. Hic locus dignus est nota, ut disputemus contra eos qui deducto alimento satis esse putant ad consumendos humores superfluos famem præscribere: nam si corpora sunt biliosa, bilis magis effervescit, & æruginis naturam induit: si pituitosa, liquato adipe & carnibus, mucus quidam colligitur qui molestiam infert; at ubi vel exercitatio, vel frictio, vel decoctum conveniens adhibetur, foras digeritur & egeritur quod dilapsum ac colliquefactum erat.

9.

Antequam

(o) Crassiores.

Antequam ad umbilicum res deducatur, quoniam de relaxatione articuli humeri ipsius dictum est, duo breviter attingentur; prius de muco, quid sit, ubi sit, & quarum partium sit, & an facile consumatur: posterius relaxato articulo an pars tabescat, an crassior fiat, an non, ut otiosis contingit.

Variæ de mucoso excrementi quæstiones.

10.

Mucus & partium carnosarum & nervosarum esse videtur ex textu superiore, & tamen Galenus videtur detrahere partibus ipsis carnosis: *Caro*, ait, *non propria sui ratione fit mucosa, aut alia pars sanguinea, sed proprium excrementum est quale in affectionibus rheumaticis* (διαθέσις ῥευματικὰς vocat) *& in jecorariis excretionibus*, Græce τὰ διαχωρήματα ἡπατικὰ: *frequenter in ossibus & cartilaginibus & membranis apparet, raro in carnibus, hic mucosus humor, aut ex communicatione quam cum illis partibus habet, aut ex copia succi qui in illud confluit*; quum pituitosus & mucosus humor ibi collectus est, hic ægre exinanitur, quum nec perfusionibus, nec cataplasmatis, nec medicamentis attrahi, aut discuti queat.

Nomen hoc διαθέσεως ῥευματικῆς (p) *potest explicari ex c. 4. l. 1. de locis affect. Ex hoc loco apparet, cur morbi membranarum, cartilaginum & partium nervosarum vix elidantur; mucus enim nec facile coquitur nec discutitur.*

Posterior pars est, an si pars luxatur & excidit, extenuatur; quum contra alis appareat obesior, crassior, & tumentior. Aphorismus sic habet: *Queis coxendico dolore affectis coxa excidit & incidit, muci superveniunt*, in Græco ἐπιγίνονται. At quum mucus præcedat laxationis & luxationis causa, melius legitur ἐγγίνονται αἱ μύξαι, id est in acetabulo ingenerantur muci, nisi pro eodem utrumque verbum sumatur, & quamquam quum laxatio contingit & facta est, mucus etiam denuo ingeneratur, tamen ante genitus erat; sic in primo erat τὸ ἐγγίνεσθαι (q), in posteriore τὸ ἐπιγίνεσθαι (r) per causæ morbificæ productionem: item apud Hippocratem est alius locus de tabe coxaria quæ post morbum semestrem contingit: *Quibus sæpe recidiva facta est si sextum mensem excesserunt facile in coxariam tabem incident*: id fit quum humor contumax vix & ægre exclusus venis in articulum magnum & latum decubuit, ubi qui calidiore loco coqui nequivit, ægre concoquetur, *cetera ad demonstrationem ejus rei in Coacarum comm. apud Hollerium*: nam dubitare quis posset num necesse sit a venis & reliquo corpore ad articulum humores confluere, an non diuturnitate morbi carnes circum articulos liquentur, hinc mucorum proventus, hinc laxitas, hinc exitus ossis e suo loco consequitur.

11.

9. & 60. l. 6. s. In Coacis. Pars mucoplena aut ob venarum fluxum, aut carnium vicinarum σύντηξιν (s).

12.

Caro autem crurum, aut tibiarum in luxatis tabescit, licet, πρὸς τὴν φαντασίαν (t) mole quodammodo tumidior esse videatur. Et Galenus tria considerat in elapso articulo, ut non fiat nutritio, inde tabes sequatur; Articuli e sua sede emotionem: ineptitudinem ad usum: otium; otii nomine omnia concludi possent, nam pars otiatur, & quia suo loco dimota est, & quia ad usum inutilis visa est, inde iners pars manet. Quare ergo non nutritur? Notandus est Aristotelis locus, quo docet corpus nostrum continuum, aut aliquando contiguum esse: & ratione ipsius continuitatis vasorum fit in omnes partes divisio & partitio; nulla vena seor-

Cap. 9. l. 2. de part. anim.

(p) Dispositionis rheumaticæ.
(q) Illud quod est generari.
(r) Illud quod est supergenerari.
(s) Colliquationem.
(t) Ad phantasiam.

ſim per ſe eſt, ſed omnes pars ſunt unius; ſi os ſeparatum eſſet, officio non fungeretur; vena etiam ſi qua ſeparata foret, nec ſuæ origini continua tenderet, ſuum ſanguinem ſervare non poſſet: calor profluens ab origine facit ne gelet &c. Ergo in relaxatione ſumma, non mirum ſi partes emacientur. Et ſi quædam ſuperficies carnoſa tumentiorque apparet, vera caro non eſt. Quum quis exercetur & fricatur, is fibrarum ſubſtantiam pleniorem habet, carnis tenuiorem, ſed validiorem: contra non exercitati fibras graciles habent & carnem multam, ſed mollem præ humiditate; eſt enim iſta caro caſeis qui coagulantur ſimilis, exercitatorum vero integre coagulatis: plura vide eo loci ad hanc tractationem valde conferentia.

Comm. ad part. 81. l. 3. de art.

Atque ut tandem ſcribendi finis fiat, conſideret Medicus an ſit extenuatio omnino facta in iis, qui aut paralytici fiunt, aut quibus relaxati & exſoluti ſunt articuli (longe enim intereſt); an proluantur neſcio quo muco liquatis carnibus, & non excuſſo digeſtoque eo quod liquatum eſt: tunc enim falſa opinione extenuationis & maciei, & maraſmi non induceris ut omnino a ſudorifico abſtineas. Huc enim pertinet hiſtoria memorabilis apud Galenum de quodam qui cum tophos & πορώδές τι (*u*) in renibus haberet, uſus eſt medicamentis attenuantibus eo uſque, ut digitos ægre mobiles haberet & quiddam cavum ſonantes præ ſiccitate; Medici id obſervantes, non habita ratione victus qui præceſſerat, ad remedia paralytica impendio magis calefacientia ſiccantiaque confugerunt, nil profectum eſt, immo magis malum ingraveſcebat. Melior habitus liberaliore victu reſtitutus eſt, reſtitutaque & ſanitas eſt & motus digitis eſt reſtitutus, indeque τέκμαρσις (*x*) medendi elicietur ut motus & ſenſus deperditio, aut depravatio aliqua aliquid παραλυτικὸν (*y*) portendens non tam corporis extenuatione opus eſſe quam refectione edoceat; alioqui multi hic errores committerentur.

Obſervatione digna in cura paralyſeos. Hiſtoria Gal. notanda.

Quoniam pravo utitur victu æger juſſus, & (aut maturandæ ſanitatis ſpes tenuis foret) monitus ad alium ſeſe convertere. Purgatio ex ſolemni ſyrupo eſt inſtituta; uſus decocti chinæ cum guajaci medulla interiori, additis paſſulis & glycyrrhiza: maſticatoria, errhina, pyrotica ad ſuturam coronalem; frictiones, litus ex balſamo parato ex herbis nervalibus conciſis & in oleo hypericonis per dies aliquot ad ſolem objectis, deinde igne lento coctis, addito vino, maſtiche & terebenthina, totoque expreſſo in oleum eliciatur; fotus ante cum ſpongia in ſimilium herbarum decocto macerata; his peractis admotum eſt emplaſtrum, ex emplaſtro ad fracturam oſſium, contra rupturam, deſiccativo rubro admiſto pulvere ſalviæ; denique cantharidum pulvis admotus fuit humeris, & brachio: ſero multo evacuato reſtitutus eſt, magna ex parte, id quod obſervatione dignum eſt, declaravitque curatio quodammodo temeraria, quam vere de cauſis tanti mali cogitaverimus.

Curationis capita.

ANNO-

(*u*) Quidpiam calloſum.
(*x*) Cognitio per ſigna ſyllogiſtica.
(*y*) Paralyticum.

ANNOTATIONES.

1. *Qua ratione in dolore capitis, immo in hemicrania vinum conferat (id quod præter vulgarem opinionem est) somnum conciliando, ideoque humorem coquendo Galenus* com. in part. 5. sectio 6. lib. 6. Epid. *item eo loco experimentum facit quomodo jejuno ventriculo vinum datum noceat.*

2. *Ita Mesuæus* capite de paralysi *vinum in paralysi vitetur, nam facit penetrare materias ad nervos quæ non penetrarent, est inimicum nervis & oculis, ipsius abusus est causa morbi ipsorum.*

3. *Conjectura hæc nostra est, ut plus subeundo vinum fundat, & liquet quam foras digerat: at medicamenta hydrotica fundunt & digerunt.*

4. *De paralysi post colicum dolorem Paulus Ægineta caput scripsit* ad finem 18. cap. lib. 3. *& Ballonius* in lib. Epist. medicinalium.

5. *Hic dicimus paralysin sequi post colicos dolores & sub finem morborum, quod Fernelius explicavit ample locis citatis.*

6. *Ad hunc locum facit* probl. 5. lib. 1. *Aristotelis, cur utentibus pravo cibo & inediam patientibus pedes intumescant? tabescunt & intumescunt, ut fit in cachecticis: primum intumescunt, deinde exarescunt.*

7. Μύξα *Mucus dicitur, est autem substantia quædam lenta, glutinosa, quæ proprie in ossibus, cartilagine & membranis congeritur: improprie autem in carnibus: vide* com. ad part. 66. lib. 3. de art. *huc pertinet id Hippocratis* lib. de loc. in homine: mucus omnibus a natura est, quum purus fuerit, articuli sani sunt & bene moventur: labor & dolor fit quum a carne humiditas fluxerit vitiosa.

8. *Vulgo dicitur per inedias ventrem biliosos & acres humores ad se attrahere: unde apud Hippocratem* 4. de morbis *ventriculus vacuus fruitur corpore colliquescente: idem pœne* com. ad aph. 50. lib. 6.

9. *Calor appulsu novi alimenti recreatur; sed quum defectu novi cogitur mendicare aliunde ac veluti resumere dimissum alimentum ac remandere revocatum, tunc fatiscit & corpus magis ac magis collabitur, unde in febribus prout sunt gradus purgationis, ita & renutritionis.*

10. *Horum demonstratio petenda ex* com. ad apho. 39. lib. 5. *ubi docet excrementum (loquitur maxime de naturali) habere humorem similem naturæ partis, ut sanguis in hepate est, & in articulorum compaginibus humor glutinosus.*

11. *Quod hic humor mucosus sit proprius membranarum & nervosi generis, apparet ex principiis ipsis generationis; nam Hippocrates* lib. de carnibus *docet alias partes ex pingui esse, ut ossa; alias ex glutinoso, ut membranas & nervos, alias a sanguine ut carnes.*

12. *Aristoteles* probl. 5. lib. 1. *docet per famem & inediam & ob pravum victum pedes intumescere; quia corpus tabescit, qui locus huc pertinet.*

CONSI-

CONSILIUM LXXXI.

Pro Domina de Roissy ischiadicos dolores patiente.

APpetente vere & humoribus quasi vernantibus dolor ad ischium sinistrum acerbus, non vera tamen ischias, sed incipiens, ni malo occursum fuisset, his capitibus breviter res tractata est.

Morbi nervosi generis, ex parte humoris & subjecti curatu difficiles.

Morbi nervosi generis de apicibus artis sunt ob curandi difficultatem ex parte humoris & objecti, seu subjecti corporis.

3. causæ in genere, fluxio, congestio & colliquatio.

In humore consideratur modus quo dolor movetur & natura ipsius.

Modus aut per modum fluxionis a superioribus in inferiores partes, a nobilibus in minus nobiles, aut per congestionem in parte jam imbecilla: tertium modum addo ex Galeno per colliquationem quamdam in carnibus ipsis, quam colliquationem non sequitur digestio foras ut fit in senibus, qui colliquantur & dolent.

Duæ forte huc concurrunt, fluxio & fusio humorum in ipsis carnibus & musculis, unde rarefactio, & diminuitur caro musculorum: unde apud Hippocratem τὸ ἄσαρκον καὶ ἄλιον κέλος (z) vocatur, *demusculatum* interpres vertit.

2. de nat. hum. hic locus est notandus.

Cavetur ne humor a parte robusta, aut ignobili in imbecillam & minus nobilem repellatur, præsertim hæc methodus servatur; contra Hippocrates & Galenus sentit, humorem enim tuto ajunt regeri posse in fortiores & nobiliores, utpote quæ quum viribus polleant, his usæ humorem coquunt & mitificant.

Ratio posterior de liquatione humorum, & carnium casu in senibus (ut dictum est) cernitur; diffluunt enim carnes circa ossa & tabent; hinc dolores.

In Timæo. Ad part. 66. l. 3. de articulis docet Gal. quale sit excrementum nervorum, ossium, cartilaginum, & quam ægre coquatur, digeratur & evacuetur.

Humor qui aut arthritim, aut ischiadem facit, ambiguus est; de ischiade raro a sanguine, Galeno a bile & pituita mixtis sæpe, hinc illud Platonis: pituita acida & salsa fons est affectionum καταρροϊκῶν (a); si frigidus, aut calidus humor foret, per simplices qualitates oppositas vinceretur: at istæ secundæ qualitates non habent ita contrarium, unde quod remedium nunc juvat, mox idem lædit & Medicorum opprobrium morbus hic dicitur, & cæca origo ejus paullo videtur.

Medicamenta per os sumta initio non ita conferunt, præsertim si sint μοχλικά, hoc enim therapeuticum præceptum, quæ per interiorem ventrem fiunt evacuationes, fluxiones fere in partes vicinas commovent.

Sacculi ex furfure, fotus, enemata, adstringentia lumbis, detractio sanguinis e brachio, non ligare tibias, non impingere materiam in articulos:

(z) Non carnosum, excarne, inane. (a) Catarrhalium.

los: usa est clysmatis, axungia porci lauta in aqua vitæ, cataplasmatis, ceroneis non valde calefacientibus, vesicis suillis lacte plenis, brevi Dei beneficio convaluit.

Gal. 9. sec. locos loquens de priapismo.

Sed plurimum adjuta fuit ceroneo sequenti.

℞. *Diachyli albi ireati, unc. iiij: gummi pini, picis navalis, benzoini, ana, unc. j: ceræ novæ unc. jß: dissolve lento igni, adde emplastri de meliloto & de mucaginibus, ana, unc. ß: cum oleo chamæmeli, & terebenthina fiat cerotum.*

CONSILIUM LXXXII.

De stranguria, dysuria & ischuria.

D. Deliure circa mensem Majum modo stranguria laboravit, modo dysuria, ischuria aliquando, purulentum minxit, limpidum, τὸ μυξῶδες, tunc dixisses vere φλέγμα πυῶδες, aut τὸ πύον φλεγματῶδες (*b*); sanguinis concreti grumi excernuntur; denique abominanda erant omnia quæ per urinam, & cum urina excernebantur; hypochondrium sinistrum efflorebat & intumebat; splenem laborare & induruisse suspicabantur, foris & intus Medici utebantur remediis respicientibus lienem; interea ren sinister coafficiebatur, & jam calefactus fotibus splenicis & decoctis vicinia ipsa lædebatur; de eo ægroto hæc tria notanda: Primum temperamentum biliosum valde, hepate intemperato: secundo ante annos 25. de lumborum dolore querebatur: tertio, gonorrhœa aliquando laborarat & dum gravia symptomata & dolores pateretur ad partes urinarias, renes, vesicam, etiamnum Medici splenem curabant, rati forte eas urinas vitiosas indices esse exonerationis ipsius lienis; non raro enim id contingit: Ideo formulæ remediorum similiter pariterque dicabant operam & reni, & spleni. Sic forte paullum temeraria fuit medicatio, (pace Medicorum dicam, a more enim meo alienum est quemquam sugillare, ne dum artis nostræ magistros & officii societate consortes & collegas) quia quod spleni consulere poterat, renem laborantem lædere poterat. In excretione observatur materia, & modus excretionis.

Materia & modus excretionis observatur.

Si hoc, vel illud totum renale est, & successu temporis urinariæ partes mittentes, ducentes, excipientes laborarunt.

Materia.

Excretio multiplex qualis affectis renibus esse solet, ideo fallaces sunt in renalibus; urinæ materia, pus, sanies, tabum, urina tenuis, crassa, mucosa, ulcus renis antiquum notant: mucosa bifariam, aut ob pituitam purulentam, vel pus pituitosum; hinc excretio mucosa, & ob quoddam ulcus fit sæpe talis, vel quod partes membranosæ spermaticæ jam dissolvuntur, aut tale proprium excrementum colligunt & excernunt, id quod Galenus docet *libris de articulis.*

Ea urina mucosa, aut calculum in vesica significat, autoris vesicæ ulcus, aut veterem affectionem

(*b*) Pituita purulenta, aut pus pituitosum.

vesicæ ad part. 66. l. 3. de art.

Tertia ratio ob peculiare vitium parastatarum, ut in iis qui gonorrhœa laborarunt, vel calculum in vesica habent.

Modus.

Nunc de modo: modus est stranguriosus, qui senibus est familiaris ob pituitam salsam; dysuria est alias ob infarctum & obstructionem & humorum confluxum in partes urinarias. A splene stranguria quædam esse potest: at nec tam facile nec tam diuturna est. Sic hic renes accusandi sunt omnium judicio: & tamen splenica sunt data toties; hic lien, fateor, laborat ut signum, non ut causa; quia quibus lien efflorescit, iis corpus extenuatur & docet male administrari œconomiam naturalem; ut signum, & ministrat materiam ob viciniam: immo rem potest quadruplo major esse etiam consumta carne, & facere opinionem tumentis splenis, id quod observavimus.

Gonorrhœa quæ olim præcessit maxime in causa & relinquit in lumbis dolores & querelas: item symptomata memorata facile inducere potest affectis viis urinariis, stranguriam & dysuriam.

1. *Aquæ naturales. Purgatio.*

Laudo usum aquarum naturalium, offendunt tamen siccatos & emaciatos, tamen si ulcus renis in causa est, ab iis non desistendum: curato ulcere tabes & marcor desinet, balnea conferent, purgatio ex lenitivo, phlebotomia frequentior ex basilica sinistra valde proderit; si hæmorrhoides sese offerant excipiantur.

Si suspicio carunculæ in urethra, huic consulatur quadrantibus remediis, injectiones fiant frequentes.

2. Lac asinæ & mane & vesperi, ni hypochondrii affectio dissuaserit, sed experiundum.

Hydromeli probo, fugiatur oxymeli præscriptum, & diuretica detergunt, fundunt & ardorem urinæ cient.

Nec probo splenica nimis detersoria, nimis sanguinem detergunt sero detracto, & venas aperiunt.

In suppressa urina succus amygdalarum dulcium; supradictum hydromeli parabitur etiam cum herbis vulnerariis, non multum calefacientibus & aperientibus; conserva rosarum in bolo & potu.

ANNOTATIONES.

1. *Quum æger olim Gonorrhœa laborarit, videndum num etiam hydrargyrosim passus sit, aquarum enim naturalium usus (maxime earum quæ vitriolo imbiuuntur) nociturus esset: nam dicuntur nocere iis qui uncti fuerunt in lue venerea; ratio est quod odium intervenit chalchanto, quo illæ aquæ imbiuuntur & argento vivo; quod a chalchantho dicunt cogi, coerceri, & colligi, unde postea id argentum vivum magis vires exercet in partes & eas corrumpit.*

2. *Lac in magnis doloribus, idque recens mulctum, dolorem mitigat, ardorem temperat, ulcera abluit, deterget, illinit intestina, solida roborat, vim acrium humorum obtundit, eorumque malignitatem reprimit; nec terreri oportet initio si obsit, perseverandum, experientia docet, fit enim ut tempore lac refrenet, & contemperet cacoëthiam & pravitatem humorum in corpore turgentium,*

gentium, sic Hippocrates 2. de morb. mul. *exhibet in fluxu muliebri bilioso lac asininum, aut serum, ea tamen cautione ut lienosa non sit mulier, aut flatuosa exsanguis,* ἢν δὲ ἢ φύσει σπληνώδης ἢ πνευματώδης λείφαιμος μήτε ὄρρον μήτε γάλα πινέτω (c), *ideo non abs re observavit auctor lac asinæ minime profuturum præsente aliqua hypochondrii affectione, puta tumore, obstructione, aut duritie.*

CONSILIUM LXXXIII.

Ad fluores muliebres pro D. Præposita.

RAtio victus perneceſſaria in primis, diligentiſſime corpus purgandum, alias decocto foliorum ſennæ mundatorum cum pimpinella, plantagine, betonica, bugula, ſanicula, meliſſa, radice oxalidis, adjicitur & rheum & ſyrupus roſarum pallidarum.

Aliquando convenient pilulæ tempore frigidiore.

℞. *Pulveris hieræ picræ, ſcr. ij: rhei, ſcr. iiij: maſſæ pilularum ſine quibus, dr. j: pulveris ireos florentinæ & caſtorei, ana, dr. ß: ligni aloes & pulveris guajaci, ana, gran. viij: fiet maſſa: poſſunt addi trochiſci de camphora, ladanum & agaricus.* Pilulæ.

Aliquando deglutiat vel in forma liquida dr. ij. terebenthinæ, vel in pilulis cum pauca maſtiche & ſaccharo.

Tabellæ triaſantali triplo, aut quadruplo rhabarbari: addatur crocus martis vel chalybs ipſe præparatus, aut rhabarbarum conditum cum ſyrupo violato; ſectio venæ: ſi ſanguis impurus, audentius erit ex utroque brachio demendus. Tabellæ.

Fiat aqua ex maceratione rhei qualis datur puellis; decoctum fragariæ, aut ſarſæparillæ, aut chinæ addito cinnamomo: pulvis terræ ſigillatæ ex luteo ovi. Ambra griſea ex eodem luteo. Conſerva roſarum in frequentiſſimo uſu, addi poteſt bolus, aut terra ſigillata.

℞. *Pulveris electuarii diatragacanthi frigidi & diaireos, ana, unc. ß: coriandri conditi & fœniculi conditi, ana, dr. j: quatuor ſeminum frigidorum majorum & papaveris albi, ana, dr. j: boli armenæ, & pulveris electuarii, diarrhodon abbatis, ana, ſcr. j. pulveris chalybis præparati & tartari præparati, ana, dr. j: ſacchari roſati, unc. vj: raſuræ eboris, unc. ß: fiat pulvis.* Æſtuarium confert, ſed maxime aquæ Spadenſes aut Nivernenſes. Pulvis.

Sed & ſarſæparillæ, aut ligni indici, aut chinæ decoctum maxime profuturum profitebor.

An ad fluorem muliebrem balneum utile, ut ad alvi profluvium, ex Galeno dubitari poteſt.

Saccharum candum valet, pulvis radicis pentaphylli & lignum rhodium.

(c) Mulieres natura lienoſæ & flatuoſæ, exſangues, neque ſerum, neque lac bibant.

CONSILIUM LXXXIV.

Pro Jacobo Memmæo raucitatem conquerenti.

Animi pathemata alterant vocem, & in viribus & in qualitate.

AD ea ſymptomata, de quibus querela eſt, remedia quidem medica non negligenda, tamen hic ægritudo potius eſt quam ægrotatio, ſic ab animo potius repetenda ſunt quam ab arte quod ad has miſerias occalluiſſe jam debet: iſta enim ægritudo non ſolum miſeria eſt, ſed eſt carnificina, tabem enim affert, cruciatum, fœditatem, lacerat, exeſt animum, conficit. Omnis medela animi præſentia. Vitia vocis ſenſim atque ſenſim accreſcunt, nec ſolum contumelias injuriaſque aëris ſequuntur & humores, ſed animi pathemata, quæ omnes naturæ actiones pervertunt. Ideo Claudius apud Suetonium vocis modulandæ corrigendæque ergo muſicæ ſtudium amavit, meditabatur, exercebatur, clyſtere vomituque purgabatur, pomis, & officientibus abſtinebat, & blandiente profectu tandem prodiit, pronuntiabat dulci & proprio oris ſono. Auguſtus dabat operam phonaſco qui vocem leniret, ac remitteret. Quibus patet moderatis actionibus corporis & animi, animique tranquillitate calorem naturalem foveri, pulmones temperari, vocem quoque pro rauca & fuſca, levem reddi, & canoram. Caſſia lingenda, aliquando in bolo deglutienda, habeat paratam confectionem de Rebecca Venetianam, conſervam roſarum, & de floribus ungulæ caballinæ, glycyrrhizam mandat: pugillus aut bugloſſi, aut bipinellæ quum privatim cibum capiet in vino macerabit. Paſſularum uſus ſi reperiuntur. Manna ſi habetur cum carnium decocto. Succus amygdalarum dulcium.

Purgatio. 2.

Tabellæ.

Tabellæ aut hypoglottides.

℞. *Pulveris electuarii diatragacanthi frigidi, dr. vj: electuarii diaireos, dr. iij: [illegible], dr. j: raſuræ eboris, cornu cervi, ana, dr. ij: conſervæ roſarum, ſcr. ß: cum ſaccharo in aqua roſarum ſoluto, adjecto pauco diatragacanthi frigidi & tantillo cinnamomi, fiant tabellæ vel formulæ.*

Valebit & linctus mellis puriſſimi, ſumere ficus vel coctas, vel crudas: prodeſt & melicratum, terebenthina linctu ſumta ſi ingrata nimis non eſt; ſyrupus de glycyrrhiza, pomatium, uſus ptiſanæ.

ANNOTATIONES.

1. *Ita animus mœrore percellitur ut corpus ſuſtinere nequeat ac velut ſequatur omnium membrorum ruina, ait Donat.* in Adelph.

2. *Confectio de Rebecca expectorationem juvans, ſic parari ſolet Venetiis.*

℞. *Glycyrrhizæ, minutim inciſæ, unc. jß: radicis ireos florentinæ, dr. ij: infunde in aqua roſacea duos dies: coque in lib. j: ſacchari cum gummi tragacanthæ, fiat baculus ad uſum.*

CON-

CONSILIUM LXXXV.

Pro D. du Breuil cephalalgiam patiente.

NOS ex ſcripto Medici nonnihil ſubolfecimus de morbo dominæ jam ſemeſtri capitis dolore affectæ & afflictæ, ſubolfecimus quidem non intelleximus, quia adeo jejunum ſcriptum, ſterile & ab artis imperito profectum, ut rem tantum attigerimus, id quod in re quæ eſt tanti momenti & tanta perfunctorie agendum non fuit; nam aut actum agemus, aut re non intellecta periculum ægræ creabimus more eorum qui ad ſcopum non viſum collimant, ut quo fors tulerit tela ſcopum alludant, non feriant, itaque domeſtici Medici imploramus ingenium & ſollertiam qui ſolus rem acu attinget. Nos videmus melancholiæ in cerebro fixæ jam ἐν τῇ ἕξει (*d*) exſiſtentis magna eſſe argumenta. Quo malum immedicabilius eſt, lejentericus fluxus œconomiam naturalem fatiſcere declarat, & ni nos Medicus ab ea opinione retraxerit, eam ſequimur ſententiam, nec ſuis patrociniis deſtituta eſt: candor dominæ laborantis morumque ſuavitas debet nos pellicere, hortari, immo cogere ut tantam mali acerbitatem aut tollamus, aut levemus; tollere ἀδύνατον.

Exſtat enim illud Hippocratis oraculum: *Quibus dolores ſine manifeſta cauſa fiunt, diuturni in toto capite, & debiles fiunt gracileſque, his prædicendum morbum priore graviorem eſſe &c.* Vide plura apud Hippocratem ad hanc ægram accommodanda, item illud eodem in loco: *Qui a multo tempore apparent & facies ſubtumida, eos capite dolere ſcias &c.*

Interea blando uſu rhei ægræ conſulatur; item pilularum de hiera cum pulvere diamargariti frigidi: opiatæ corroborantes valent; apertio venarum frontis, aut arteriarum ſi dolor urgeat, præcedat tamen apertio venarum brachii & hæc pro virium modulo, cœlo benigniore; fotus capitis ex malacticis addita ſenna; ſed amica conſolatione fibræ illius ægritudinis quæ jam altius radices egerit, ſunt elidendæ, & ſi qua ſunt quæ ejus animum exaſperare poſſunt, ea notitiæ ſubſtrahere oportet.

ANNOTATIONES.

1. *Morbi* (*ait Seneca* in Epiſt.) *aut ſunt longi, aut præcipites: longi dant intercapedinem & refectioni locum atque inducias: breves autem & præcipites citiſſime aut exſtinguunt, aut exſtinguuntur.*

2. *Ægrotantis animi Medicus eſt ſermo, ægritudo autem non ſolum eſt miſeria, ait Tullius, ſed etiam carnificina, exeſt animum, corpus conficit & tabem inducit facile, dein vero experientia verum deprehendere licet eos*

(*d*) In habitu.

quos animi ægritudo & tristitia in morbum conjecit, tamquam primaria ac externa causa, aut lethaliter, aut gravissime ægrotare: vix enim ægri, si liberari debent, etiam rebus omnibus rite factis & administratis, liberantur.

CONSILIUM LXXXVI.

Pro muliere Carnotensi febre lenta laborante.

Omnes congeneribus temperiei suæ morbis prehenduntur. Gal.

I.

SPecies febris consideranda primum, dein tempus quo nata est, denique procatarcticum. Omnes facile prehenduntur morbis suæ temperiei propriis. De externa causa ægritudo fuit morbus animi amissis liberis, mulier autem ob infirmitatem judicii facilius altius afficitur, & ob mollitiem corporis, nec enim ei adest ad resistendum facultas: de animo mulierum notandum illud Galeni: *cum vitale robur infirmum est, animi vero pathemata valida, facile animi essentia dissolvitur*, hinc iræ, hinc odia, & iræ quidem lenibus de causis, quia animum qui bene & præclare (ut loquitur Comicus) gubernat, mulieres ipsæ infirmum gerunt: de animo hactenus, de corpore nunc, illud est Hippocratis: *qui sunt blæsi linguaque hæsitant, patiuntur morbos fortiter melancholicos*, quia cerebro ut molliori & effeminatiori facile imprimuntur fuligines & tetri vapores ab æstuantibus visceribus, a pulmone præsertim excitati.

1. *Epid.*

Ut ad morbum animi reditus sit, tanta est vis ægritudinis ut œconomiam naturalem perturbet; declarat ob mœrorem febris hectica quæ primo prehendit, quod alias successu temporis evenit; mœror uno quasi ictu plus facit quam humores, qui longas febres procreant.

τῆ ποιητικῆ & ἐπιδεκτικῆ (e) habenda ratio in morbis. Hinc Aëtius convalescentes melanagogo purgandos esse dicebat. Hic dolor a pastu vel est notha colica febres longas sequi solita vel proprius hypochond.

Tempus vernum favet quod salubre est, quodque si recipit corpus sanum, illud in eo statu conservat, ait Galenus: hic non tam efficientis quam suscipientis causæ ratio habenda; at hoc anno efficientis causæ magna fuit vis, ver enim siccum fuit & aquilonium; at quum tempestiva tempestive non fiunt, morbi fiunt inconstantes & difficilis judicii; dein habenda quoque ratio suscipientis causæ: nam licet *per aphor.* quartanæ in æstatem incidentes sint breves, contra fit si lien sit infirmus, ait Hippocrates.

Species, febris erratica & in morbis longis humor maxime melancholicus gignitur pro reliquiis febris, dolor a pastu in ventre: tussis quæ a splene esse potest, denique id totum hypochondriacum, ideo clysmi laudantur: cathartica blanda, balnea, phlebotomia, syrupis Regis Saporis; fotus, limatura chalybis, tabellæ triasantalon cum rheo.

(e) Causæ efficientis & causæ suscipientis.

ANNO-

ANNOTATIO.

1. *Huc alludit Aristoteles dum ait*, omne imbecillum natura querulum esse. *Et Seneca* lib. 2. de ira, Senes, *ait*, difficiles sunt & queruli, ut ægri & convalescentes, & quorum aut lassitudine, aut detractione sanguinis exhaustus est calor. *In eadem causa sunt siti fameque rabidi & quibus exsangue corpus est maligneque alitur & deficit: eamque ob causam iracundiores sunt valetudine, aut ætate fessi. Vetus proverbium est a lasso rixam quæri: denique quibus quavis ex causa corpus infirmum est, iis animi pathemata valida sunt.*

CONSILIUM LXXXVII.

De tinnitu aurium.

MOrbi cerebri, quum magni sint momenti, curatu sunt difficiles & difficiliores fere quam cognitu. Et ideo Hippocrates naturam diligentem in conformatione cerebri & ejus repurgatione statuit, ut vel supra, vel infra, vel intra modum repurgetur.

Tribus de causis curatu difficiles sunt, quia princeps pars, quia locus angustus, & ut dolor in angusto major est, ita ægrotandi & dolendi causa conclusa est: tertio quia pars facile inæquali intemperie laborat ob dissimilem temperaturam parenchymatis cerebri & ardorem arteriarum; cerebri ἀναισθησίαν (*f*) pene, contra nervorum, & membranarum sensum exactum; hinc symptomata cephalalgica, cataphorica, catarrhoica & paraphorica. Jam vero agitur de strepitu sonituque & tinnitu auris, in quibus essentia consideratur ex causa, loci natura, facultatis robore. Omnia hæc cruditatis & flatulenti sunt soboles spiritus: sunt symptomata læsæ auditionis; quod in oculo cæcitas, hebetudo & error, id est surditas, tinnitus, sonitus in aure: differunt tamen, bombus enim exsolutionem partis cerebri, unde vis audiendi manat, sequitur.

Dolor in angusto ait Senec. ideo aurium, dentiũ, dolores sunt atrocissimi.

Bombus ut a tinnitu & sonitu differat.

Ceterum hæc vel ex acuitate sensus, vel vitio instrumenti, vel per se in cerebro, vel a partibus subjectis, primario, vel secundario.

Per se continuus est; tamen affectio quæ initio erat per sympathiam, tandem per protopathiam fit; causa in ægro fuit externa, sed eam juvit facile dispositio partis corporis & humorum: at vero Celso auctore valetudinarii vivunt, qui corporum suorum robora inquieta agitatione & vigilia minuere solent, & Hippocrates: pertinax vigilia cibos crudos & ἀπέπτους (*g*) facit, quod huic ægro contigit, nam & cacochymus est, & pertinaci studio ipse inquies & assiduus inhæret.

Tertio

(*f*) Insensibilitatem.

(*g*) Incoctiles.

Tertio ulcus fuit in aure ab inflammatione; ab inflammatione autem vel abſceſſu, malum.

Obſervatione vero dignum eſt facultatem corpus noſtrum diſpenſantem, ſeu naturam, ita in corpore omnia temperare ut harmonia quædam ſequatur, & omnium actionum integritas: contra fit ſi quid intemperatum, inæquale, anomalum, & maxime ſi partes contrario temperamento præditæ. In hepate & ventriculo id fit, item maxime in cerebro, hinc vertigines, palpitationes cordis, tinnitus, ſonitus aurium, & tamen natura cerebrum frigidum eſt, immo ab Hippocrate frigidi & humidi ſedes, & metropolis dicitur.

Tinnitus in iis ſymptomatis numeratur, quæ in affectione corporum conſiſtunt, ut colorum mutatio ad viſum refertur, ita ad auditum tinnitus: differunt tamen in hoc, nam ſi ad affectum ſimplicem referuntur ab actione læſa ſunt; ſi ad actionem læſam proxime a morbo pendet, ut ſoni, vel ab anguſtia, vel a flatibus. In tinnitu flatus eliditur, & interrumpitur, quod facit materiei tenuitas, robur facultatis, anguſtia loci. Bombi cauſa flatus craſſior bombilans more apum, & fere eſt ab exſolutione quadam partis illius cerebri a qua vis audiendi derivatur, ut ante dictum.

Ad tinnitum præcedentem, in juvene cacochymo cerebrum ſtudio pertinace fatigante, jam abſceſſum auris paſſo, cum magno judicio ſeſe gerere oportet, quod impuritas eſt ſanguinis & in toto corpore & in cerebro maxime, præſertim vero quod in ea familia facile congeritur putre & indomitum ſerum, quod eam valetudinariam efficit. Decreto Medicorum, & exacta purgatio, detractio ſanguinis, balnea, & decoctum ſudorificum eſt inſtitutum a quo bene feliciterque habuit.

CONSILIUM LXXXVIII.

De cachexia pro uxore Gaii.

Et quoniam intemperantia pravuſque victus fœdum hunc affectum inducit; ſunt autem morbi ſupplicia luxuriæ & intemperantiæ: vide Senecam Epiſt.1.lib.15. 2. Comm. ad aph.57.lib.5.

IN hac ægra partim ſe prodidit nobis ægritudo, partim ægrotatio, ut jam languor quidam eſſe videatur: ac ægritudo quidem, quoniam animo ſibi multa finxit, quæ efficiunt ut animus ſit inquies & irrequietus, & quum mulier ſit, ob mollitudinem corporis & animi judiciique imbecillitatem, altius ſe penitiuſque imprimit ægritudo, juxta illud Galeni: *Quibus vitale robur infirmum eſt, animi vero pathemata valida, iis animæ eſſentia facile diſſolvitur*, ut paullo annotavimus.

Ægrotatio in hoc quod febris lenta, dolor capitis hemicranicus, lentitudo corporis, deturpatio coloris, & pro vivido & nitido pæne ſubviridis, & cum virore pallidus, menſes decolores, denique cacochymia, quam proxime ſequitur cachexia a pravo corruptoque ſanguine, quo tantiſper

tisper partes fruuntur, & aliter fit quam in ἀτροφίᾳ (*h*), quia nutritio non fit: hic vitiosa nutritio per labem alimenti, sive externi, sive interni, unde Galenus etiam in cachexia sanguinem suam servare συμμετρίαν (*i*) ait, licet corpus eo gravetur, sed suam symmetriam quidem servat τῷ πλήθει (*k*), id quod omittitur in textu Græco.

Hunc morbum & σωνδρομὴν (*l*) horum Hippocrates expressit miro modo. *Quibus colores, dum juvenes sunt, pravi sunt & longo tempore, non ad modum icteri, hi seu viri seu feminæ capite dolent, lapides & terram comedunt & hæmorrhoidas habent*, quæ omnia concurrunt in hanc ægram, pravus color, diuturnus dolor capitis, pica, hæmorrhois; hæmorrhois autem in muliere morbus est ex Celso & Aristotele, in viris purgatio est naturalis, in muliere non item, & ut signum & ut causa. 2. Prorr. *Hæmorrhois in muliere morbus, in viro sanitas, ex Cels. Arist.*

Unde quæstio an in humoribus morbus hic consistat, an in dispositione quadam prava & quasi habituali & hectica affectione: si in humoribus, in evacuatione & purgatione spes est.

Si in habitu ἐν τῇ ἕξει, ut ajunt, vix arte corrigi emendarique potest, unde Galenus *com. in lib.* 2. *Prorrh.* in vitiligine & leuce dispositio & habitus jam introductus, & licet humores omnes evacuaveris, nihilo magis proficias.

Et Hippocrates 4. *acutorum sub finem*, pallidos, decolores & subtumidos non purgabis, ἀχρώους (*m*) purgare non convenit, & *in Aphorismis*: *Qui salubritatem corporis habent, & qui pravo utuntur victu, ægre in purgationibus habent.* 3. *Lib. de locis in hom.*

Et Aëtius loquens de melancholicis & epilepticis, ait eos juvari usu hieræ Archigenis, quum nullam bilem excrevissent, sed quod malus habitus membranarum cerebri exteritur; datur parva quantitate, ut non fiat evacuatio condigna. *Locus hic admirabilis Aëtii Medici serm. 2. primæ tetrabib.*

Quo fit ut Hippocrates *lib. Epid.* pallentibus ad coloris suavitatem, calore foras revocato ὀξυθυμίαν (*n*) consulat, lætitiam & in nimia confidentia metum, prout aut lætitia excitandus animus, aut metu, si confidentior sit exanimandus, & projiciundus. 4.

In eo maxime laboratum est, ut daretur opera & purgationi humorum, propter cacochymiam, & ipsi cachexiæ corrigendæ, quæ leuces, vitiliginis & elephantiaseos sæpe est antesignanus; intemperies enim insita impressaque partibus corruptionis alimenti causa exsistit, & quod facit pravus cibus assumpt[illegible], idem facit genitus ob intemperiem partium ipsarum. Generatur [illegible]nim virosum alimentum quo natura etiamnum fruitur loco melioris alimenti, unde tandem habitus cachecticus introducitur, & Galenus explicans cur in purgatione exsolvantur ii qui pravo utuntur alimento, per eos intelligit & qui capiunt pravum alimentum & qui jam contentum habent in corpore; & vitiosa dicuntur alimenta per relationem *Quod facit cibus cacochymus, id facit genitum alimentum ob partium intemperiem. Plura in Ballonii comm. in aph. 36. lib. 2.*

(*h*) Atrophia.
(*i*) Symmetriam.
(*k*) Plenitudine.
(*l*) Syndromen.
(*m*) Decolores.
(*n*) Iracundiam.

tionem ad pravum ſanguinem, qui ex iis generari debet; numquid enim quod externus cibus pravus facit, idem non faciat alimentum bonum, corruptum autem propter maleficum calorem & febrilem ſive a natura datum ſive introductum?

Ad eam intemperiem nativam dominæ ægrotantis conſuluntur aquæ Spadenſes, item & blandum decoctum chinæ ad conſumendum virus, quod pravæ nutritionis cauſa juvans & inſuavis pravique coloris; quum enim gignitur ſuccus per coctionem, is licet nutriat, nutritione largius ſumta, tamen is εὔχροιαν (o) non inducit; item excrementa alimenti nocentiora ſunt & faſtidioſiora quam in aliis temperamentis, & augent, foventque primam intemperiem primamque mali labem; ideo purgatio valet frequens ut ne malum augeatur pejuſque ſit homini viventi quidem & prima ſua ſanitate qualicumque utenti.

Inſtituta enemata hypochondriaca & hyſterica. Apozemata cum ſenna, agarico, rheo & ſyrupo de pomis; balnea: Cauteria brachio, fotus chalaſtici ad lienem.

Aquæ Spadenſes, pilulæ ad provocandos menſes.

ANNOTATIONES.

1. Lib. 2. Epid. ſect. 1. *Hippocratis locus notandus & huc pertinens.* Color eſt qui multum pallidus eſt, & ex candicante pallet, quia omnis hujuſmodi ab hepate eſt; inde fiunt hepatici in iis morbis, & morbi regii ab hepate; qui vero a ſplene ſunt nigriores, *&c.*

Donatus in Hecyra. Gal. Lib. 1. de alimentis c. de lente. Qua ratione cacochymia tollit εὐεξίαν, & κακεξίαν τὴν ἐυχυμίαν (q) vide apud Duretum in appendic. 11. lib. 3. Fernel. l. conſil. & path. cap. 7. lib. 6. Virgines fiunt aliquando leucophlegmaticæ, ter-

2. *Nil tam vulgare eſt quam nomen cachexiæ quæ τῇ εὐεξίᾳ (p) contraria eſt: in utraque moles corporis plena ſatis eſt & uber, ſed in cachexia torpor eſt, & lentor corporis, in habitu autem bono & laudabili eſt alacritas. Illic carnes ſubtumidæ, quales in facie cadaveroſa Comici, ubi caro, quaſi cadaveroſa, livore, & rubore quodam infucata & perſonata tumidulaque apparet. Duplex eſt autem cachexia, univerſalis & particularis, ut ex longa lippitudine oculis evenit: univerſalis fere a jecore eſt quæ triplex cenſetur: una pituitoſa quæ in virginibus apparet, in quibus flos nitorque faciei decutitur deperitque: ſecunda melancholica quæ ut in elephantem, leucem, aut vitiliginem pituitoſa terminatur: tertiam Galenus aqueam cachexiam vocat, ſanguine in aquam converſo. In cachexia vitioſa nutritio eſt, nutritio tamen, quia apponitur alimentum parti; & licet ſanguis ſit vitioſus, eſt tamen ſanguis; ideo ab atrophia differt in qua nutritio non fit, carneſque liquantur & corpus fit exſuccum ſenſim ſtrigoſumque; quamquam autem Fernelius differentiam poſuerit inter κακεξίαν καὶ ἀτροφίαν (r), tamen aliter quibuſdam eſſe videtur, Gorræus enim cachexiam in ſolidarum corporis partium depravatione ſtatuit qua alimentum omne corrumpitur: tertia enim coctio in habitu fieri ſolita male perficitur & alimentum corrumpitur; inducitur enim cacochymia quam excipit*

(o) Bonum colorem.
(p) Bono habitui.
(q) Bonum habitum, & malus habitus bonitatem ſuccorum.
(r) Cachexiam & atrophiam.

pit cachexia, & quia corrupto alimento non potest bona nutritio contingere, sequitur ut cachexiæ ἡ ἀτροφία (s) succedat; in quo a Fernelio longe Gorræus discrepavit; in cachexia enim moles carnis apparet foveturque qualicumque sanguine: sed cachectici habent aliquid faciei cadaverosæ; in atrophia collabitur moles; Et Celsus definivit cachexiam per tabis speciem, ubi malus corporis habitus est, sic morbum per symptoma definit. Tamen longe interest partem tabescere omnino, aut aliquatenus nutriri assimilatione & adhæsione facta ad partes solidas, licet depravatio sit alimenti, unde vitiliginosæ virgines & elephantici carnem & molem habent; nisi forte dicas tandem in atrophiam desinere ipsam cachexiam, si diu duret, aut ipsam tumidam carnem & quasi cadaverosam cachecticorum improprie carnem dici & improprie nutriri. Quo pertinet illud Aristotelis: Cur qui vitioso cibo utuntur & fame diutina laborant, pedibus intumescant: *per tabem consumtionemque id evenire posse putat, tabescunt enim qui esuriunt, & qui vitioso fruuntur alimento, natura enim abhorret & mavult suum fraudare genium, quam tale capere alimentum: qui fit ergo ut quum pravus sit sanguis, nutritio fiat in molem & tumorem habitui athletico similem, nisi quod color non est genuinus & floridus. An alimentum in suis fontibus corruptum est, & appellens ad habitum corporis non hic corrigitur, sed retinens aliquid de vetere inquinamento nutrit etiamnum partes? An in suis fontibus bonum, sed alludens affluensque ad habitum vitio morboque ipsius habitus talem qualem nutritionem, molem & characterem facit; unde qui pravo alimento, aut eo facile corruptibili fruuntur, tument turgentque, sed prava nutritio vocatur; & qui calida siccaque habent viscera, partesque solidas, & ad melancholicum temperamentum vergentes (nec enim melancholici tantum dicuntur qui humorem melancholicum colligunt, sed qui tales sunt τῇ ἕξει (u) & partibus solidis) capto etiam euchymo alimento non pinguescunt; mirabiles enim sunt naturæ effectus. Unde in aliis locis movimus quæstionem, qui fiat ut in habitu corporis sit multus adeps, qui a puriore sanguine est item bonitasque coloris, cum tamen viscera ipsa, id est hepar & lien, putria appareant.*

tia autem est hydropis species, de hac leucophlegmatia & cur pituita alba κατ' ἐξοχὴν (t) dicatur accurate ut solet omnia Hollerius.

Aristot. proble. 5. lib. 1.

1. Epid. Ball.

Immo major quædam quæstio, num ipse habitus peculiarem quamdam naturam habeat, ut habeat quoque suos morbos non repetita origine a partibus internis. Partes enim extimæ corporis dicuntur a Galeno natura imbecillæ, utpote in quas, partes internæ ut primariæ & principes, in quas (inquam) ut depositarias suum virus amandent & ablegent; quin & habere suarum actionum vim, non ab hepate, aut aliunde mendicatam Galenus auctor est; sic suam quamdam naturam habent, suum ministerium, suas vires & genium, suam sanitatem, suos morbos.

Lib. de locis affect.

Virgines illæ fiunt sæpe leucophlegmaticæ licet bilioso sint temperamento & sitibundæ: tamen Galenus inter eos qui temperamento sunt frigido leucophlegmaticos recenset ad part. 70. sect. 3. lib. 3. Epid.

Quum quis diu ægrotat & non purgatur, fere carnes liquantur & corrumpuntur,

(s) Atrophia.
(t) Per excellentiam.
(u) Habitu.

puntur, & fit aqua: sic fit hydrops, ait Hippocrates libro περὶ παθῶν (x): *& sane in cacochymis id fit, & tandem in cachecticis, si corrumpitur caro qua aqua fit: nam* lib. de carnibus *Hippocrates ait per putredinem omnia crassescere.*

4. *Virgines, quarum pallet fœdataque est facies, fere omnes cachecticæ sunt. Sed inter symptomata quæ eas virgines comitantur, est gressus impotentia & difficultas spirandi, ut ne minimum arduum possint ascendere; unde hoc? An ratione febris? cur alii gravius febricitantes non sic habent? an ob flatus? cur qui colico dolore laborant, & omnes hypochondriaci flatuosi non sic habent? an ob obstructionem? cur iis qui longis morbis a forti obstructione natis infestantur non idem contingit? an quia diaphragma premitur? unde in aliis idem contingeret; at non videtur fere quid simile in aliis; an quia cor intemperie laborat? idem in febricitantibus non cernitur: An ratione splenis? sæpe non tumet; idem in quartanarios & quibus induruit splen, caderet. An quia ob pravam nutritionem partium, non aucto, sed mutato & vitiato sanguine, totius corporis est* ῥοθρότης, *lentitudo, gravitas; ita ipsa viscera partesque internæ sunt ponderi ipsi naturæ, maxime hepar & pulmo; unde gravata natura non potest molem corporis sustinere, cor non refrigeratur vasis quasi collapsis, ut obstructio sit & attenuativa & obstructiva: causa illius* δυσκινησίας (y) *crebriorisque spiritus, aut in gressu, aut in ascensu mihi videtur cognitu difficilis, ideo meas conjecturas tantum attuli, sed revera in fœdis coloribus magna est obstructio, & quasi omnium vasorum* στενοχωρία (z), *unde spiritus suas non habent* περιόδους (a), *motus, & mæandros, ut idem virgunculis contingat, quod iis qui incubo laborant; in iis enim quasi perpetuus incubus est.*

Causa gressus difficilis in fœd. color. ob vasorum angustiam spirituumque interceptionem.

Duretus cap. 13. 2. Coac. lib. *non id tam refert ad necessitatem inspirationis, quam exspirationis, ob fuliginosum multum excrementum, & vasorum angustiam; est enim quædam intemperies hectica in ipsis arteriis.*

CONSILIUM LXXXIX.

De tussicula & spirandi difficultate cum suffocationis metu.

TUssicula quædam tamquam paranymphus adest, postea tanta difficultas spirandi cum febre aliqua eum detinet, ut præsentis suffocationis metus adsit. Ea accessio jam sexies eum afflixit, & quum quasi de funere agitur, ecce oborta sudatiuncula, dyspnœa eum relinquit, & primæ sanitati restituitur, quod mirum est.

Huic male conformatus thorax, sternum est eminens & gibbum. Unde quæritur, an a capite hoc, an a materia in pulmone, quæ eum paroxysmum

(x) De Passionibus.
(y) Difficilis gressus.
(z) Angustia.
(a) Periodos.

xyſmum committat, an a viſceribus quum ſplenicus ſit. Si a pulmone eſt, qui fiat ut tanto intervallo ſanus degat nil tale expertus; aiunt a viſceribus malum oriri excitato crudo vapore & craſſo qui dyſpnœam eam committit, nec ſinit ægrum quieſcere donec diſcuſſus fuerit: Id etiam in pleriſque vidimus ægrotantibus.

An ſit tantum quoddam incendium, ſugax tamen in corde, quod καρδιαγμὸν (b) improprie dictum, ideſt crebrum & celerem motum cordis affert, de quo ante hoc in libro, ut hic idem fiat quod in palpitatione cordis; prout enim vapor, aut in has, aut illas partes ſeſe inſinuat, ita varias edit affectiones; idem forte eſt quod in ephialte.

An ſuffocantis catarrhi ſpecies eſt reſpiratio præparata in qua æger ita eſt affectus, ut ni certam figuram deligat non poſſit animam ducere.

Vide aph. 12. lib. 3. Hipp. l. de judicationibus & Gal. aph. 34. l. 4. & 12. lib. 3. ubi agitur de catarrho ſuffocante.

An ſit tantum paroxyſmus febrilis, in quo non eſt novum oriri quaſdam ἀσφυξίας (c), convulſiones, incubum, vertigines, ſpirituum interceptiones, manuum palpitationes, quæ aut diuturnæ febris ſigna ſunt, aut brevis in deterius judicationis.

Victus ratio præſcripta, vena ſecta, bechica inſtituta.

Purgatus eſt ſyrupo magiſtrali, poſt cujus uſum priſtinæ ſanitati ſuit reſtitutus; dum hæc ſcribimus agitur ſeptimus fere menſis, ex quo malum non recruduit.

ANNOTATIO.

Difficultatem ſpirandi adfert anguſtia pulmonum, compreſſio a perverſione ſpinæ, pectoris depreſſione, tuberculo; item vaſorum obſtructio ab humorum copia, conniventia eorumdem ex marcore pulmonis, ſubſtantiæ adhæſus pulmonum ad latera. Ad craſſos & obſtruentes humores educendos valent, quæ moderate humida; ſi viſcoſi, non ſolum opus humiditate, ſed & deterſione, ex acidis: ſic melicratum ad craſſa, oxymeli ad viſcoſa conducit, deinde ptiſana, & vinum dulce; ſi & peripneumonia & pleuritis cocta ſit, nullaque adſit inflammatio, ſi ſitim facit, vinum non confert, impedit enim expectorationem; quæ autem juvant nec ſitim adferant, nec ſint diuretica, ideoque aquæ naturales pulmonicis nocivæ, quod ducant urinas & expectorationem impediant, & acria omnia interdicuntur a Galeno in dyſpnœa, fundunt enim ſanguinem, & liquant, & educta tenuiori portione craſſius reddunt quod relinquitur, & 6. Epid. ſect. 4. *de filia Ageſii aſthmatica locus præclarus eſt, quo interdicit acribus: at Galenus* loco citato *dum acria damnat, id temperamenti adhibet, ut pauca quantitate acria addantur liquidis, ut utrorumque uſu valetudini ægre reſpirantium conſulatur.*

Diuretica nocent pulmonicis, quia ſanguinem liquant & impediunt expectorationem. 13. l. 5. ſimpl.

(b) Cordis morſus. (c) Pulſus carentias.

CONSILIUM XC.

Pro muliere Issodunensi splenica cum metu hydropis.

SYmptomata quæ narrantur docent lienem jamdiu male affectum fuisse; dolor enim ac tumor conspicuus hydropis prænuntius affecti lienis soboles est, qui ab humoris melancholici illuvie quodammodo distenditur ac turgescit: hujus signa sunt respiratio crebrior & difficilior, præsertim in cursu & labore, aut quum in latus dextrum decumbitur; appetentia persistit, ventriculi tamen læditur concoctio; flatus sursum deorsumque erumpunt cum hypochondrii sinistri rugitu quodam & murmure; corpus in dies macrescit, juxta illud: *Quum lien floret corpus extenuatur, attrahit enim ut molle corpus*: carnes liquantur, humor in splenem illapsus relegatur alio.

Provisum ventriculo, quia morbus erat annuus & tumenti jamque scirrhoso spleni ventriculus compatitur, provisum fotu, litu.

Aqua decoctionis ceterach, addito caryophyllo & cinnamomo valet. Aqua frigida interdicta.

De victu provisum est abunde.

Præscriptus pulvis digestivus.

Syrupus magistralis ex radicibus aperientibus in aceto maceratis, rubiæ, eryngii, helenii, symphyti, splenicis; cortice tamarisci, semine ebuli: cortice capparidis, fraxini, ulmi; coctæ unc. ij. foliorum sennæ: unc. ß. agarici, zingiber: cortex citri conditi additus; unc. ß. electi rhabarbari addita; syrupus byzantinus.

Pulvis ex limatura chalybis macerata in vino albo, cum coriandri semine aut cum tabellis, aut pilulis convenientibus.

Oxymeli paratum ex decocto florum genistæ, & ceterach clarum, addito cinnamomo & caryophyllis.

Fotus ad lienem non ex malacticis solis (nec enim nimis molliendum metu cancri) sed ex radicum bryoniæ, helenii, sigilli beatæ Mariæ, ana, unc. ß: radicis bisinalvæ, unc. jß: seminis lini, unc. iij. floribus chæmæmeli, cypero pauco; coctio facta in aqua & aceto sub finem addito.

Cataplasma ex unc. jß. radicis bryoniæ, erucæ, sigilli beatæ Mariæ, unc. iiij. pulvere chamæmeli, & ceterach cum lib. ß. axungiæ porci veteris.

Phlebotomia etiamnum præsente tumore aliquo consulitur.

Danda opera provocandis mensibus usu pilularum Rufi, capillarium, rubiæ, cicerum rubrorum.

Primo vere usus aquarum naturalium.

CON-

CONSILIUM XCI.

Pro uxore consulis de Goussencourt, quæ a duobus annis ter, aut quater passa est effluvium sanguinis sursum deorsum.

AGitur de symptomate tertii generis in excretis & retentis. Excreta aut toto genere contra naturam, aut quantitate, aut qualitate; hic & res quæ excernitur & quale & quantum consideratur, modus excernendi, locus quo fit excretio; quod excernitur sanguis est, res plane contra naturam & excretio symptomatica est, si menses & hæmorrhoides exceperis: quamquam in muliere hæmorrhois morbus est, hinc aphorismus: *Sanguis qualiscumque dum supra fertur, malus, infra autem, bonus, quum niger exit*; excretio mala per os, ni in muliere deficiant menses. Item Hippocrates ait, sterilibus vomitum sanguinis ad concipiendum prodesse, ergo in hac muliere excretio mala ratione loci.

Hæmorrhois in muliere morbus, in viris purgatio, ait Celsus.

Excretio fit ergo αἱμορραγικῶς (*d*) ut loquitur Galenus: id est per καταῤῥηξιν (*e*): Galenus laudat quidem excretionem deorsum si pauca sit, & non sit αἱμορραγικῶς seu ἀθρόως, confertim: Item vult nigrorem sanguinis acquiri tarditate gressus; sic peccat quantitate, item colore, nam pici similis est; aut affatione, aut corruptione.

In Coacis Duret.

Galenus distingui vult opus naturæ a symptomate.

Lib. de sympt. diff.

Sic tria pro affirmante parte occurrunt, quod per os sanguis excernitur 2. niger, 3. affatim multus; at symptomatica sunt hæc omnia.

Contra pro negante, non omnis vomitus sanguinis malus, ut de muliere ante dictum; Plinius notat de Saturnino, qui quotannis ore sanguinem rejecit & annos 90. vixit. Item aphor. *Qui sanguinem evomunt*, alibi est πτύωσι, id est, expuunt, *bonum*; larga excretio melior est quam parva, ex doctrina Hippocratis, ut ante dictum *in Epist. ad D. Laurentium.*

Secundo Galenus ait multos habere lienem imbecillum, qui ab hepate sanguinem non repurgat; sanguis suppressus ἀθυμίας (*f*) gignit; excretus, vomitus cruentos.

Cap. 1. lib. 6. de loc. affect.

Tertio in melancholicis sanguinis excretiones non omnino malæ, quod observatione dignum est; melancholici flatu abundant, auctore excretionis sanguinis; πτερυγώδεις sunt αἱμοπτοικοὶ (*g*) ob flatus.

Sive sit erosio, sive anastomosis & velut ναυτίωσις (*h*) venarum pravum sanguinem eructantium, sive latens causa: Vereor in simili casu cadat, nisi soletur illud Celsi, Sunt hominum proprietates, sine quarum notitia non facile præsagitur; facile quis securus est, in iis quæ sæpe sine periculo

1.

(*d*) In modum hæmorrhagiæ.
(*e*) Disruptionem.
(*f*) Animi defectus.
(*g*) Alati sunt sanguiflui.
(*h*) Nausea.

periculo evasit: ille sollicitari debet cui nova sunt, hinc Aphrodisæus quærit, cur morbi frequentes minus sint periculosi, quam rariores. Mulier hæc restibilis fuit fecunditatis, hæmorrhoides aliquando passa est, hinc sanguis alio cursum inflexit, sanguis ei mitti debet, & eo audentius quia fertilis fuit edicto Hippocratis.

2. *Lib. de superfœtatione.*

Frequenter repurganda, quia cacochyma, & quia fuit hæmorrhoidalis; syrupo de pomis cum rheo & folliculis, additis intybo, plantagine, julepo rosato; aperientia minus quadrant, ne referent ora vasorum; tabellæ triasantalon cum rheo; formulæ ex bolo quas devoret; lac asinæ; conserva rosarum frequens; a pilulis abstinendum, cassia cum rheo valet; opiata ex conserva rosarum & symphyti, lapide hæmatite, coraliis, terra sigillata, bolo: enemata.

ANNOTATIONES.

1. *Qui fit ut tanta sanguinis copia effluxit & ita niger, & cur repetierit jam sæpiùs ea excretio? si ruptum vas, aut erosum, qui fit ut non universus sanguis effluat? præsertim si ruptum; non potest tanta erumpere copia & putris & niger, nisi jam ante collectus fuerit, sed quantum sensim ex suis vasis effluit sanguis fit tamquam operculum quoddam, (Græcis ἐπίπωμα) quod impedit quominus effluat universus sanguis & una cum sanguine anima; quod autem sanguis, & pus maxime sua crassitie impediant venarum, & arteriarum effluvium, & quod eo excreto, aut deterso aperiantur ora venarum, aut arteriarum, denuo docet Galenus* in aphor. *qui locus apprime elegans & utilis ad diagnosim.*

Com. ad aph. 27. lib. 6.

2. *Quæstio an frugalior, an liberalior victus dandus; liberalior convenire videtur ad contemperandum; de eo nos alio loco; sed & unum observatione dignum est, quod in mulieribus fertilibus, quas Hippocrates* μητροτόκους *vocat, audacter sanguinem mittimus, quum desinunt utero gestare; ut fit in mutilatis, quibus cruenta succedit dysenteria.*

CONSILIUM XCII.

De affectione quæ dicitur ἵππος.

Com. ad part. 24. l. 1. prog. & com. ad part. 11. l. aut sect. 2. prorrh. Romæ Pætorum familia ob hoc vitium oculorum nativum. Com. ad part. 10. sectio. 2. prorrh.

OCulorum affectio est ἵππος, insita & naturalis, per quam illi non quiescunt; Galenus stridori dentium naturali comparat: dicunt non esse morbum, quod de eo nemo ptiscorum scripserit; apud latinos oculus pætus dicitur qui huc atque illuc movetur & vertitur, & sic significaret illud quod ἵππον vocamus; quamquam sunt qui pætum interpretantur eum qui obliquis oculis in altum respicit, aut qui alterum oculum minorem habet. Alii strabonem dicunt qui oculos distortos habet; pætum eum, qui oculos leviter declinatos; tamen potius & pætus & ἵππος ad perpetuam oculorum mobilitatem refertur. Apud Hippocratem contrariæ sunt affectiones

affectiones ὄμμα πεπηγὸς & ἵππος (*i*): namque πεπηγὸς (*k*) fit ob musculorum oculos moventium immobilitatem, vel ob omnium oculi musculorum resolutionem, vel æquam contentionem, & quæ in neutram partem vergat: ἵππος autem quum instabilis est oculus. In *primo Prognost.* oculos vocat ἐναιωρυμένους, id est instabiles, mobiles: interpres, delusus voce hac ἐναιώρημα quod in urinis sublimitatem significat, vocat oculos ἐναιωρυμένους, id est, sublimes: & male (nisi alludat ad illud quod diximus pætum significare, qui obliquis oculis in sublime respicit): tamen oculus dictus ἐναιωρούμενος instabilem significat & oculus ἐνδεδινημένος καὶ ἐναιωρούμενος & ἀστήρικτος (*l*) idem significat, item & πυκνὰ κινούμενος, & τοῦ ὀφθαλμοῦ στήρικτον καὶ ῥίψις καὶ ἐναιώρημα καὶ πυκνὰ κίνησις (*m*) idem sonant, *com. ad part.* 27. *sect.* 1. *lib.* 6. *Epid.* ubi legitur ὀφθαλμοὶ ἐνδεδινημένοι, Latinus interpres vertit *obtortos oculos*, melius *oculos intus motos & quasi vertigine affectos.* Ceterum oculus mobilis in morbis, aut delirium, aut tremorem musculorum oculi declarat.

Ενδεδινημένος significat intus agitatum.

Oculi ῥίψις (n) opponitur τοῦ θράσους (o) quum æger confidenter & impudenter aspicit. Vide com. Vega, in prognost. 6. l. 1.

Auctor libri definitionum ἵππον bifariam interpretatur, equus est affectus musculi oculum firmantis, qui comprehendit basim visorii instrumenti; septimus quidam in oculo musculus est qui firmiter adhæret oculo a posteriori parte, per quem firmatur oculus, & nervus opticus quem ipse amplectitur. Idem auctor libri definitionum præter primam definitionem allatam τοῦ ἵππου, ait affectum esse ab ipso ortu, per quem instabiles semper sunt palpebræ: in posteriore definitione ad palbebras malum refert, in priore ad oculum ipsum, quæ opinio est castigatior & melior.

Ceterum si ab imbecillitate est consumta humiditate nimia, & comparata quadam firmitate ipsi septimo musculo oculum confirmanti, tandem ea affectio corrigitur, ut in puerorum epilepsia contingit. Calor enim naturalis certo tempore in humido multo facit suam ἔκλαμψιν (*p*) ut Hippocrates de quadraginta diebus notat *ad finem libri de octimestri partu* & *eodem loco* ait elegantissime: αἱ δυνάμεις ἀμβλύνονται ἐν μύξαις, id est, in muco facultates hebetantur.

Ceterum credo pætos fieri & ob calorem nimium agitantem, eo modo quo videmus irascentes mobiles oculos habere, & ob infirmitatem nervosi generis; quum vitium a calore est, delirii est nota; ut dictum ante.

Item aliquando affecta est nervorum origo, aliquando peculiaris est affectio ipsius musculi, non repetito & accersito altius principio.

Hæc instituta sunt puero ita laboranti.

Victus ratio tenuis pro ratione ætatis, cœna parcior, purgatio bis mense, ex senna & syrupo rosarum.

(*i*) Oculus fixus.
(*k*) Immobilis.
(*l*) Obtortus, intus motus, & quasi vertigine affectus.
(*m*) Frequenter motus, & oculi firmamentum & fulcimentum, impetus, jactus, projectio, & frequens motitatio.
(*n*) Impetus.
(*o*) Audaciæ.
(*p*) Elucescentiam.

Utatur aqua in qua coquantur paſſulæ, ſemen fœniculi, addito cinnamomo.

Utatur blandis maſticatoriis, addita nuce moſchata; mandat ſalviam.

Exercitatio ante paſtus. Non dormiat a paſtu cito.

Exſiccetur cerebrum ſacculis convenientibus; hora ſomni, conſervæ convenientes cum pauco pulvere ſeminis pœoniæ.

Pyroticum nuchæ colli.

CONSILIUM XCIII.

De dolore capitis & oculorum.

DOlor capitis contumax, & oculorum, qui filiam D. Præſidis miſere & diu afflixit, adeo perduellis & rebellis fuit, ut omnia artis præſidia neglexerit. Is a materia fuit non ſimpliciter calida, aut frigida, ſed a ſalſa pituita per putredinem calida, quæ ſtrumarum fere auctor eſt, & hiſce temporibus innumeris, & ſtrumæ, & cæcitates præeunte dolore capitis & oculorum contigerunt. Peſtilens fuit conſtitutio, quam præceſſerunt iſta mala, & inflammationes oculorum: eadem materia loco apto cancros facit, adeo effrenis eſt; in cerebro non facit, aut quia alio amandatur, aut ratione temperiei cerebri, id non facit; unde quærit Aphrodiſæus cur in mammis fit cancer, in cerebro non fit; quia cerebrum & frigidum & humidum eſt, & ſic reſiſtit ſalſedini, aut acrimoniæ materiei cancrum genituræ; & ad eundem ſenſum Hippocrates ſcripſit, *cerebrum eſt ſedes frigidi & humidi, & quaſi metropolis eſt, calidum autem eſt pinguis ſedes & metropolis, quod enim caleſcit, primum omnium quum diffunditur pingue fit, & ideo cerebrum quia minimum pinguedinis habet, plurimum vero glutinoſitatis, a calido exuri nequit, libro de Carnibus.* Victus ratio legitima inſtituta fuit, multoties ſectæ venæ quum ex partibus ſuperioribus tum inferioribus; temporum venis admotæ ſanguiſugæ, cucurbitulæ omoplatis, enemata omnis generis injecta, frequentes purgationes inſtitutæ ex ſenna, rheo, ſyrupo de pomis cum decocto cephalico & hepatico.

Cancer in mammis non in cerebro generatur ratione frig. & humiditatis. Aphrod. prob. 90. l. 1.

Hipp.

Malum ita rebelle fuit ut nullis fere ceſſerit remediis.

CONSI-

CONSILIUM XCIV.

Ad Gonorrhœæ reliquias.

TAntum malum non eſt ut major quædam machina ſit adhibenda. Repurgetur cholagogo, quia excretio eſt χολάδης (q).

De frictionibus ad inguina ex fugitivo videbitur.

Inſtitutus pulvis ad gonorrhœam ſequens.

℞. *Quatuor ſeminum frigidorum majorum, ana, dr. j: pulveris electuarii diatragacanthi frigidi, corallii utriuſque, ana dr. jß: antheræ, ſcr. ij: karabes, ſeminis myrtillorum & cydoniorum, hederæ, ana, ſcr. ij: pulveris chinæ, dr. jß: liquiritiæ raſæ, dr. ij: tartari vini, dr. jß: ſacchari roſati, q. ſ. fiat pulvis.* Pulvis.

Data terebenthina cum mellis parva quantitate. Pulvis diatragacanthi frigidi & conſerva nymphææ.

℞. *Aloes, unc. ß: cretæ, ſuccini, gentianæ, ariſtolochiæ, dictammi, myrrhæ, ana, dr. ß: mithridatii, dr. ß: terebenthinæ, dr. j: cum ſyrupo de althea fiat maſſa; de qua capiat pilulas quatuor tertio quoque die, tribus horis ante juſculum, vel hæc.* Pilulæ. Sunt qui croci cum martis addunt.

℞. *Rhei, dr. jß: hieræ ſimplicis, ſcr. ij: pilularum ſine quibus & ireos florentinæ, ana, ſcr. iiij. croci, gran. ij: caſtorei, dr. j. cum aqua matricariæ & vino albo infuſionis granorum aliquot ambræ griſeæ, fiat maſſa de qua capiat dr j. poteſt addi agaricum*: & quia rheumaticis doloribus interdum divexatur, quæſitum an in rheumatiſmo arthritidis minace balneum tutum; juvat reſerando cutim, bilem & ſerum temperando; nocet evocando in habitum & liquando; ineunte vere id fieri poteſt, ut locus ſit blando ſudorifico; meliora ſunt apozemata, quam pilulæ, licet medicamenta liquida horreat; caput habebat πιτυριώδες (r), fotus emolliens inſtitutus, deinde decoctum violarum, parietariæ, ſaponariæ, veronicæ, paleæ hordei, furfuris, oxylapathi, caulium rubrorum, fumiterræ, ſcabioſæ, tapſi, pinguis gallinæ, plantaginis cocta cum hydromelle, melle mercuriali: fotus cum ſpongiis, quarum magna eſt vis. Fotus.

Poſt lixivium ſarmentorum, trumorum caulium, lupinorum, ex orobo, agrimonia, marrubio, radice bryoniæ, cypero, iride, & ſenna.

Paſta ex amygdalis amaris, farina orobi, lupinorum, pane furfuraceo, radice ireos, pulvere ungulæ caballinæ, melle roſato, aut mercuriali, addito gummi tragacanthæ lauto in aqua roſarum. Paſta.

Et quia dartæ faciem invadebant, conſultum oleum de ovis; lib. j. aquæ plantaginis: in aqua fervefiant grana x. ſublimati. Litus.

Denique ut monuimus ante, quum æger faſtidiat liquida, pilularum loco poteſt parari opiata laxativa ex conſervis roſarum, nympheæ, bugloſ- Opiata.

 ſi,

(q) Biliosa. (r) Furfuraceum.

Tabellæ. si, borraginis rheo, & senna; item valent tabellæ roborantes ex santalis & rheo: vel syrupus solemnis additis herbis vulnerariis, halicacabi fructu, ciceribus, transcolata conserva rosacea. Repurgato corpore diligenter proderit decoctum chinæ cum oxyacantha, aut radice cichorii. *Sudorificum.*

CONSILIUM XCV.

De fluxu sanguinis & fluore muliebri cum suspicione cancrosæ in utero affectionis.

CIrca mensem Novembrem contigit fluxus sanguinis uxori Tassini, jam annum quinquagesimum assecutæ; quum facta esset διάβρωσις (s) venarum fluxus non substitit; id contigit, vel quia pituita putris & salsa, qua abundant annosæ mulieres & viragines, venas reserarat; vel quia qua data porta consuetudine fluendi sanguis viam appetiverat; vel quia jam καρκινώδές τι (t) concipiebatur, tunc autem eroduntur ab atro sanguine; vel quia immodicum sanguinis fluxum ῥῦς (u), isque malignus sequitur, ait Hippocrates, quia exhausto multo sanguine is qui residuus est ὑποχολώδης (x) redditur, maxime si purgatus non fuerit. *2. de morbis mulierum.*

Quum procedit tardius κάθαρσις, ῥόος est πυώδης (y): quum celerius, subcruentus. Junioribus sunt subcruenti, senioribus sunt mucosi & quasi πυώδεις (z), sed non vero pure; gravissimi sunt mulierum morbi, partim ex parte illarum, partim ex parte Medicorum: illarum quidem, quia sive fluant menses, sive non fluant, si quid peccatur morbi fiunt, item quod ob verecundiam morbos celant: Medicorum, quod earum morbos non norunt, & ut viriles curant, licet longe differant, ait Hippocrates. *ad finem lib. de locis in ho.*

Cacochymæ, non modo habent menses decolores, sed & inordinatos. *In lib. 5. aph.*

Cur aliis ῥῦς, & mensis fluit seorsim, aliis confusim; confunduntur laxatis viis, & fatigata natura. Quum natura valet, retinet, quum infirmatur, confusio fit, & id totum est symptomaticum & motu morbi. In venis mesaraicis & chylus & sanguis continentur diversa ratione.

Curatio. Remedia sunt victus ratio legitima, phlebotomia, catharsis blanda, clysteres anodyni, lac asinæ, decoctum brassicæ ad colluendum valet, decoctum prunellæ, plantaginis utriusque, rosarum, betonicæ, veronicæ, geranii, sanamundæ, pimpinellæ, stellariæ.

Serum lactis cum succo aliquo in mortario plumbeo subactum mirifice est profuturum; item unguenta diapompholygos, de plumbo, & de cerusa, tam simplici quam ulcerato cancro conveniunt.

(s) Corrosio.
(t) Quidpiam cancrosum.
(u) Fluor.
(x) Subbiliosus.
(y) Purgatio, fluxus est purulentus.
(z) Purulenti.

ANNO-

ANNOTATIONES.

1. *Hic decipi non oportet, nec confundendus fluor albus cum purulenta excretione, ut quum Hippocrates* 2. Epid. *narrat de ea quæ gemellos peperit laboriose, nec purgata est bene & tumor totius corporis evenit, & rubrum mensem ad sextum mensem duravit, dein* τὰ λευκὰ (a) *omni tempore fluxerunt quæ rubro statim colore inficerentur, sed alba hæc fieri putavit ob mutationem ad albedinem propter suppuratum; putat enim vitio obstetricis relictam carunculam quæ putruit & ora vasorum corrosit exulceravitque, unde ulcus & alborum excretio.*

2. *Quum sanguis qua data porta consuetudine fluendi ad uterum fertur, sæpe varices (ut in tibiis) in utero & circum uterum fiunt, loco hæmorrhoidum in ano, mulieribus, vel in utero hæmorrhoidum; & quibus sanguis qualitate peccat, vel si salaces sunt, & non satis aut subiguntur, aut concipiunt, unde melancholicæ fiunt, ut constat de muliere salace quæ quum succussione equi ad Venerem excitata esset, nec ei satis fieret a marito, exiit a potestate mentis, tandem ex utero omnibus pacificatis exiit ingens copia sanguinis picem referentis; balnea naturalia adiit, concepit, ad se rediit.*

Et notandum quod contigit nobili mulieri; dolor incredibilis ad uterum, suspicio fuit humoris melancholici in utero & hypochondriis, tandem morbo cessante carbunculus magnus & ferox obortus est; si ad partes interiores, ad uterum præsertim, sanguis inclinarit, carcinomatis, aut cancri metus.

CONSILIUM XCVI.

De voce pæne deperdita.

D. De Bobigny conqueritur de symptomate, nempe de vocis vitio; quæ enim vox clara liberaque esse debet, ea obscura est & vix intelligibilis.

Symptoma autem est in genere eorum quæ audiuntur; causa esse videtur in vitio organorum; organa sunt triplicia, excipientia, deducentia, moventia.

Obstructio esse videtur; morbus ergo est in conformatione: si obstructio est, cur non adest difficultas respirationis? obstructio ista sufficit ad vocem corrumpendam, non ad respirationem difficilem.

Possunt institui tabellæ ex electuario diaireos, mastiche, olibano, diarrhodon abbate, cinnamomo cum saccharo soluto in aqua infusionis stœchados, aut rorismarini.

Valet hydromeli, coma absinthii adjecta; & oxymeli ut nonnulla moveatur tussis ad expediendos pulmones; venæ sectio ex intervallis; cassia, *Purgatio.*

 manna.

(a) Menses albi.

manna diſſoluta in juſculo galli veteris, ſuccus glycyrrhizæ niger; oleum ex ſaccharo.

Apozemata bechica. Capillarium decoctum, maxime adianthi, valere creditur, pulmones detergere & animam quaſi dilatare; linctus caſſiæ ſuperbibendo decoctum caulium & cicerum rubrorum.

Decoctum ficuum & paſſularum cum bipinella.

Linctus mellis, aliquando ſolius, aliquando cum optimo butyro.

Pomatium bonum eſt & vinum dulce ſi febris non adſit, idque oligophorum. Eſt enim calidis viſceribus prædita, ideo cavendum ab iis quæ impendio magis caleſaciunt & ſiccant.

Ρυπτικὰ (*b*) magis conveniunt; oxymeli autem inter ea cenſetur, ut campana & hyſſopus, magis (inquam) quam quæ dulcia & humida ſunt, ſputum enim effeminant, ut ait Hippocrates, niſi forte quis dicat emolliendum eſſe ut id quod emollitum eſt detergeatur facilius τῶν ῥυπτικῶν (*c*) uſu.

Maxime vero videndum ut contrarium contrario opponatur, an ſit obſtructio, an induratio, an plenitudo aliqua.

ANNOTATIONES.

1. *Obſervati ſunt quibus ob aërem frigidum ambientem nervis recurrentibus refrigeratis vox eſt imminuta & pæne ademta; laryngis vitium obſcuram ſæpe reddit vocem, dum patitur reſolutionem quamdam; Aëtius eo in caſu utitur gargariſmate, acriuſculo, ſpiritus detenſione, coacervata reſpiratione, & continua vociferatione; glycyrrhiza commanducata valet: fotus ad laryngem ex roſa, cypero, ſemine fœniculi.*

Notat Avicennas varices eſſe quoque de genere eorum quæ vocem emendant.

2. *De ſingulari fato illius mulieris unum quoque addemus, quum per annos aliquot ſenſim, atque paullatim emacruiſſet, omne alimentorum genus faſtidiviſſet & ut loquitur Hippocrates* ἀπεστημένως ἔχειν πρὸς τὰς πάσας προσφορὰς (*d*) *tandem repente ac inopinato extincta eſt; ac quum cibum nec appeteret nec caperet (apud Hippocratem autem* λαμβάνειν *ſignificat cum aliqua appetentia accipere) quotidie vivendo moriebatur, & moriendo vivebat, prehenſa eſt paroxyſmo febris tertianum typum referentis; tertio poſt die idem paroxyſmus, a quo revaluit & fuit* ἀπύρετος (*e*), *& habebat more ſolito, jocum & deambulationem cogitans: at acceſſit rigor* πρόδρομος (*f*) *tertianæ, & tertii paroxyſmi; fuit rigor ingens & tantus ut ab eo non potuerit, ut loquitur Hippocrates* ἀναθερμαίνεσθαι (*g*), *totum erat ſane* λειπυρικὸν (*h*), *interna conflagrabant incendio, ſequenti die fato conceſſit; conquerebatur maxime de dolore ad hypogaſtrium; invenitur aperto cadavere pulmo aliqua ex parte inflamma-*

(*b*) Deobſtruentia, detergentia.
(*c*) Detergentium.
(*d*) Deſperatè ſe habebat ad omnes ciborum oblationes.
(*e*) Sine febre.
(*f*) Prodromus.
(*g*) Recaleſcere.
(*h*) Leipyricon.

inflammatus, hepar exsuccum & mali coloris, sed uterus erat corruptus, & quasi gangræna affectus, plenus tabo, & sanie, quæ erat δυσώδης (i): maritus per tres annos pæne abstinuerat a congressu; forte si ager fundusque cultus fuisset melius cum ea actum foret.

Laborarat olim ῥῷ γυναικείῳ (k), qui erat tetri odoris; aliqua ex parte & fere omnino suppressus erat.

Interiit fere a veneno interno & genitivo; hæc quum alias fecunda esset, quod mirum, quum fœmellam conceperat, fluebat ista materia etiam copiosa, quum marem, aut minor erat, aut sistebatur.

Aliam etiam videre contingit mulierem quæ patitur menstrua toto graviditatis tempore quum mas concipitur, id non evenit quum femina concepta est; sed quærat quis, quomodo febris continua non præcessit? qui tertiana tam simplex eam sustulit? At tertiana periculo vacat, immo & febres quæ quoquomodo intermittunt, nedum tertiana quæ tantam intermissionem habet: vide aliquid simile contigisse apud Galenum, qui notat causas in corporibus nostris generari quæ potentia & virtute tum virus rabidorum canum, tum letalia medicamenta repræsentant. *In prorrhet.*

Sic in morbis nec præcipitanter timidos, nec temere securos esse oportebit, & revera iis qui vitio singulari, præsertim vero corruptione partis intereunt parum tutos securosque esse oportet, nec prædici exitus potest, ut fit in morbis humoralibus, immo febre vacare videntur, id quod in cantore Durantel & in præposito dicto Hardy & aliis multis a nobis visum est anno 1594. *In morbis a partium corruptione non potest certo prædici exitus ut in humoral. morbis.*

CONSILIUM XCVII.

De tussi molesta & sputo cruento.

1. Tussis molesta & sputum cruent. aut a destillatione, & exoneratione a part. pul. vicinis. Antiquitas tussim quamdam a splene molestum esse statuit.

DUo sunt symptomata quæ molestiam inferunt, tussis sæpe inanis & cruentum sputum: hæc sequuntur, aut destillationem a capite, aut collectionem veterem materiæ in pulmone contentæ, aut exonerationem quamdam a visceribus & partibus pulmoni vicinis: tribus enim modis tussis molestiæ excitantur, & sputum sanguineum apparet, unde frustra sæpe caput omnium horum auctorem creditur, quamquam ab eo injuriarum ejusmodi maxima pendet occasio.

Distillatio morbus non est, sed morbi est consequens, maxime vero, ut dictum est, affectionem capitis consequitur. Caput vel ut pars similaris, vel ut organica afficitur: ut similaris, ut quum calidior, aut frigidior pars; organica, ut quum plenior & obstructionibus scatentior.

2. Veterum assiduam molestamque tussim Seneca pertussim vocat.

Duo vero maxime observari debent, facultatis retentricis aut imbecillitas, aut excretricis ab acriuscula materia irritatio, id quod facit ut pituitnitas descensus & defluxus materiæ consequatur: in priore διάχυσις καὶ

(i) Graveolens. (k) Fluore muliebri.

ἢ σύντηξις (*l*) cernitur, in posteriore orgasmus & impetus aliquis, unde tussiendi assiduitas; posterius est peculiaris generatio humoris efferi, mali, salsuginosi, qui quoquoversus se insinuaverit & irruerit, hic sævit, hic grassatur, hic ferociam exercet; unde videmus eos in quibus est ejus humoris generatio, distillationibus, & febri inde natæ marcorique consectario obnoxios.

Ceterum catarrhus omnis, auctore Hippocrate, a carnibus est calidis aut frigidis; a calidis per fusionem & colliquationem: a frigidis per expressionem; maxime vero marcor, & extenuatio eos adoritur, qui defluxui a calore acri orto obnoxii videntur.

Ideo plerique peccant qui falso persuasi tussim omnem à frigido ortam magnam auxilii vim in usu rerum calidarum, aut admovendarum, aut assumendarum solent collocare; frigus quidem occasio esse potest, sed & febrem & distillationem acris & serini humoris potest concitare, sic falli non oportet.

Locus notandus de capite refrigerando in distillationibus serinis ex Aët. vide plura in 2. cons. Ballonii libro. Curationis capita. In hæmoptysi cavendum ab aloe, syrupo rosar. pallid. & aliis quæ vim habent ἀναστομωτικὴν (n). Vide Hipp. l. de internis affect. Gal. 5. meth. c. 14. & 15. Ballonius in lib. 1. consil. Libr. de intern. affect. Lib. 6.

Immo gravissime peccatur in usu remediorum topicorum caput calefaciuntium ob tussim & defluxiones: contra caput refrigerare oportet aliquando; ita enim Aëtius loquens de usu oxyrrhodini in distillatione serina, ait ab eo remedio refrigerante distillationem serinam incrassescere, tussim sedari, somnum induci, calorem exurentem temperari.

Purgatio, venæ sectio, humorum temperatio, materiei acris delabentis inhibitio, correctio, delinitio, & (tempori) a pulmone exclusio valet: accedit partium a quibus humor fluit robur & confirmatio; valent cathartica, alias lenientia, alias viscera repurgantia.

Cassia vel linctu sumta, vel bolo, vel jusculo soluta, addita tamarindorum, aut passularum pulpa, confert; senna valet.

Quæstio est, an in acribus stillicidiis, pilulæ acriusculaque remedia conferant: rationes utrimque probabiles afferri possunt, eas scholasticis exquirendas relinquamus, audiamus ea de re antiquorum consilium. Galenus *in methodo medendi* dat medicamenta ex alto evocantia in phthoe, ubi præsertim teter humor in capite gignitur qui stillandi assiduitate partes subjectas irrigans eas afficit; unde raro, sed tamen interdum danda opera purgationi per fortiora medicamenta, quia mitiorum vis est sæpe ignava & eluditur; unde Fracastorius, ea in parte Galenum æmulatus, id genus remediorum violentorum consuluit in hæmoptoicis κατὰ τὴν διαβρωσιν (*m*), & Hippocrates in descensu putris pituitæ a capite validius purgandum putat, contra de phtheiriasi loquens Celsus medicamenta intus lenia danda sunt ne quid acrioris pituitæ concitent.

Venæ sectio ex usu esto, bis anno, & quum latus sinistrum dolitet, paullo crebrius ab ea parte sanguis est demendus.

In hæmoptysi est ubi plenius cibandum, est ubi parcius; si copia sanguinis est, parcius: si acrimonia, temperationis ergo plenius; nam fames & inedia bilem in nares conciunt.

Tem-

(*l*) Diffusio & colliquatio.
(*m*) Per erosionem.
(*n*) Per anastamosin.

Temperatio humorum jusculorum usu, prunis, violis, syrupo violarum, jujubino, de nenuphare, julepo Alexandrino, ficubus, hordeo, in jusculo cocto, opiatis, pilulis bechicis.

Lib. de inter. affect. Hipp. hæmoptoicos pinguefacit ne tabeant & inopia cibi sanguis efferetur.

Syrupus de lamio, ex urtica, & de symphyto descriptione Fernelii, & pomorum redolentium, ungulæ caballinæ, berberorum, granatorum, aqua rosarum, addito semine papaveris rubri & albi.

Balnea, lac asinæ.

Sed & licet magna sit utilitas jusculorum, in iis tamen temperatos moderatosque esse oportet, nam patet ex Galeno liquidarum rerum frequentiori usu, pulmonis carnes rariores & putredini objectas magis fore, immo & sanguis tenuior serosiorque fit & putredini opportunior.

Fames & mora bilem in nares conjiciunt. Plaut. Cap. ult. lib. 4. locorum affect.

Manna conferet. Conserva rosarum; rosa enim privilegio vim habet sistendi catarrhi, unde rosa ἀπὸ τοῦ ῥέειν (o) dicitur, quod inhibeat fluxiones.

Ob nimium jusculorum usum & rerum liquidarum effeminatur sputum. Hippoc.

Sed & inhibitio in faucibus fieri debet, gargareonem & pharyngem & laryngem gargarismis corroborando, id quod pauci animadverterunt, tamen id genus remedii in primis ex usu futurum est.

℞. Plantaginis, berberorum, portulacæ, ana, man. j: seminis papaveris albi, dr. ij: hyoscyami, dr. j: fiat decoctio in aqua hordei; in colatura dissolve diamaron, unc. j: aquæ rosarum & succi granatorum, ana, unc. ß: fiat gargarismus ad lib. j. colluat os frigide.

Data præscriptaque est opiata ex conservis rosarum, nenupharis, violarum, symphyti, additis rasuris.

Et in sanguinis rejectione, consultum est, ut uteretur addereturque bolus armena, terra sigillata, mumia.

Vel pulvis ex iisdem concinnaretur aptus formandis, aut cylindris, aut pilulis hypoglottidibus, aut tabellis, sed videndum ne usu nimio adstringentium ἀνακάθαρσις (p) impediatur.

ANNOTATIONES.

1. *Hic æger cui hæc sunt instituta macilentus est & satis procerus; de eo audiendum videtur quod scripsit Celsus* cap. 7. lib. 2. *frequens distillatio in corpore tenui & longo tabem timendam esse testatur.*

2. *Quid est quod tantopere reformidatur sputum cruentum ut tabis prodromus, Galenus enim ait, mitissimi sunt morbi in quibus cruenta rejiciuntur? loquitur de pleuritidibus sanguineis, sic pro nomine*, morbi, *lege*, pleuritides.

Hæc autem affectio terrifica est, quia sæpe est tabis minax; tamen si solandus æger est, adducetur locus Plinii de Macrino & Saturnino urbis præfecto, utrique hæmoptysis erat familiaris, & tamen Saturninus annum nonagesimum attigit. Et notavimus alibi, magnas excretiones sanguinis e pulmone minus esse periculosas quam parvas. Qui sanguinem emittunt, *ait Hippocrates*,

(o) A fluendo.

(p) Anacatharsis.

crates, si sine febre quidem salutare, si vero cum febre, malum; *curare vero acerbis & refrigerantibus* aph. 37. lib. 7.

3. *Nil est tam vulgare quam tussis, & quo magis tussis est vulgaris, eo fere negligitur, & idem dolori dentium contingit; qui quia crebro sævit, nullique parcit, aut ætati, aut sexui, eo minoris æstimatur & tamen tormentis annumeratur; tussis præsertim quæ vetustior & molestior mala sæpe, ut signum, & ut causa: ut signum, quia, aut vitium partium a quibus manat fluxio, aut in quas repit, aut humoris malitiam significat: ut causa, quia succussu & excussu pulmonem offendit, & caput: immo caput replet (ait Hippocrates) ob agitationem, & pulmonem calefacit, quæ incommoda magnifacit. Tussis autem alia est humida, alia sicca; humida fere a distillatione est, & plus nocet quantitate quam qualitate humorum: arida non ita a distillatione est, nisi forte aliquando ab efferi indomitique humoris labentis irritatione, sæpius est a refrigeratione, (unde, quum os aperitur, aut quis loquitur statim tussit) a tuberculo, ab exulceratione; & horum materia irritans non facile exigitur; Testatur pleuritis cruda, in qua inanis est tussis. Fernelius ait eam tussim quæ semel anno, aut ex intervallis molesta est, a destillatione esse: quæ continenter nullaque, aut minima intermissione fatigat, aut vitiosam pulmonis affectionem, aut veterem obstructionem, aut stabilem intus causam habet, quod tamen probabile videtur, nam quibusdam ferina destillatio est, eaque a capite & assiduo vexat, testis sensus ipse; nam dum fauces transit molestiam infert irritando; error autem aliquando in ea tussi committitur, quæ a latente in pulmone vitio oritur, dantur enim sæpe styptica eaque virus in pulmone supprimunt; si enim ponimus, aut pus, aut saniem subesse, sicque obstructionem tussis caussam agnoscimus, adstringendo obstructio augetur, & materia expectorabilis sistitur.*

CONSILIUM XCVIII.

De Alvi fluore, hæmorrhoidibus & aliis affectibus, pro uxore Anglorum legati.

Insuetæ & subitæ temporum, locorum tempestatumque mutationes, sæpe gravium morborum causæ ob repentinam corporis hu-

NObilis Domina, Clarissimi Angliæ Legati conjux, ex quo Lutetiam appulit (agitur autem annus quintus) dubia & lubrica fuit valetudine, sive id loci, aëris, & cœli mutatione contigerit, sive potius, ut ait Hippocrates, quod ἡ φύσις τῶν ἀνθρώπων πάμφορος ἐστὶ τῶν πάντων νοσημάτων (q), & totus homo a nativitate morbus est.

Primum ejus faciem & nonnullas partes ignes sacri affecerunt, & ea quæ Græcis φλυσάκια καὶ φλυκτάιναι (r) dicuntur. Affectus quidem cutanei alias lædunt, alias non lædunt: lædunt, & mali sunt, ut signa, quum ob

(q) Natura humana est omnium morborum fœcunda.

(r) Pustulæ ignitæ & papulæ.

ob vitium internum, aut imbecillitatem expullulant; prosunt & ut bonum signum apparent, si critice, si per exonerationem quamdam efflorescant: in nobili domina cacochymiæ effectus & soboles fuerunt, neque enim critice erumpunt.

morumque agitationem. Epist. ad Damagetum. Celsus.

Cutaneum hoc malum, licet sæpe fugax & innocens fuerit, tamen afflixit, quia faciem maculavit: at feminis cura, & cultus corporis non facile eripi potest. Aliquo post tempore profluvia alvi eam exercuerunt, alias cœliaca, mesenterica, alias lejenterica: ab his vix ac ne vix liberari potuit.

Sed & inter cetera sæviit molestus hæmorrhoidum dolor; ubi enim semel eminebant ora venarum & tanquam capitulis surgebant, oborta inflammatiuncula, dolor movebatur tormentis pæne annumerandus: alias immodicus erat fluor, & tamen minus fuit molestus fluxus etiam non mediocris quam omnimoda suppressio; verebamur ne inclinata in præcordia & in viscerum aliquando materia gravi morbo corriperetur: ideo non suppressimus quod eo sanguinis profluvio imbecillior non redderetur; habet enim purgationem hanc, non morbum, ait Celsus: notabis φράσιν (*s*) purgationem non morbum; tamen fluendi assiduitate sphincter infirmior fuit: hinc sedes procidua & ejus quasi ἐκτροπὴ (*t*). Verum hæc verba in morbis partium naturalium, consuetudine verecundius loquentium accommodata nobis videntur, licet videatur difficilis Celso earum partium morborum explicatio, homini præsertim pudorem & artis præcepta servanti: quamquam in vulgus eorum curatio præcipue nosci debet quæ invitissimus quisque alteri ostendit; nostrum autem judicium de conferta illa mensium & hæmorrhoidon evacuatione, in muliere præsertim, aperiemus.

Sub finem c. 6. de hæmorrh.

Inter hæc mala & tædia sæpissime doloribus capitis, maxime vero hemicrania fuit vexata, unde tristis caloris sensus in fronte & temporibus, fuitque pars anni aliqua, in qua vix somnus conciliari potuit, ut etiam ad hypnotica & narcotica necessitas nos adduxerit; & verebamur ne intemperies calida sicca membranas cerebri invaderet, quæ tandem affectum τῇ σιριάσει (*u*) non dissimilem procrearet.

Adustus humor melancholicus graviorum capitis dolorum sæpius causa esse solet.

Sed ad hæc tot tantaque mala anno 1586. accessit calamitas morbillorum seu variolarum vulgo dictarum, & tanta quanta maxima concipi animo, oculisque videri potest; sed ab ea partim Dei beneficium, partim artis medicæ officiosa sedulitas asseruit atque vindicavit, ut nulla, aut perexigua istius luis vestigia restiterint; atque non mirum est, si antiquitas in hominibus certas proprietates, & ἰδιοσυγκρασίας (*x*) annotarit, ut corpora a corporibus, & morbi a morbis longo differant intervallo.

Dicam unum de peculiari natura & temperamento illustris Dominæ. Omnium malorum causa referenda videtur ad perennem generationem seri putris, & maligni, quod in cutim erumpens ignes sacros & phlyctenas excitavit, in ventrem profluvia, remistum sanguini & copiosiora menstrua

 ciet,

(*s*) Phrasin.
(*t*) Eversio.
(*u*) Siriasi.
(*x*) Idiosyncrasias.

ciet, & hæmorrhoidales venas replens effluvium ſanguinis per alvum concitat.

3. Sanguis quippe a mala hepatis diatheſi ita vitioſus & ἰχωροειδὴς (y) generatur, ſanguis morboſus eſt, & ut vulgo dicitur & κατὰ πλῆθος & κατὰ πάθος (z): rurſus Ariſtotelis opinione vel τῇ φύσει vel νόσῳ (a): ſanguis enim humidior morborum eſt parens, ait Ariſtoteles, & Græce διυγρῆν dicitur, id eſt liqueſcere, in ſerum alendo ineptum converti, quia ſuam πῆξιν & σύγασιν (b) naturalem amiſit, κατὰ τὴν ἀναγειχείωσίν τινα (c). Nec enim tam ſanguis eſt, quam ſanioſus ſanguis, & revera ἰχὼρ (d): ἰχὼρ autem inter verum ſanguinem & pus medius eſt quodammodo, ait Celſus. Apud Ariſtotelem vero generalius ſumto nomine, ſanies ſanguis incoctus eſt αἷμα ἄπεπτον (e). Ἄπεπτον autem dicitur, aut quia nondum coctus eſt, aut quia in ſerum diluitur & convertitur: ſic enim per putredinem amiſſis ſuis fibris ſanguis in putre quoddam ſerum reſolvitur, id quod ſanguini illuſtris Dominæ contigit; quoties enim ſanguis detractus eſt, (detractus eſt autem fere viceſies neceſſitate ad id impellente & vere & autumno, quo tempore morbi ejus gliſcunt, & egerminant) impurus fluxit & impurior quam quis credere poſſit. Ut mirum non ſit, ſi non ſufficiat menſtrua evacuatio per ſinum pudoris, ſed & alia purgatio ſubſequatur per anum, menſtruam fere periodum retinens, & ea videtur ſupplere id in quo deficit conſueta per menſes evacuatio, quæ alioqui aliis mulieribus minus valetudinariis ſatis eſſe ſolet.

Lib. 3. c. 19. de hiſt. animal. Credidit antiquitas quod diis non eſſet ſanguis ſed ἰχὼρ aliquis pro ſanguine. Loco ſupra poſito.

4.

5.

6. Hinc Ariſtoteles paucis mulieribus mariſcas fluere ait, aut varices oriri, aut ſanguinem e naribus manare, & ſi quid horum accidit detrimentum in menſtrua decumbit: ſupra enim ſtatuerat ſanguinis e naribus, aut ex ſede profluvium, varicum quoque ortum non contingere ſolere, niſi iis quibus ſanguis morboſior eſſe ſolet, aut quibus viſcus aliquod male habet, ut credam quidem mulieribus menſtrualibus fluxum hæmorrhoidum morbum eſſe, viris non morbum, ſed ſanitatis tutelam; ſed de his fortaſſis plura quam par ſit præſertim apud artis peritum.

Ariſt. c. 19. l. 2. de hiſt. animalium.

Intra vero hæc remedia conſiſtendum putavimus.

Curatio. Vere & autumno, & ſæpius aliquando ſanguis detractus eſt; ni detrahebatur gravi aliquo ſymptomate premebatur.

Caſſia juſculo diſſoluta magno profectu uſa eſt; temperabatur enim pulmonum & hepatis intemperies quædam.

Balnea in uſu frequenti fuerunt, æſtus hypochondriorum moderandi ergo.

Ad pathemata melancholica opiatæ contulerunt; heddychris medicamentis uſa eſt, ad demulcendos dolores.

Hæc porro a me non tam docendi quam communicandi ſtudio dictata ſunt,

(y) Ichoroſus.
(z) Secundum plenitudinem & ſecundum paſſionem.
(a) Natura vel morbo.
(b) Concretionem & ſyſtaſin.
(c) Secundum quandam reelementationem.
(d) Ichor, ſanies.
(e) Sanguis crudus, incoctus.

ſunt, nulla enim non opera dari debet, ut illuſtriſſimæ Dominæ ſaluti conſulatur; hæc ejus valetudo, & incommoda & imbecilla ad id nos invitat, & tanto citius quanto promtius in morbos ruit; in multa enim imprudens caderet niſi ab amico Medico moneatur. Offenſis enim infirmitas eſt maxime obnoxia, ſed & ad hoc officium & obſequium accendere debet illius candor, & ſuavitas; Medici enim fuit amici notare peculiarem naturam, quo facilius imminentes morbi arceantur & præſentes abigantur; facilius quippe morbus excluditur, quam introductus expellitur; hoc autem operæ pretium magis faciat amicus Medicus quam extraneus; utilior enim eſt amicus, licet par ſit ſcientia, ideo in ſuo Medico non ſolum ſcientiam, ſed & fidelitatem, & benevolentiam Tullius requiſivit.

Celſus. Raro quiſquã non aliquam partem imbecillam habet. Ægrius ejicitur quam non admittitur hoſpes.

7. *Hipp. Tull. Suetonius. Lib. 3.*

ANNOTATIONES.

1. *Hæc domina in Franciam venit cum ſuo conjuge Legato, quod novum & inſolens erat Auguſti Cæſaris temporibus; hic enim Legatorum nemini permiſit, niſi gravate & hibernis menſibus uxorem interviſere. Apud Tacitum eſt diſceptatio arguta Severi Cæcinnæ & Valerii Meſſalini, an mulieres debeant eſſe comites ſuorum maritorum ſive in bello, ſeu in legationibus.*

2. *Nota loquendi formam Cornelii Celſi in iis quibus vitium non eſt internum, ſed tantum* συναθροισμὸς (*f*), *hæmorrhoidum fluor purgatio eſt, non morbus, in aliis contra, ſi vitium internum, ſi ſymptomatice omnino fluit ſanguis, eſt morbus: eſtque quod dicimus, vi morbi fit, & vi naturæ.*

Quod autem ad fluxum earum immodicum pertinet, duo animadverſione, & proviſione digna ſunt; prius, quod, qui ſunt cacochymi, & laborant hepatis intemperie, quique vitioſum ſanguinem congerunt, ii fluxus immodicos patiuntur, atque ſanguis peccat duobus modis & κατὰ τὸ πλῆθος *&* κατὰ τὸ πάθος (*g*): *maxime vero in mulieribus; ſi enim fluxus muliebris, a Galeno* comm. ad part. Epidemiorum συγγενὲς βοήθημα (*h*) *vocatus, & qui menſe velut vectigal redditur, non ſufficit naturæ ad expurgandum & fluxus hæmorrhoidum requiritur, malum id eſt, & ut ſignum & ut cauſa. Et revera quotquot mulieres fluori hæmorrhoidum obnoxias vidi, eæ valetudinariæ vixerunt. Notatque Hollerius viduis aliquando loco menſium fluere hæmorrhoidas, item quibuſdam gravidis quatuor menſes. Poſterius quod obſervandum eſt, ad therapiam pertinet, nempe quod diligenter & exacte purgari debent ii quibus immodice fluunt hæmorrhoides; corpore enim legitime repurgato promtius & tutius & deſinunt & ſupprimuntur hæmorrhoides purgationibus; cacochymia, quæ extra vaſa eſt, foras exigitur, corpus temperatur & refrigeratur, hinc ſanguis gignitur temperatior, ideoque minus ad naturam irritandam idoneus, quæ non poteſt frui ſanguine fervidiore, & naturam* μελαγχολικωτέραν (*i*) *ſapiente.*

Hæmorrhoidibus mulieres obnoxiæ fere ſunt valetudinariæ.

Deſinunt hæmorrh. corpore legitimis purgationibus vacuato.

 3. *Ariſto-*

(*f*) Coacervatio.
(*g*) Secundum plenitudinem & ſecundum paſſionem.
(*h*) Auxilium cognatum, familiare.
(*i*) Magis melancholicam.

Quæ in sanguine consideranda veniunt.

3. *Aristoteles ait pro ætatum ratione sanguinem distingui*, καὶ τῷ πλήθει καὶ τῷ εἴδει (k), ad finem cap. decimi noni lib. tertii de historia animalium: *In sanguine autem cernitur substantia, qualitas, color, caliditas, frigiditas, consistentia quæ σύστασις dicitur, & quum serum fit istam σύστασιν (l) vitiatam dicimus. Idem Aristoteles viam paraturus ad tractatum de hæmorrhoidibus dividit sanguinem in sanum & morbosum νοσώδεα. Et hinc occasio ducitur & canon secandæ venæ; fit autem malus & φύσει & νόσῳ (m): omnis σῆξιν (n) habeat necessum est, nisi fibris sit cassus ut sanguis damarum: Hippocrates* lib. de natura pueri *laudat sanguinem fluentem a partu si grumescat.*

4. *Hunc locum de sanie & sanguine putri illustrat Aristoteles reddens rationem, cur soli homini hæmorrhagia e naribus contingat*, probl. 2. lib. 10. *admonet inter cetera hoc quod quisque sanguis vitiatus integro tenuior exsistit: talis autem est qui se excrementis miscuit & quasi in saniem degenerat.*

Autumno generantur sanguinis ichores πικροὶ (s).

Ichor autem in malam fere partem capitur apud Hippocratem, & est quædam anni pars ichorum procreatrix & singuli humores suas quasdam habent humiditates ὑγρασίας, ὄρρυς, ἰχῶρας (o), qui quidem retinent naturam humoris proprii & συγγενὲς (p): unde apud Paullum sub æquinoctium vernum sunt γλυκεῖς (q) ichores sanguinis: At vero circa vigiliarum ortum sunt & generantur maxime ἰχῶρες πικροὶ (r): & quemadmodum cuique humori suum est serum naturale, ita humori præter naturam suum quodammodo est serum malum.

Cuique humori natur. & præter naturam suum serum.

Est & aliud excrementum quod proprie λιγνυώδες (t) dicitur, & maxime iis succrescit qui pravis alimentis utuntur, ut sunt cæpæ, allia, &c.

5. *Alii audentius sanguinem demunt quum impurus est, quod impurum sanguinem noxam afferre corpori asserant: alii contra: Galenus restrictior est in sanguine mittendo quum impurus; utrisque suæ rationes patrocinantur.*

Hæmorrhagiæ familiares iis quibus viscera sunt imbecilla.

6. *Citavimus ante ex Aristotele soli homini inter animantia hæmorrhagiam contingere, id quod Plinius docet* cap. 38. lib. 11. *sed maxime notandum est iis partem aliquam in vitio esse quibus familiaris est hæmorrhagia, quamquam id distinctione opus habet; videndum enim num sanguis fluat κατὰ τὴν ἀτονίαν (u), an per plethoram, & conatum naturæ; verum ex hoc Aristotelis loco multa notatione digna eruentur, & maxime quod pertinet ad sanguinem ἰχωροειδῆ (x), & ad hæmorrhoidum fluxum, an sit morbus in mulieribus, an simplex purgatio. Celsus subtiliter & medice loquens de iis quibus parum tuto supprimuntur hæmorrhoides, præsertim quum tali profluvio imbecilliores non redduntur, ait hanc purgationem non morbum esse: in varice enim, hæmorrhoide τὸ αἷμα ἐστὶ νενοσηκὸς, at ἐν ῥῷ (y) sanguis est morbosus; menstrua autem mulieres a ceteris morbis sanguinis vindicant. Et τῶν ἄλλων νοσηματικῶν ὑ μετέ-*

(k) Plenitudine & specie.
(l) Consistentiam.
(m) Natura & morbo.
(n) Concretionem.
(o) Serum, ichores.
(p) Consanguinei.
(q) Dulces.
(r) Ichores amari.
(s) Amari.
(t) Fuliginosum.
(u) Secundum atoniam.
(x) Ichoroiden.
(y) Sanguis est morbosus, at in fluxu.

ὑ μετέχουσι αἱ γυναῖκες (z) *non dicit* νοσημάτων (a), *ac si velit & menstruam purgationem esse aliquid* νοσηματικὸν, *id est morbosum; quod si mulieribus contingant varices, hæmorrhoides,* καταμήνια (b) *fiant* χείρω, *id est pauciora, detrimentum in menstrua incumbit, ait Gaza, non quod in viris fiant a laudabili sanguine: loquens enim generaliter, ait,* νενοσηκότος τοῦ αἵματος (c) *est, varix, hæmorrhagia, hæmorrhois.*

7. *Nil magis ægris prodest, quam ab eo curari a quo volunt. Seneca* lib. 4. declamat. 5. decl.

CONSILIUM XCIX.

De hepatis & pulmonum calida intemperie cum totius corporis extenuatione. Pro D. Judith. Memmœa.

QUum morbus est incognitus etiamnum remedia sunt tentanda; hæc, si minus juvent, modo allevetur æger, sæpius repetantur; communibus autem utendum remediis donec res patuerit; id maxime in longis, quia res urget in acutis. *Hipp. lib. de loc. in homi.*

In deliberando aliquid ponere quod non est, magni refert; exacte etiam nimis quærere, nec aliquid statuere donec ἀποδεικτικῶς (d) res innotescat, non vacat periculo, id enim affectatum nimis.

Puella habet cerebrum καταῤῥοικὸν (e) & nares humidiores: Hippocrates opponit τὸ ὑγρὸν τῇ φύσει, τῷ ὑγρῷ ἐκ τῆς νόσου (f): Aristoteles autem loquens de sanguine humidiore & morbosiore, ait, ita esse vel natura, vel morbo, seu τῇ φύσει vel νόσῳ: qui natura nares habent humidiores morbosis sani sunt, qui ἐκ νόσου vice versa. *Sanguis humidior, vel natura, vel morbo.*

Catarrhosus eo se habet modo, quo is qui diarrhœea laborat; quod diarrhoea in ventre, id est in cerebro catarrhus, ait Galenus.

Plerique sunt sicci, humiditatem tamen plurimam habent; quo enim quidque est siccius humiditate primigenia, eo humidius est humiditate excrementitia; id senes declarant; sed & in aliis ætatibus id fit; maxime vero humiditatem excrementitiam habent, qui calorem habent fugacem, qualis in palea accenditur; contra qui calorem stabilem habent & carnes solidas, minus sunt excrementosi, nisi peccent in ratione victus. I. *6. epid. hic locus legitur. Cap. 4. l. 3. de sympto. caus. Quæ sicciora humid. primigenia: humidiora humid. excrementitia. Hipp. lib. de carnib.*

Puellæ huic multa est humiditas excrementitia, quod imbecillæ naturæ est argumentum, & caloris instabilis; tussiculosa est, cerebroque est amplo & humidissimo, sic tabescit defectu boni roris, & alimenti fixi, & glutinosi, & excrementis scatet; cerebrum enim fere liquescit.

Cerebrum

(z) Aliarum affectionum morbosarum non participant mulieres.
(a) Morborum.
(b) Menstrua.
(c) Morbosioris sanguinis.
(d) Demonstrativè.
(e) Rheumaticum.
(f) Humidum à natura humido ex morbo.

Cerebrum eſt metropolis humidi & glutinoſi, & facile colliquationem patitur a calido præſertim; facile enim fit a calore σύντηξις vel διάχυσις (g): σύντηξις enim triſtius nomen eſt, triſtioris cauſæ argumentum.

Rubor eſt genarum fugax, pulſus frequens cum mollitudine, macies, ſputa ſubviridia guttulis ſanguinis adſperſa, quæ non tam a vaſis, quam a pulmonis ſubſtantia delicata aliquantum excoriata, ichor enim ſanguineus manat, hæmorrhagiæ frequentes, hæ ſunt calidiorum pulmonum notæ: quibus vero imbecillior & calidior eſt pulmo, iis hæmorrhagiæ e naribus ſunt frequentes, unde Hippocrates *attractio*, *pulmonis incendium*. At vero puellas hæmorrhagicas eſſe fere contra naturam eſt, melius enim per uterum repurgarentur, ideo Ariſtoteles damnat mariſcas & fluxum e naribus in mulieribus menſtrualibus; rationes explicatæ ſunt paullo ante, quamquam Hippocrates vult menſtruo deficiente bono eſſe ſi fluat e nare ſanguis, fluor enim ſuccedaneus eſt.

Cap. 19. l. 3. de hiſt. animal.

De hæmorrhagia narium unum notandum, quod hæc ſoli homini contingat ex Plinio; Ariſtoteles id belle explicat *in problematis*, docetque quod omnis ſanguis vitioſus ipſo ſanguine integro ſeroſior eſt, & tenuior.

Plin. c. 38. l. 11. Ariſt. probl. 2. l. 10.

D. Fernelius annotat eos e naribus ſanguinis fluxum pati, quibus viſcera ſunt imbecilla, & jecur maxime, id quod hydropicis contingit; itaque eſt potius robur addendum jecori, quam captanda occaſio mittendi ſæpe ſanguinis, quia ſtillat ſanguis, qui e nare fluit: hinc illud Hippocratis; *Quibus e naribus fluit ſanguis, iis, vel ſperes ſplenem in tumorem elevatum, vel caput dolere, vel habituros ante oculos* μαρμαρυγάς (h).

Cap. 4. l. 2. meth. med.

Contra eos qui ſecant venam quia vident e nare ſanguinè fluere. lib. 2. prorrh.

Extenuatur puellæ corpus in dies; omnis extenuatio, aut alimenti penuria, aut corruptione, aut exercitio validiore, aut dolore, aut morbo colliquante, præſertim evacuatione, aut creſcendi opportunitate. Coloris tamen bonitas ſæpe fallax eſt; ut quæ ſæpe ſit potius index intemperiei viſcerum quam humorum bonitatis.

Marcoris cauſa alias latet, alias non; tabeſcunt quidam ob morbum τῆς ὅλης οὐσίας (i); quod ipſe Galenus docet exemplo auriginoſorum, quibus hepar vitioſum eſt, quum nil manus tactu deprehendat.

Lib. de loc. aff.

Videtur fere obnoxia pemphingodi, febris inflativa & ſcintillans vocatur; præbet enim opinionem exſilientium, & manui occurrentium ſcintillarum.

Si in hepate ἀτονία (k) foret, aliis ſignis id pateret. Videbatur ipſius jecoris σύρασις (l) mala ut mollior & laxior, ſic facultas retentrix imbecillior & quia humores non ſatis retinentur, effluunt.

Contra τάραξις (m) oculorum, ophthalmiæ frequentes pulmonem potius calidum accuſabant; ſic & hepati & pulmoni conſulendum fuit.

Curatio.

Laudatur caſſia cum roſacea conſerva: immo conſerva iſta in uſu; juſcula glutinoſa, ſantalorum in aqua maceratio, maſtiche, cruſta panis, lac aſinæ,

(g) Colliquatio vel diffuſio.
(h) Species coruſcantes.
(i) Totius ſubſtantiæ.
(k) Atonia.
(l) Syſtaſis.
(m) Turbatio.

asinæ, litus jecoris ex santalino; electuarium triasantalon, syrupus de lamio.

Dubitatur de lacte quia sumidum est, & caput opplet. Volebant lapidem jaspidem collo appendi. Galenus jaspidis viridis meminit, nec tantum tribuendum auctoritati eorum qui proprietates occultas laudant, quin ad manifestas concurratur; hæmatites lapis si fossilis reperietur, non autem factitius, probatur; non indormiat pulvinari ex pluma molliori facto; non obvertat faciem igni; omnis excessus & gravitas aëris vitetur. De usu frigidæ quatenus utendum sit vide apud Hippocratem *de liquidorum usu.*

ANNOTATIONES.

1. *Serosior sanguis & qui in aquam citrinam resolutus est, non caret vitio: vel enim ob putredinem fit talis sanguis, resolutis a putredine fibris; vel serescit, quia crudior est nondumque coctus, vel ob potum liberaliorem, vel jecoris imbecillitatem, universus sanguis fit serosior, ut in hydropicis apparet, vel etiam ob imbecilliores renes, ut qui nequeant illud attrahere, vel eorumdem obstructionem, quo pertinet locus Galeni* ad partic. 28. 2. Prog. *loquens de urinis subrubris, eas ad diuturnitatem, sed securitatem morbi ait apparere, fiunt autem quum sanguinis serum cum urina excernitur: indicat autem id exsuperantiam sanguinis non exquisite cocti & confecti, & quia est exsuperantia humoris integerrimi, abest periculum, quia humidior, & serosior quam esse debet, coctione opus habet, idem docet Galenus* ad hist. 2. de Hermocr. sect. 1. lib. 3. Epid.

Sed observatione dignum quod ait Galenus: primum quod suis temporibus fere expers erat seri sanguis; nunc autem & pueris, & natu majoribus in putre serum resolutus est; quo fit ut vini albi usus sit salubrior, quia tenuitate partium & subeundi facilitate sanguinis serum secernit & expurgat: posterius, quod non detrahebatur sanguis nisi male affectis.

2. Menstruis deficientibus sanguis ex naribus fluens bonum, *ait Hippocrates* aphor. 33. lib. 3. *rationem reddit Galenus* in comm. *nam si ob aliquam dispositionem lædit mulierem retentus, si per aliam partem vacuetur, omnem tollit læsionem.*

CONSILIUM C.

De Aphthis in ore & calida viscerum intemperie.

QUum olim fecundissima foret Domina des Marests, utcumque per ætatem gestare desineret, esset tamen restibilis fecunditatis, desiit esse menstrua, unde aphthæ in ore, siccitas, calor thoracis &c. hæc autem temperamento sanguineo erat.

Consultum est, ut bis terve anno vena incideretur, eoque frequentius ex Hippocrate quo fecundior fuit; natura enim solita erat multum sanguinis 1. *Lib. de superfetat.*

guinis absumere in nutritione, & formatione fetus; nam molestior & periculosior erit ei mensium suppressio (licet naturalis) quam si sterilis fuisset, ob consuetudinem, & generandi multi sanguinis, & foras in enixu emittendi; & nisi de demenso solitoque cibo detrahatur, ægrotabit, ut ii quibus crus est mutilatum, & dysenteriæ cruentæ sunt obnoxii: par enim est propemodum ratio. *Solus* namque *sanguis temporarium sumit incrementum* (ait Plinius) *& citissime generantur; si quidem hostiæ abundantiorem fundunt sanguinem si prius biberint*; id etiam & nutrices docent, in quibus tam facile & lac evanescit, & exuberat. Victus ratio ad unguem servanda, juscula refrigerantia non multum nutrientia, ovis & carnibus utendum parcius; stricta tamen victus lex non placet, ut ne defectu pabuli accendantur humores; sub finem pastus aqua frigida, cydoniatum, frustum pomi; epithemata ad cor & hepar; vinum dilutissimum, pomaceum, pyratium, ptisana pro vino, hordeata non plena, sed cremor solius hordei, additis seminibus frigidis, vinum diluatur aqua hordei.

Cap. 38. lib. 11.

Lotio pedum, balnea, lac asinæ domi hordeo nutritæ, syrupus inspissans sanguinem, julepum rosatum, gargarismi refrigerantes, cassia, clysteres refrigerantes, apertio venæ malleoli.

ANNOTATIO.

1. *Hippocrates* loco laudato *sic habet*, γυνὴ ἥ τις ἀεικύμων ἐοῦσα πέπαυται κυισκομένη φλεβοτομείσθω δὶς τοῦ ἐνιαυτοῦ ἀπὸ τῶν χειρῶν καὶ σκελέων. Mulier quæ facile concipiebat, si concipere desinat, illi bis in anno tum e manibus, tum e cruribus vena tundenda est. *Rationes sunt in contextu.*

CONSILIUM CI.

De Vertigine.

HIc morbus quo majoris est momenti, eo majori studio curaque profligandus est. Et quum multæ sint vertiginis causæ, vel indigenæ, id est a cerebro natæ, vel alienigenæ, tentanda sunt remedia communia, donec peculiaris affectionis notitia major fuerit; tunc enim in eam partem cura dirigetur; itaque in communioribus remediis erit consistendum.

Ratio victus in cibo, potu, rebus non naturalibus servanda est, maxime vero animi pathemata moderanda sunt, quæ hic plurimum virium habent.

Pulveres corroborantes: a pastu cydoniatum.

℞. *Seminis anisi, fœniculi & coriandri conditi, ana, unc.* ß: *seminis pæoniæ, scr. j: conservæ rosarum siccæ, scr. iv: diaireos, dr.* ß: *ossis e corde cervi, & diamargariti frigidi, ana, scr.* ß: *cum sacchari rosati, unc. iiij. fiat pulvis.*

Pilulæ in frequenti usu minores, majores.

℞. *Pilu-*

℞. *Pilularum imperialium, assaiareth, ana, dr. ij: visci querni, ungulæ alces, & radicis pæoniæ, ana, gran. vj: fiant pilulæ minores.*

℞. *Massæ pilularum de hiera dupla aloe, sine quibus & aggregativarum Mesuæi, cocciarum, ana, dr. j: salis gemmæ, cranii humani, seminis pæoniæ, ana, scr. j: pulveris sennæ, dr. ß: cum aqua betonicæ, infusione cinnamomi & ligni aloes fiat massa, de qua capiat semel hebdomada.*

℞. *Conservæ rosarum, unc. ß: buglossi, borraginis, melissæ, tunicæ, calendulæ, florum pæoniæ, ana, dr. jß: corticis citrii, dr. j: seminis pæoniæ, scr. ß: cranii humani, mithridatii, ana, scr. j: cum pauco pulvere diamargariti frigidi fiat opiata ad usum.* Ptarmica, aut vitanda, aut moderate utenda; ptyalismus utilis est; cucurbitulæ, clysteres, lotiones pedum tempore convenienti. Phlebotomia, vere, & autumno, aliquando e malleolo. Non utendum vino, nisi præsumto cibo, aut præhausto jusculo.

Non dormiendum statim a cibo. Nimia actio cerebri, & vigiliæ obsunt. Mutationes aëris fugiendæ.

Frictiones capitis fortes præsertim & circumductæ.

CONSILIUM CII.

Ad impediendum aborsum, pro filia D. de Monglat.

RAtio victus est præscripta, nec est quod gravida perpetuo se se contineat in lecto metu majoris mali, nisi forte ad octavum mensem, aut principium noni.

Applicabitur emplastrum ex unguento comitissæ, tragacantha, masticbe, cera & bolo armena.

Conserva rosarum liquida valet, & bolo & potu sumta.

Quoniam ῥεῦν quemdam patitur, is omnino prohibendus non est, sed utendum infuso rhei cum santalo citrino, aut aqua rhabarbari sola, vel tabellis rhei ex electuario triasantalon, aut pilulis ex eodem rheo concinnatis.

Convenient tabellæ cum coralliis, rasura eboris, cornu cervi, succino, rosa, lapide hæmatite, cum saccharo in aqua rosarum soluto; utendum & pulvere ex fœniculo dulci, coriandro, rosa, corallio, mica panis tosti pulverata, cum saccharo rosato, aut pane biscocto.

Phlebotomia confert; scutum ad regionem ventriculi ex lapide aquilæ, absinthio, rosa, cypero, nuce moschata, caryophyllis cum tantillo croci, vel madeant flores buglossi in vino; clysteres (qui per se in gravidis reformidantur) ratione torminum subjicientur anodyni; subodoretur gratos odores, ingratos refugiat.

CONSILIUM CIII.

Ad fluorem muliebrem.

ANte omnia, moderata vitæ lex utiliſſima & perneceſſaria eſt, tantique momenti, ut ea ſola tam moleſti morbi vindex & liberatrix eſſe poſſit, alioqui licet ſalus ipſa ægram ſervare cupiat, ea non poſſit.

Detractio ſanguinis frequens utilis; clyſmatum uſus; & tabellarum triaſantali triplo rheo; aut ſumitur ex ovo ſorbili pulvis paratus ex oſſe ſepiæ, diatragacantho frigido, pane toſto, & ſiccato, electuario diaireos, anthera, raſura eboris multa, cornu cervino, coralliis.

Decoctum ſudorificum ex china & ſarſaparilla.

Suffitus per infundibulum decocti radicis ſymphyti, enulæ campanæ, roſarum, radicis pentaphylli, ſeminis lini, pæoniæ, cyperi, calami aromatici, florum chamæmeli, artemiſiæ.

Uſus aquarum Nivernenſium potu, deinde Plumbarium balneo, poſt ſequentis ſyrupi uſum.

Syrupus. *℞. Radicis enulæ campanæ, ſymphyti utriuſque, ſanamundæ, pentaphylli, dictamni, ana, dr. vj: cichorii totius, hepaticæ, eupatorii, fragariæ, bugulæ, ſaniculæ, primulæ veris, veronicæ, ſcabioſæ, meliſſæ, ana, man. j: ſeminis cardui, dr. ij: roſarum provincialium, & tranſmarinarum, ana, man. j: halicacabi fructus, num. x: fiat decoctio in qua leviter bulliant foliorum orientalium, unc. iv: ſucci pomorum & bugloſſi, ana, unc. ij: colaturæ lib. j. adde infuſionem unc. j. rhei infuſi in parte decocti, cum ligno rhodio, ſantalo citrino & cinnamomo: ſacchari, quantum ſatis: fiet ſyrupus mediocriter coctus: exhibe cum aqua bugloſſi & bipinellæ ad unc. ij.*

Agaricus quidem confert, ſed quia mulier fluori ſanguinis immodico obnoxia eſt, eo abſtinendum fuit.

CONSILIUM CIV.

Ad moleſtos herpetas & ſerpiginem, cum furfure & ſquammis.

SErpigini, pſoræ, ſcabiei, &c. a bile uſta, aut ſucco melancholico pituitave ſalſa, cutis vitiis, aqua ſalſa, ſulphur, lithargyrus, teſtæ ovi in aceto maceratæ donec molleſcant conſumanturque, conferunt. An ea lex eſt contrariorum ut contrariis elidantur & oppugnentur; an non potius ἐπικερασικὰ conveniunt, ut acribus mitigantia aptentur? Temperantia conveniunt per ſe & mixta detergentibus & acriuſculis, & nocent aliquando. Id belliſſime explicavit Galenus: *acria*, ait, *medentur mordacibus humoribus, quia educunt ſuccum mordacem abluendo, & abſtergendo: non ſtatim ſanant*,

Cap. 12. lib. 2. de ſimpl. med. faculs.

ſanant, ſed exaſperant potius, ſanitatem enim efficiunt ratione evacuationis, non ratione τῆς ἐπικράσεως: immo contemperantia aliquando majorem mordicationem efficiunt ex accidente, ut ſi corrumpuntur, & una alunt foventque cacochymiam: ſi humoribus acribus ſunt ſuperiora, juvant, ſi humorum majores ſunt vires, lædunt: immo alitur foveturque cacochymia & acrimonia. Quo fit ut Medici ea miſceant temperentque, ideo ut valetudini Nob. Viri conſulatur, hæc ex uſu erunt remedia. Victus ratio refrigerans & humectans in primis conveniet; utatur ptiſana loco vini, aut pomatio limpidiſſimo & probe defœcato; uſus caſſiæ in potu vel bolo, aut diſſolutæ in juſculis vitellinæ carnis, in quibus folia ſennæ certa quantitate macerata prius fuerint; balneum ni vires dehortentur conferet: Item lac aſinæ, & abluere partes impetiginoſas eodem lacte; hordeata clariuſcula, & ſyrupus violatus recens, cum ſyrupo de lupulo cum aqua cichorii & paſſularum. *Victus ratio.* *Purgatio.* 1.

Fovendæ ſunt partes ſero lactis, in quo coquatur hordeum, furfur, ſcabioſa, anagallis, morſus gallinæ, radix biſmalvæ, folia helxines, vel ex ſacculo, aut potius ſpongia. *Fotus.*

Fiſſuræ linantur unguento aureo, addito vitello ovi, mucore ſeminis cydoniorum extracto in aqua roſarum; aut deſiccativo rubro ob metallica: mica panis macerata in decocto avenæ valet ad lavandum; ſi malum rebellet aqua aluminoſa (inflammatione mitigata) aut argenti vivi; ſulphur cum axungia: enulatum cum mercurio pauco, citrii ſucco, addito unguento roſato Meſuæi, aut pomata ſequens. *Linus.*

℞. *Fruſtum laridi ſalſi, in talleolas incidatur, eas per novem dies in aqua frigida tempera, quotidie mutando, quibus exactis in aqua plantaginis & roſarum denuo macera, & vas cineribus calidis impone ut liquentur & tabeſcant talleolæ, additis deinde unc. ij. ſucci limonum, nive candidiorem pomatam efficies, maculis faciei, & furfuribus extergendis maxime idoneam*: quidam præſcriſit quod ſequitur.

℞. *Axungiæ ſuillæ, lib. j: infunde & lava in aceto ex vino albo & in eodem coque, adde ſulphuris & mercurii, ana, dr. ij: fiat unguentum ad uſum.*

ANNOTATIO.

1. *Notat Plinius* cap. 12. lib. 28. *Poppæam Neronis uxorem ad faciei nitorem aſinino lacte uti ſolere. Item Dion Nicæus in vita Neronis narrat Sabinam quingentas aſinas habere, quæ proxime peperiſſent: hæ quotidie mulgebantur, ut ipſa earum lacte lavaretur, formam enim & nitorem corporis magno ſtudio curabat.*

CONSILIUM CV.

Ad tumorem genæ lupiam minitantem.

INstitutum medicamentum cum decocto primulæ veris, betonicæ, lupulorum, scabiosæ, radicis dictamni, tormentillæ, helenii, florum stœchados, geniſtæ, anthos, incocta senna, agarico: infusioni syrupus de stœchade additus & diaphœnicum.

Si respuat medicamentum præscriptum, uti poterit sequentibus pilulis.

℞. *Massæ pilularum sine quibus, dr. iij. imperialium, scr. iiij: rhei electi, dr. j. massæ pilularum de agarico, & cocciarum, ana, dr. jß: cum syrupo de stœchade & scr. j. visci querni fiat massa de qua capiat scr. iiij. pro dosi semel, aut bis mense.*

Interea teneatur in ore & manducetur hoc masticatorium, ad pituitam e toto cerebri corpore, maxime ex ejus ventriculis, per infundibulum in os & palatum attrahendam.

℞. *Pulveris nucis moschatæ, gran. x. masticbes, olibani, ana, dr. j: staphidis agriæ & radicis gentianæ, ana, scr. ß: iireos, gran. x. sacchari candi, dr. jß: cum gummi tragacantha temperato in aqua betonicæ fiat massa de qua fiant formulæ ore tenendæ & versandæ.*

℞. *Ligni sancti, unc. j: macera in aqua tepida per horas decem: incoque post agrimoniæ, man. ß: hyssopi, parum: glycyrrhizæ, dr. ij: ex hac aqua accipe lib. jß: in qua incoque mellis Narbonensis, unc. jß: despumetur & cum aceto ad gustum fiat oxymeli aromatizandum cinnamomo pro gargarismate & collutione oris.*

Fotus instituti ex remollientibus & digerentibus, addita radice bryoniæ parva quantitate & scabiosa multa.

Litus ex chamæmelo, axungiis lautis in vino, aut decocto chamæmeli: mucoribus pariter extractis, addito aceto sub finem & pauco gummi ammoniaco: cataplasma ex farinis orobi, ervi, lupinorum coctis in oxymelite.

Sudorificum non erit inutile; emplastrum de Vigo cum mercurio: diachylo ireato: emplastro de meliloto, vel cum emplastro de cerussa cum mercurio.

Rebellante malo pilulæ ex hydrargyro convenient & syrupus paratus ex radicibus symphyti, tormentillæ, sanamundæ, personatæ, herba pinpinellæ, melissæ, utraque veronica, succisa, eupatorio, iva arthritica, semine cardui, acetosæ, passulis corinthiacis: incoque unc. iij. foliorum orientialium, agarici, unc. j: dissolve expressionem unc. j. rhei in aqua ulmariæ infusi, cum cinnamomo & caryophyllis aliquot, adde unc. iij. succi pomorum de carpendulo: unc. iiij. syrupi rosarum pallidarum: sacchari ad sufficientiam: cape unc. jß pro dosi cum aqua buglossi; syrupi prædicta simplicia coque in aqua fluviali in qua macera per horas xij. sarsæparillæ unc. ij.

Hujus

Hujus ſyrupi loco poterit uſui eſſe ſequens opiata ad unc. j. exhibenda octavo quoque die.

℞. Pulveris ſarſæparillæ, dr. x: pulveris foliorum ſennæ, unc. ij: rhei dr. iij: pulveris trium tabellarum diacarthami, unc. ß: conſervæ meliſſæ, dr. vj: confectionis hamech, unc. ß: cum mellis deſpumati quart. iij. fiat opiata. Conveniens victus ratio præſcripta ad unguem ſervanda eſt.

CONSILIUM CVI.

De intemperie omnium viſcerum calida ad elephantiaſim accedente.

MOnachus quidam intemperie calida viſcerum omnium, quanta maxima dici poteſt, laborat, ut elephantiaſeos metus ſit a cibo (licet in uſu vini moderatus): oculorum & faciei ardor & quaſi deflagratio.

Conſultum eſt ut caſſia uteretur & in bolo, & diſſoluta cum ſero lactis, aut decocto hordei, vel decocto foliorum ſennæ in decocto vitulinæ carnis cum herbis refrigerantibus & ſeminibus frigidis.

Phlebotomia ſemel menſe & ex brachio dextro & ſiniſtro; ſeri lactis uſus & nenupharini ſyrupi; hordeata: lotio pedum, balnea temperata, poſtea corniculorum applicatio: litus ex hydrargyro pauco cum unguento roſato Meſuæi ad lumbos, & plantas pedum. Litus ex populeone aliquando ad lumbos cum trochiſcis de camphora; epithemata ad cor & hepar, vel ex oxycrato & aqua roſarum & plantaginis: poma, pruna, circumcidatur vinum omnino metu incrementi ipſius intemperiei, quæ elephantem dirum minetur, vel utatur diluto ex aqua hordei, præſumto cibo multo, & aqua præbibita, vel mica panis in vino ſic diluto maceretur, ut animam vini hauriat.

De zytho dubitatur, quia craſſum generat ſuccum, acrimoniam habet per hordei putrefactionem, ut niſi lupulus adderetur, vix ſtatim ab acore vindicaretur: immo ajunt quidam medicinæ proceres hordeum putrefactum lolii vires æmulari. Lolium autem quam officiat, nemo dubitat, immo & lolium & zythum gravat caput & inebriat, ideo dubitatur, an huic ægro conveniat ad dirum elephantem proclivi, niſi forte zythum aquatum & minus; præferunt pomaceum limpidum defœcatum nec acidum, nec prædulce.

Neque vero abs re de pomaceo & pyraceo quæruntur dotes & conditiones. Nam Hippocrates ait vina tenuia dulcia urinam movere, & alvum humectare, corpus & ſanguinem debilem facere, adverſariumque in corpore ſanguinem augere. 1. *de diæta.*

Numquid hæ qualitates dulce, tenue, facile incidunt in pomaceum, & pyraceum? ſi id fit, non poſſunt non infenſa eſſe corpori, præſertim eas qualitates adepta; de iis videbit prudens Medicus.

Item ad eumdem ægrum pilulæ ex hydrargyro præſcriptæ ſunt cum temperantibus paratæ.

Sed

Sed abfuit parum, quin caſtratio imperaretur, quod citra hanc corrigi non poſſe videretur tanta phlogoſis, hectica fere adeo provecta erat.

ANNOTATIO.

1. *Quamquam bona habitudo corporis & roboris firmitas, ſuavitas coloris, eorum qui verſus ſeptentrionem cereviſia utuntur, ſatis ipſi cereviſiæ videantur patrocinari, tamen ejus utilitates una maceratione putredinis matre & corruptionis obſcurantur & abolentur, quum, ſicut in aceto fieri ſolet, quod acidum eſt parte ſeroſa & liquida, ſuperſtite pauco calore nativo, at parte terreſtri acriuſculum, ob caloris putredinalis impreſſionem, calor nativus hordei pæne exſulet & ſuccedat putredinalis; hinc elephas, hinc carinariæ, hinc impetigo. Lolii enim naturam hordeum maceratione, putrilagine, & fermentatione acquirit; at lolium vi malefica inſigne. Zithum autem damnat Dioſcorides, damnat Galenus: damnant & hi verſus ab Eobano ſcite ſcripti.*

Qui docuit craſſo Cererem confundere ſucco,
Hunc Cererem & Bacchum deſeruiſſe puto.
Nam Peluſiaci qui laudat pocula Zithi,
Illi nec cerebrum nec caput eſſe puto.
Renibus, & nervis cerebroque hic noxius humor,
Sæpe etiam lepræ ſemina fœda jacit.

CONSILIUM CVII.

De hydrope.

Veternoſi pro hydropicis ſumuntur apud Terentium: veternoſus autem dicitur vetere morbo detentus & affectus, cujus generis eſt vetus hydrops.

TUmor ventris erat inſignis & ſcroti ut facile fit confluxus & transfluxus: his remediis uti oportuit, adacto ſcalpello ipſi ſcroto, ad educendas aquas & ichorem & flatum.

Victus ratio præſcripta exſiccans; utatur aſſis potius quam elixis carnibus, illæ ſolidiorem carnem efficiunt; potus ſit vinum album, cum decocto eryngii & chinæ; pulvis digeſtivus cum aniſo, fœniculo, coriandro, diarrhodon abbate, decoctum filicis maris cum paſſulis corinthiacis.

Purgatio.

Uſus clyſteris ſemel hebdomada, ſequenti die purgatio ex ſenna, manna, ſyrupo roſarum cum agarico, addita particula electuarii de citro, de ſucco roſarum, aut diacarthami: ex decocto radicum enulæ, eryngii, bruſci &c. granorum halicacabi, cicerum rubrorum; vel parabitur ſyrupus cum folliculis, agarico, pulvere ſennæ, caſſia, addito diapruno ſolutivo & trochiſcis halicacabi. Mane quum non purgabitur, utetur decocto bruſci, eryngii, campanæ, addita china, vel per ſe, vel cum vino poſt ſumtam tabellam triaſantalon cum martis croco.

Potus.

Dilutum rhei cum aqua praſſii ordinatum, vel accipitur unc. jß. radicis ebuli, vinum album & aqua hordei, & fit bis expreſſio ad uſum:

uſus

usus jalappæ, aut mechoacannæ, ligni nephritici, sassafras, eryngii, & lithospermi.

Tabellæ.

℞. *Corticis citrii conditi, dr. jß: rasuræ eboris, cornu cervi, fragmentorum lapidum pretiosorum, ana, scr. j. radicis sassafras & chinæ, ana, scr. iiij. croci martis parum, kermes, dr. ß: diamargariti frigidi & rosati, ana, scr. ij. fœniculi florentini, parum, cum saccharo in aqua ungulæ caballinæ soluto fiant tabellæ vel triplo saccharo conditum ad usum, loco tabellarum triasantalon.*

℞. *Radicis chinæ & sarsæparillæ, ana, unc. ij. macera in lib. vj. aquæ per horas 8. dein fiat consumtio tertiæ partis & aromatiza cinnamomo.*

Fotus.

Fotus matutinus ex radice campanæ, althææ, scillæ, chamæmelo, parietaria, betonica, stœchade, absinthio, addito cypero & schœnantho coctis in aqua & vino albo, addito aceto.

Litus.

Litus ex chalasticis vel emplastro de baccis lauri, vel

℞. *Mucoris seminis lini extracti in decocto fotus superioris lib. ß: sigilli beatæ mariæ crudæ, unc. iiij: butyri recentis lauti in vino albo & aceto, unc. viij: pulveris dauci, cumini, ireos, ana, dr. ß: fiat litus.*

Cataplasmæ.

Cataplasma fiat ex farina hordei, fabarum, orobi, cum mica panis secalini: adde parum terebenthinæ & olei chamæmeli: efficacius erit quod sequitur, paratum ex farinis lini, fabarum, orobi, lupini, coctis in oxymelite: additur radix bryoniæ crudæ, dialthæa, terebenthina, pulvis ireos; & hæ farinæ alias coquuntur in oxymelite parato cum chamæpyti, betonica, veronica, scabiosa, ad unc. jß: sigilli beatæ Mariæ crudi; pulveris chamæmeli, ana, dr. jß: ireos, dr. j: terebenthina addi potest magno profectu: fiat cataplasma aliquando cum vino, aliquando cum sapa. Pulvis datus ex saccharo cando, nucleis mespilorum, & milio solis probatur: soldanella ad dr. j. cum vino albo ceteris nihil proficientibus.

Aquæ naturales.

Novo vere si supersit adeat aquas Plumbares vel Nivernenses, & ut alvus facile fluat, utatur syrupo passularum purgante sequenti.

Syrupus pass. purgans.

℞. *Foliorum sennæ, unc. ij: coque in decocto pectorali: in colaturæ sufficienti quantitate coque passularum, unc. iiij. & cum saccharo fiat in formam opiatæ liquidæ: capiantur passulæ aliquæ cum prædicto syrupo.*

CONSILIUM CVIII.

De fluoribus albis & aliis affectibus.

NObilis domina cacochyma labem contraxit in utero & vitium sive ex marito impuro, sive labe interna: illa quum abhorreat medicamenta, consuluimus ut in ovo rhabarbari pulvis includatur sumendus; ante decoctum radicis eryngii, trifolii, cum passulis corinthiacis & damascenis; utatur syrupo de pomis, & de cerasis.

Fluores albi non sunt negligendi, sive a toto corpore sive ab interno utero fluant; utrumque non negligendum.

Decoctum interioris guajaci & chinæ plurimum conferet, ſit gratum, utatur mane & ante cœnam.

Quum occaſio advenerit, valebit decoctum radicis conſolidæ, ſanamundæ, fragariæ, ivæ arthriticæ, trifolii, taraxaci, veronicæ, roris ſolis, piloſellæ minoris (quæ pes cati dicitur) florum tunicæ, coronariæ hortenſis, prunellæ, pimpinellæ, bugulæ, ſaniculæ, ſive herbæ Roberti.

Diamargaritum frigidum, aromaticum roſatum, diatragacanthum frigidum ex intervallis exhibebuntur: item id quod ſequitur.

Tabellæ. ℞. *Corticis citrii conditi, dr. jß: raſuræ eboris, cornu cervi, fragmentorum lapidum pretioſorum, ana, ſcr. j: radicis ſaſſafras & chinæ, ana, ſcr. iiij: croci martis, unc. ß: kermes, dr. ß: diamargariti frigidi & roſati, ana, ſcr. ij: fœniculi florentini parum; fiant tabellæ.*

Balani. Pro matrice balani ex roſis, radicibus ireos florentinæ, zibetho, ambra, betonica, dictamno &c.

Si partes inferiores paullo ſint calidiores poſt purgationem, peſſuli ex aqua roſarum, granis duobus zibethi, mucore pſyllii extracto in aqua convenienti.

Semicupium aut balneum cum herbis convenientibus conveniet; lignum nephriticum utile.

Cylindri ex ligno aloes, diamargarito frigido, aromatico roſato, pulvere diambræ; humor qui ab utero fluit non ſtatim reprimendus, aut ſupprimendus: ſi fieri poſſit ipſa ægra habitior reddatur, juſculis cum carne vitulina, volatilibus, cum farina panis albi, vitello ovi, ſaccharo, inſtar panatellæ.

Injectio. Diaſpermaton Fernelii valebit, item aquarum naturalium uſus; Mentionem fecimus decocti ſudores provocantis, accipe lib. vj. in quibus macera ſarſæparillæ & chinæ pulveriſatarum per hor. x. dein fiat ebullitio & conſumtio tertiæ partis; aromatiza cinnamomo; addatur parum pulveris ſaſſafras, fiat injectio in matricem cum ſyringa ordinaria, vel

Pulvis albus fit ex vitriolo albo infuſo, & liquefacto. ℞. *Agrimoniæ, hordei, ana, man. j. poſt temperationem bulliant in aqua: in lib. ij. diſſolve dr. jß. pulveris albi, fiat injectio in matricem ter aut quater in die.*

CONSILIUM CIX.

De doloribus capitis, & ad hepar & ventrem.

MUlier annos 40. jam dudum de doloribus capitis, & ad hepar & ventrem conqueritur; multa horum compeſcendorum gratia uſurpata fuere a multis remedia, ſed fruſtra: quærit a nobis ut malum doloremque leniamus.

Conſuluimus uſum mannæ calabrinæ cum jure prunorum & paſſularum, aut cum juſculo parato ex carnibus.

Purgatio. Apozemata parentur ex decocto radicis fragariæ, cichorii, eryngii, taraxaci,

raxaci, aristolochiæ, tamarisci: herbæ, veronicæ, potentillæ, bipinellæ, milii solis, cuscutæ, chamædryos, chamæpytios, acetosæ, trifolii, quinquefolii, cum syrupo de limonibus, de capillis veneris, aut de pomis, vel

℞. *Polypodii querni, glycyrrhizæ, ana, dr. vj: agrimoniæ, ceterach, ana, pug. ij: cremoris tartari albi, dr. ij. coque in aqua melissæ, dissolve syrupi rosarum pallidarum cum agarico unc. jß.* *Jusculum purgans.*

Aperiatur basilica sequenti die.

℞. *Radicis petroselini, fœniculi, graminis, ana, unc. j: rasuræ eboris, cornu cervi, ana, dr. iij: radicis cichorii sectæ in partes, unc. ß: seminis melonum, dr. j. include ventre pulli consuto; dein elixetur cum carne vituli; sub finem adde foliorum agrimoniæ, melissæ, ceterach, ana, pug. ij. in jusculi colati unc. vj. dissolve cremorem tartari albi ad dr. j. succi pomorum unc. j. adde succum limonum: capiat per decem dies mane.*

℞. *Foliorum sennæ, dr. iij: irrigentur succo limonum, infunde per horas 12. in vino albo, admisceatur jusculo, alternis diebus.*

℞. *Croci martis, unc. ij: pulveris diambræ, aromatici rosati, ana, dr. jß: pulveris corticis citrii & aurantiorum, ana, dr. ij: cinnamomi, dr. jß: cremoris tartari crystallini, dr. ijß: fiat ut alcohol: excipe syrupo parato ex vino malvatico & saccharo: capiat dr. j. mane, superbibendo parum vini albi, aut jusculi cum aqua borraginis: deambulando mane.*

Deglutiat pilulas stomachicas cum gummis ad dr. ß: vel capiat pilulas præscriptas cum croco per 20. dies.

℞. *Confectionis alkermes, dr. j: magisterii perlarum & corallii, ana, dr. ß: corticis aurantiorum & citrii conditi sicci, ana, dr. iij: cinnamomi, scr. j: santali citrini, scr. ij: sacchari, quantum satis: cum mucore seminis cydoniorum extracto in aqua naflæ fiant tabellæ ponderis dr. ij: capiat unam in ingressu lecti.* *Tabellæ: Nafla herba est, paullo calidior, ex qua detrahitur calidiuscula.*

Pulvis digestivus valet, & scutum circa orificium ventriculi applicatum. *Victus ratio.*

Utatur aquis aut Spadensibus, aut Forgensibus: Spadenses sunt meliores, habent vitriolum admixtum ferro.

CONSILIUM CX.

Ad luem veneream incipientem.

IN nobili viro multa luis venereæ indicia apparent; ut evaderet tutus, hæc remedia sunt instituta; quædam usurpabuntur, hanc servabit victus legem:

Abstineat ab esu fructuum & eorum omnium quæ cruditatem generant.

Alvus molliatur tertio quoque die clysmatis convenientibus; cibis utatur potius assis quam elixis, pane utatur biscocto, & pro bellariis uvis damascenis, aut corinthiacis, aut prunis turonensibus.

Venæ sectio. Purgetur æger, secta prius basilica dextra & dein malleoli.

Sudorificum. ℞. Sarsæparillæ, unc. ijß: radicis chinæ, unc. j: medullæ guajaci, unc. ij: macerentur in lib. x. aquæ purissimæ per hor. xvi: bulliant leviter ad consumtionem tertiæ partis, additis ad gratiam glycyrrhizæ & cinnamomi tantillo: in suo magmate diu satis quiescant, antequam in phialis ponatur, capiat unc. vj. mane & tantumdem vespertinis horis, dein contectus sudet.

Dum bulliet hoc decoctum, accipiatur spuma ejus in summa vasis parte apparens, imponatur vasculo & ea parte ulcera laventur; quum decoctum erit colatum super magma ponantur lib. x. aquæ pro secundario decocto quod in pastu sumet.

Unguento utatur super partem ulceratam dum sudabit, vel de mercurio, vel sequenti.

1. ℞. Unguenti apostolorum, dr. vj: unguenti de mercurio, unc. j. misce & pone in parva pyxide terrea & imponatur hoc unguentum linteo, ut ulcera cooperiantur & supra imponatur unguentum de mercurio simplici; parabitur massa pilularum addito mercurio bene parato & sæpe per linteum transcolato, deinde melle, aut butyro recenti exstincto, massæ pilularum, postea addatur, ut sæpe tres pilulas parvas accipiat, secundo quoque die, cum decocto sudorifico; in tribus pilulis ponantur tantum grana novem mercurii.

ANNOTATIO.

1. *Luis venereæ alexiterium est hydrargyrus, hanc hydram solus vincit & opprimit. Quod tamen quibusdam recentioribus non placet, qui tutum hujus usum esse non putant. Nam, aiunt, non oppugnat venenum, sed difflatu prohibet: verum usu hydrargyri proliciuntur sudores, tenuitasque ejus id facit attenuata materia sibi quaquaversum exitum quærente. Nec obstat quod quidam asserunt frigidum esse quoad partes extimas, sed in imo calorem summum habet & tenuitatem partium, quo utroque tantam habet energiam; quod autem semini corrupto bellum indicat tamquam alexipharmacum, hanc reddunt rationem nonnulli, asseruntque id fieri, quod magna sit analogia inter semen, & hydrargyrum omnium metallorum velut semen quoddam. Et quatenus semen ejus auctor corruptum quid est, eatenus quadam antipathia argentum vivum illud persequitur.*

CONSILIUM CXI.

De vermibus.

NE quid deterius contingat, his remediis occurri debet puellæ sævis torminibus a vermibus divexatæ.

℞. Decoctionis radicis eryngii, cichorii, asparagi; herbarum acetosæ, adianthi,

adianthi, cichorii, bipinellæ, lib. j. in qua infunde rhei minutim incisi dr. jß: cinnamomi, scr. j. capiat de colatura unc. iij. mane, & tantumdem ante cœnam. *Purgatio.*

Injiciantur clysteres ex lacte, vitello ovi, saccharo, melle violato; dulcia per inferiora, acida, aut paullum amara per superiora juvant; assis utatur potius quam elixis. *Enemata.*

A dulcibus & lacte & cruditatem generantibus abstineat; cibi condiantur omphacio, caryophyllis, nuce moschata, succo citrii, aut aurantiorum, item caro citrii inter pastus.

Cortice utatur citrii liquidioris confecti, & tabellis ante pastus diamargariti frigidi, diarrhodon abbatis, addito pulvere lumbricorum præparatorum.

Umbilicus fricetur ungaturque oleo amygdalarum amararum, succo rutæ, absinthii, mali aurei, felle ovillo addita cera alba, aut tincta: aliquando accipientur folia bipinellæ, taleolæ citrii; ut fiat aqua addatur rasura eboris, corallina, cornu cervinum ad usum frequentem, addatur sacchari parum: mala aurea sunt gratissima, vel *Litus.*

℞. Aquæ morsus, unc. vj: pulveris corallinæ parum: syrupi de limonibus, unc. j. bis capiat in die. *Tabellæ.*

Triasantalum cum rheo duplo, aut triplo valet; item pomum cum tantillo croci.

Coriandrum conditum cum vino utile; item decoctum eryngii addito coriandro & cinnamomo, vel

℞. Ligni nephritici, dr. j. maceretur in aquæ coctæ unc. viij. extra ignem positæ.

Rebellante malo concinnabuntur pilulæ parvæ ex hydrargyri dulcificati gran. viij: & scammonii præparati, gran. vj: cum syrupo de limonibus, aut horum pulvis miscebitur cum pomo cocto.

ANNOTATIO.

1. *Matthiolus* cap. 70. lib. 5. *argentum vivum commendat, quod dragmæ unius pondere exhibet; quod licet in casibus desperatis contulisse, atque aliquando utile fuisse dicat, tamen ubi necessitas non urget, & aliis mitioribus medicamentis res peragi potest, hoc præsidio non est utendum, quum pravam corpori diathesim imprimere, contactuque stuporem & paralysim inducere possit. Sed multo tutius alii, si quid graviter urget, dulcificatum mercurium exhibent, ex quo cum aloe ac rheo, spica & cinnamomo pilulas formant, lumbricis enecandis apprime utiles.*

CONSILIUM CXII.

De Arthritide.

VIr egregius circa Februarium laboravit universo corpore & singulis membris; quidam putabant esse rheumatismum, cum tamen esset arthritis; ille bis, aut ter in vita prehendit; hæc relabitur, & sæpe revirescit, quia est diathesis partibus impressa. Nos judicium nostrum afferimus, non ut curemus omnino morbum, sed frequentem relapsum vitemus; illi fere sexies sanguinem misimus, hic impurus erat; putamus hepatis maxime habendam esse rationem. Bis anno, vere & autumno, mittendus sanguis, aut paullo frequentius. Parandus syrupus magistralis ex radicibus pentaphylli, sanamundæ, cichorii, personatæ, foliis eupatorii, pilosellæ, lichenis, ivæ arthriticæ, asplenii, salviæ vitæ, capillorum veneris, seminibus bardanæ, melonum; floribus genistæ; granis halicacabi; passulis corinthiacis, ficubus incoctis, foliis sennæ cum semine fœniculi Florentini: addita sufficienti quantitate sacchari post colaturam & expressione unc. jß. rhei ad partem cum cinnamomo & ligno aloes infusi.

Syrupus magistralis.

Utatur aliquando blando potu ex decocto sarsæpillæ & chinæ; aliquando mane ad proliciendos sudores blandos, aliquando initio pastus.

Gravia medicamenta obsunt, providendum ut mitior sit morbus, non validis medicamentis excutere sit studium, quia inutile foret, nam genitivum.

Conveniet blandum decoctum addita dr. jß. rhei & tantillo cinnamomi, de quo capiat unc. iiij. aut unc. vi: lac asinæ, aut serum lactis, quod parari potest calore ignis, additis ovorum albuminibus.

Fotus.

Blandi fotus, quum dolor repetit, & litus conferent, & sudorifica blanda in lecto, ad eliciendum virus.

Manna calabrina utetur ex intervallis, ex decocto carnium vitulinarum: item conserva ex floribus caryophyllorum nostrorum: pro potu parabitur decoctum ex dr. j. ligni nephritici in unc. viij. aquæ macerati extra ignem. Aut ex magno cyatho aquæ, octava parte vini, tribus talleolis citri cum cortice santali citrini & saccharo grata concinnabitur potio: cataplasma valet ex farina hordei, fabarum, orobi, lini cum mica panis secalini, terebenthinæ tantillo & oleo chamæmelino.

Potus divinus vulgo dictus gratus, gratior addito vino & santalo citrino.

Hora somni sæpe conciliandus somnus, hordeatis cum decocto pulli.

Ante pastus sumat tabellam, vel electuarii diamargariti frigidi vel aromatici rosati; in fine pastus pulverem convenientem ad roborandas partes.

In vehementi dolore cerotum ex psyllio conferet.

Litus.

℞. *Mucoris seminis psyllii, lini, cydoniorum, conquassati, lib.* ß: *vitellos ovorum duorum: amyli, unc. ij: caphuræ, parum: fiat linimentum.* Si diamargariti & aromatici rosati tabellas respuat, harum loco conveniet opiata sequens.

Tabellæ.

℞. Cor-

℞. Corticis citrii conditi, dr. ij: rasuræ eboris, cornu cervi, fragmentorum lapidum pretiosorum, ana, scr. j: sassafras, chinæ, ana, dr. jß: granorum kermes, dr. ß: diamargariti frigidi, scr. ij: fœniculi Florentini, & triasantalon, ana, scr. ß: cum saccharo in aqua buglossi soluto fiant tabellæ, quibus a pastu & ante pastum utetur.

Si malum rebelle pyrotica conferent.

CONSILIUM CXIII.

De calculosa affectione.

JUvenis quidam annos natus 25. specie quadam calculosæ affectionis laborat, & circa renum regionem dolorem gravem sæpe persentiscit; hinc quæ sequuntur remedia sunt instituta; clysteres ex remollientibus, ciceribus rubris, capillaribus chamæmelo coctis in sero lactis: dissolve catholicum, benedictam laxativam, terebenthinam, oleum liliorum.

Manna, cassia, conveniet ex decocto Galli veteris, seminis bardanæ, melonum, milii solis, saxifragæ & bipinellæ, cicerum rubrorum: dein utetur bolis sequentibus. *Purgatio.*

℞. Terebenthinæ lautæ in aqua parietariæ unc. ß. rhei, scr. j: lapidis judaici, scr. ß: cum diatragacantho frigido fiant Boli. *Bolus.*

Datæ tabellæ diatragacanthi frigidi, bechicæ, diaireos.

Pulvis institutus ex milio solis, pulvere burgæ spinæ, lapide judaico, electuario ducis cum aqua terebenthinæ. *Pulvis.*

Datus succus amygdalarum dulcium cum aqua stillatitia terebenthinæ; item cum succo mali aurei, & vino albo.

℞. Quatuor seminum frigidorum majorum, ana, dr. ß: asparagi, lithospermatis, ana, scr. ij: pulveris lapidum cancrorum, & lapidis judaici, ana, scr. ß: pulveris burgæ spinæ & seminis bardanæ, ana, scr. ß: syrupi de raphano parum, dianthos, dr. j. fiat pulvis utendus cum julepo sequenti.

℞. Syrupi de althæa & limonum, ana, unc. j. syrupi de raphano, unc. ß: aquæ decoctionis fabarum, unc. iiij: fiat julepus.

Syrupus magistralis tandem concinnabitur, de quo capiat circa ultimas lunæ quadras, superbibendo decoctum galli veteris, milii solis, saxifragæ, & cicerum rubrorum.

℞. Radicum eryngii, petroselini, asparagi, cichorii, fragariæ, ana, unc. ß: capillarium omnium, bipinellæ, saxifragæ, arestæ bovis, violarum, bismalvæ, ana, man. j: borraginis, buglossi, endiviæ, & summitatum lupuli, seseleos, ana, dr. j: ficuum, passularum mundatarum, jujubarum, sebesten, ana, unc. j: grana halicacabi x: foliorum orientalium unc. ij: agarici nodulo inclusi, unc. j: fiat decoctio: in colaturæ lib. j dissolve sacchari q. s. coque in syrupi consistentiam, addendo extra ignem unc. ß rhei electi, in parte decocti prædicti infusi cum tantillo cinnamomi & ligni aloes: fiat syrupus. *Syrupus.*

Juscula frequentia cum decocto carnis vitulinæ, hordei, adde succum citrii.

Litus

Litus. Litus ad regionem renum ex temperatis.

Cælo clementiore, ſemicupium incoctis foliis vitis, malvæ, biſmalvæ & violariæ, radicibus althææ, floribus nympheæ, capitibus aliquot papaveris albi ſæviente dolore.

Emulſ. ℞. Medullæ ſeminis melonum recentis, unc. j: amygdalarum dulcium, dr. vj. ſeminis lactucæ & papaveris albi, ana, unc. ß: grana alkekengi iv: tere diligenter in mortario, affundendo lib. jß: decocti radicis altheæ, glycyrrhizæ, hordei & florum nympheæ fiat emulſio in qua diſſolve gummi Arabici in aqua nenupharis liquefacti dr. ij: capiat magnum hauſtum poſt moram quadrantis horæ in ſemicupio: capiat item hora ſomni.

CONSILIUM CXIV.

De Cachexia, Ictero, & aliis affectibus.

NObilis mulier cachectica erat, macra, icterica, nauſeabunda, colicis doloribus obnoxia, intra hæc brevia capita conſtitimus.

Uſus ſit aquæ rhei cum decocto ſplenico, hepatico, additis lichene, chamæpyti & ſantalis.

Syrupus. Syrupus magiſtralis cum paſſulis, floribus tunicæ altilis, taraxaco, rubia tinctorum, hepatica, ciceribus rubris, granis kermes, eupatorio, caſſutha, cortice tamariſci, capparum, radicibus ſanamundæ, tormentillæ, ſcabioſa, bellide, additis foliis ſennæ, & rheo, ſucco citrii, pomorum, bugloſſi, ceraſorum & ſaccharo; uſus ad unc. j. cum aqua bugloſſi, oxytriphylli: convenient tabellæ cum ſimplice rheo, & croco martis vel ſequentes.

Tabellæ. ℞. *Corticis citrii conditi, dr. jß: raſuræ eboris, cornu cervi, fragmentorum lapidum pretioſorum, ana, ſcr. j: radicis ſaſſafras, & chinæ, ana, dr. j: croci martis, dr. vj: granorum kermes, dr. ß: pulveris lumbricorum terræ præparatorum, dr. j: diamargariti frigidi & roſati, ana, ſcr. ij: fœniculi florentini tantillum; cum ſaccharo in aqua roſarum & bugloſſi ſoluto, fiant tabellæ, ponderis dr. ij.* Valebit conſerva ex floribus tunicæ altilis, bugloſſi & borraginis.

Utatur juſculo cum pullo & armo vitulino, cum hordeo & paſſulis.

Syrupus pomorum: julepus roſatus, de cichorio ſimplex & byzantinus erit ex uſu.

Phlebotomia aliquando parca manu.

Balnea aquæ dulcis, ſed diu in iis non eſt immorandum.

Pro utero, primas tenet ſyrupus ex ceraſis, de agreſta exacte paratus.

Litus ad hepar, ex cerato ſantalino.

℞. *Hordei, man. ij: coriandri parati, dr. ij: apii, adianthi, ana, pug. j: fiat decoctio: utatur cum vino albo mane, ſi febris non adſit, aut paretur cum ſaccharo & melle.*

Utatur

Utatur hordeatis paratis cum jure pulli, & carnium vitulinarum, capiat mane & sero.

Lac asinæ, serum lactis, cum syrupo violarum percolatum diligenter, convenit; & panis in lacte subactus, item aqua nephritica.

CONSILIUM CXV.

De pulmonis calida intemperie.

AD prophylaxim affectus pulmonis, cum caloris sensu, & saliva salsuginosa, ac si sputum foret piperatum, nobili viro hæc præscripta fuerunt.

Cassiæ frequens usus; vel opiatæ laxativæ, ex decocto pectorali refrigerante, cum tamarindis, passulis corinthiacis, floribus nympheæ, intybaceis, cum folliculis, addita cassia, pulpa sebesten, conserva violarum. *Opiatæ.*

Cassia dissolvatur in jusculo, vel refrigerante decocto, modo coletur, modo non, sed non colata est melius profectura, medulla enim potentiorem habet effectum. Baculus glycyrrhizæ temperetur in ptisana vulgari, facta cum hordeo, additis seminibus quatuor frigidis: delingenda est glycyrrhiza sic temperata; frequens usus conveniet pilularum hypoglottidon, vel tabellarum paratarum ex bechicis, addito papavere albo. *Cassia non colata magis lenit, temperat, humectat, bilem & pituitam ducit.*

Julepus rosarum cum æqua portione syrupi de nymphea: utrumque dissolve aqua decoctionis hordei: fructula pomorum succulentorum & suaveolentium, addita aqua rosacea.

Hordeata frequentia, cum aqua parata, in qua temperabis semina cucurbitæ, lactucæ, & aliquando papaveris albi. *Hordeata.*

Somnifera valebunt blanda, præsertim si tussis molestet; usus frequens pomorum non nimis coctorum, additis jujubis, floribus nympheæ. *Somnifera.*

Lac asininum tempore commodo. *Lac asinæ.*

Non attrahere aërem nimis calidum, ex luculento igni; juscula refrigerantia, epithemata; reserare basilicam sinistram.

Balneorum creberrimus usus, nam licet, quorumdam opinione, pulmonicis non conferat, quod liquet & humores fundat, unde aut febris, aut inflammatio: tamen ad eos affectus Hippocrates commendat; *Peripneumoniæ* (ait) *magis quam ardenti febri confert balneum, nam lateris & pectoris mulcet dolorem, sputum educit, maturat, &c.* quidam nomine peripneumoniæ communiter intelligi voluit omnem pectoris dolorem. Nam peripneumonia vera non habet conjunctum lateris dolorem, & tamen Hippocrates loquens de peripneumonia meminit lateris doloris, quem balneum discutit. *Balnea.* *3. acut.*

CONSILIUM CXVI.

In hydropis metu, & pulmonis, hepatisque latente vitio.

Hipp. de int. affect. per 10. dies initio quasi a cibo abstinendum putat, dat lac caprillum ad 4. heminas, addit 4. partem mulsæ. Hipp. ibid. si tumor, ait, constitutus sit in scroto, & femoribus ac tibiis, acuto scalpello multa & frequentia vulnuscula incutito.

PRudenter se gerere oportet, ne usu hydroticorum calidiorum augeatur intemperies hepatis & pulmonum: post intemperiem impense calidam, sequitur aliquando hydrops dum serum putre gignitur, loco laudabilis sanguinis, aut tympanites sequitur.

Purgationes ex intervallis; a calefacientibus multum abstinendo.

Phlebotomia si hepatis & pulmonum phlogosis sese prodat: radix filicis maris confert; manna calabrina profuit.

Si tument partes imæ, maximeque scrotum, cauterio locus esse potest.

Usus mechoacannæ, aut jalapæ erit utilis, aut herbæ nephriticæ.

Jusculorum rarus usus, aut in forma panatellæ.

Fotus blandi ad ventrem.

Cataplasmata ex farinis, qualia sunt alio loco ante præscripta; vinum album cum radice campanæ & eryngii, china, sassafras: tabellarum de citro usus esto cum vino albo.

Syrupus ex floribus persicæ arboris.

Electuarium triasantalinum triplo rheo, cum croco Martis, fœniculum florentinum, aut anisum.

Pulvis conveniens a pastu.

Hæc decreta consulibus D. M. Ellenio & Petræo clariss. collegis die 12. Januar. 1609.

CONSILIUM CXVII.

De Calculo renum.

DOlor de quo jamdudum conqueritur, vel a rene originem ducit, ratione cujusdam calculi, qui in eo jam rudimentum quoddam accepit; qui si talis exsistit qualem urinæ demonstant, haud dubie bona victus lege ab hujus molestiis vindicari poterit. Quod autem ad hypogastrii & testiculi dolorem attinet, is excitatur tum ab obstructione ureteris a calculo, tum ob consensum testiculorum cum vasis spermaticis quæ ab emulgente oriuntur. Ad doloris molestias demulcendas paroxysmi tempore, & præcautionem ejusdem præsentis, aut imminentis, phlebotomia, si plethora subest, & purgationibus corpus vacuandum est, quæ non modo humores in partem affectam influentes, sed & jam ipsi reni impactos vacuent, & eliminent. At vero præsidia quibus ea præstari possunt, sunt leves purgationes, clysteres, pilulæ, apozemata; demum fotus

fotus, litus, balnea, unguenta, & alia de quibus in sequentibus dicetur. Si dolor recrudescat & παλιγκοτάνει (n); quia nil magis urget, & Medici sollicitudinem ad se convertit, quam dolor gravis maxime in paroxysmo, dicemus in primis, quibus artibus is quam primum leniri possit & demulceri: dein quid sit alio curationis tempore peragendum. Quum redibit paroxysmus, injicienda erunt enemata consueta, addita terebenthina Veneta, fovendaque erit pars dolore obsessa sacculis, quibus si dolor non sedetur & conquiescat, demergendus erit in balneum aquæ tepentis fumo & odore carentis, in quo diu morabitur, modo nulla virium dehortetur imbecillitas: dein illinienda erit renum regio unguento ad id accommodato; quibus præsidiis si non mitescat dolor, ea demum iteranda erunt & denuo æger in balneum demittendus erit, ut relaxatis balnei tepore partibus, longe facilius calculus a rene per ureteres in vesicam, ab hacque foras protrudatur & eliminetur. In doloris acerbitate utile erit olei amygdalarum dulcium sine igne extracti unc. jß. & succi limonum unc. ß. propinare; demum dolore sedato, bolum cassiæ cum rheo, addita interdum benedictæ laxativæ portiuncula exhibere, vel potionem sequentem, si bolum respuat, cum rheo concinnatam; dein interpositis aliquot diebus terebenthinam: si vero in multos dies producatur dolor, utile etiam erit haurire apozemata, aut decoctum cicerum rubrorum cum radicibus petroselini, altheæ, bipinellæ &c. diebus scilicet iis quibus non purgabitur: si nausea, vomitio, aut ventriculi imbecillitas fatiget ob consensum quem habet cum renibus, is roborandus erit unctione ex oleo mastichino, aut emplastro ex mastiche, cera & oleo cydoniorum. Quin & ad hujus morbi præcautionem magna est purgationis efficacia ex cassia cum rheo, benedicta laxativa interdum; caputque deplendum quod grave persentitur. Interim vero decimo quinto quoque die repetenda erit, maxime si de renum aliqua gravitate conqueratur, catharsis, aut ex pilulis stomachicis octavo quoque die devorandis; diebus vero intermediis convenient tabellæ triasantalon quadruplicato rheo. Hipp.

Sed & ad præcavendum hunc affectum insignes & certas vires habet quod sequitur jusculum.

℞. *Hordei integri, pug. j. radicum petroselini, acetosæ, fœniculi, cichorii, brusci, ana, dr. j: quatuor seminum frigidorum majorum conquassatorum, ana, unc. ß: foliorum acetosæ, portulacæ, lactucæ, pimpinellæ, summitatum malvæ & violarum, ana, man. ß: bulliant in aqua fluviatili cum gallo gallinaceo & crure vitulino: servetur decoctum; de quo capiat unc. vi. per 4. dies mane hor. 2. ante cibum cum succi mali citrii unc. ß, ante cum eodem jusculo, sub ipsum sumtionis, fervefacta:* sic enim mox urinæ funduntur multæ subsidentia multa arenosa, & humore crasso ac viscido præditæ, & alvi libertas procurabitur; adstrictio enim alvi una est ex causis cur dolor ita frequenter redeat.

Interim diæta instituenda est, quæ convenienti usu rerum sex non naturalium minimum in corpore crassorum lentorum & viscidorum hu-

 morum

(n) Exacerbetur.

morum coacervet. Ergo piſcibus abſtinendum, carne bubula, ſuilla, avium paluſtrium, caſeo, leguminibus, lacticiniis, ovis frixis, duris, placentis piſtoriiſque omnibus operibus, acetariis, fructibus crudis, pane azymo, denique omni alimentorum obſtruentium genere; fugienda in cibo & potu ſatietas, ut quæ ſit cruditatis parens, item ſomnus diurnus, aut ſtatim a cibo.

Vitandæ aquæ paluſtres & limoſæ, vina craſſa, zythum &c. potulenta, fugienda.

Vinum ſit album, aut rubrum tenue, aqua multa decocti graminis aut althææ dilutum.

Acetariorum loco ſint cappares, criſta marina, talleolæ citrii ſaccharatæ, aut bipinella condita.

Licebit etiam utiliter hiberno tempore, 4. aut 5. dierum ſpatio, vacuato corpore, hydromelite uti ante paſtus, demum per 10. aut 12. dies, quieſcet; tumque ſi gravitas in rene percipiatur, purgato deinceps corpore, repetendus erit hydromelitis uſus.

Sequuntur formulæ remediorum ſupra commemoratorum.

℞. *Caſſiæ recenter extractæ, unc. j: rhei electi, dr. j: cum pauco cinnamomo & diatragacantho fiat bolus capiendus ut dictum eſt.* Interdum vero loco rhei pulveriſati dr. jß. benedictæ laxativæ addenda. Si bolum reſpuat, uti poterit potione ſequenti.

℞. *Radicum petroſelini, aſparagi, fœniculi, graminis: ſeminis carthami, ana, dr. iij: betonicæ, violarum, adianthi, ſaxifragæ, bipinellæ, endiviæ, bugloſſi totius, ana, man. ß: pruna damaſcena, num. vj: ſeminum melonis, cucurbitæ, althææ, citrii, cardui, ana, dr. ß: glycyrrhizæ raſæ, dr. j: cicerum rubrorum, dr. iij: florum cordialium, ana, pug. j: fiat decoctio ad unam doſim: in colatura infunde, rhei electi, dr. ij: cinnamomi, ſcr. j: in expreſſione diſſolve catholici & ſyrupi capillorum Veneris, ana, unc. ß: fiat doſis: capiat ut dictum eſt.*

In paroxyſmo caſſia primas tenet.

℞. *Terebenthinæ Venetæ lotæ in aqua parietariæ, dr. iij: rhei electi tenuiſſime pulveriſati, dr. ß: cum ſcr. ij diatragacanthi frigidi fiant parvi boli; involvantur nebulis vino albo madefactis: capiat ex cochleari cum ſyrupo capillorum Veneris poſt purgationem.*

℞. *Radicum quinque aperientium, ana, unc. ß: oxylapathi, graminis, ana, dr. vj: cichorii totius, agrimoniæ, cuſcutæ, capillarium omnium, bipinellæ, ſaxifragæ, betonicæ, violarum, parietariæ, bugloſſi totius, ana, man. ß: quatuor ſeminum frigidorum majorum, ſeminum althææ, milii ſolis, ana, dr. j: glycyrrhizæ raſæ, dr. ij: cicerum rubrorum, unc. ß: florum cordialium, ana, pug. j: fiat decoctum ad quart. iij: in colatura diſſolve ſyrupi de althæa, capillorum & de limonibus, ana, unc. jß: fiat apozema clarum, aromatizandum cinnamomi, dr. j: capiat tribus ſequentibus matutinis per horam ante cibum: ſed prius capiat tabellam unam electuarii triaſantalon, ut dictum eſt, idque intermediis temporibus purgationis.*

Sequentibus pilulis utetur ſemel in hebdomade ante paſtus hiberno tempore, ut alvus libera maneat.

℞. *Aloës*

℞. *Aloës non lotæ, dr. iij: rhei electi pulverisati, agarici trochiscati, ana, dr. jß: pulveris electuarii ducis, dr. ß: excipiantur diaphœnico: fiat parva massa: capiat scr. ijß: aut dr. j: pro dosi.*

Sequenti die clystere alvum proluere ante accessionem multum proderit.

℞. *Malvæ, bismalvæ, parietariæ, violariæ, betæ, ana, man. j: cicerum rubrorum, unc. j: seminis lini, fœniculi, fœnugræci, ana, dr. iij: florum chamæmeli, meliloti, ana, pug. j: fiat decoctum in hydromelle ad lib. j: in colatura dissolve catholici, & diaphœnici, ana, unc. ß: mellis rosati & terebenthinæ Venetæ, ana, dr. vj: olei amygdalarum dulcium, unc. iij: fiat clyster injiciendus ut dictum est.* Si rejecto primo dolor remanserit alter injiciatur.

℞. *Malvæ, bismalvæ totius, violariæ, parietariæ, ana, man. j: chamæmeli, meliloti, ana, man. ß: althææ, lini, ana, dr. iij: fiant sacculi duo: bulliant in aqua & vino albo, pro fotu partis dolentis alternatim applicabuntur: si dolor renum gravis sit bulliant in lacte.*

Ex eadem materia parabitur balneum in quo æger urgente dolore insidebit.

A fotu fiat litus pro renibus sæviente dolore.

℞. *Mucaginis seminis althææ, lini, extractæ in aqua parietariæ, ana, unc. jß: adipis cuniculi, dr. vj: olei amygdalarum dulcium & scorpionum loti in aqua saxifragæ, ana, q. s. fiat linimentum: addatur ceratum santalinum in summo æstu.*

℞. *Pulveris diatragacanthi frigidi, unc. ß: pulveris nuclei mespilorum, dr. ß: seminis milii solis, lapidis Judaici, ana, scr. j: seminis althææ, petroselini Macedonici, ana, scr. ß: cum sacchari, unc. j: fiat pulvis: capiat mane post purgatum corpus, & usum apozematum præscriptorum ex cochleari, superbibendo parum vini albi per 3. aut 4. dies continuos, postea abstinebit, quoad iterum purgatus fuerit.*

Hæc decreta consulibus Clariss. Med. D. Gorræo, Petræo, & Riolano.

CONSILIUM CXVIII.

Pro Muliere ad convulsiones epilepticas prona.

SYmptomata commemorata ut terroris plena sunt, ita a mala causa ortum ducunt, quæcumque & undecumque illa sit. Et quod periodis quibusdam malum revertitur, id diathesim jam inductam declarat, quæ ut causa generatrix, ita & reducis paroxysmi auctor exsistit. Malum est, quod frequenter redivivus affectus redeat; pejus, quod partes principes cor & cerebrum impetat; pessimum, quod non solum per consensum cerebrum laboret, sed etiam per se, & quod morbus ipsa obsidione caput deterius afficiat, quam affectum fuerit. Quod palpitationes præcedant, deinde vertigines, epilepsiæ paranymphi, deinde aliquid convulsivum id ab inferioribus partibus teter vapor facile consurgens facile committit. An vera sit epilepsia in incerto est, quum a Medico sit additum,

1.

2. *Idea affectionis istius &*

vertig. & convulſ. a Galen. explicatur. ad part. 27. 4. ac.

additum, *Et velut quædam epilepſia*, Hippocratis more qui quum dicit σπασμώδές τι, aut σπασμόν τινα (*o*) abſolutam convulſionem non putat, ut ſingultus fidem quoque facit.

Ceterum quum dicimus partes inferiores, & parentes & fontes vaporis iſtius tot gravium ſymptomatum auctoris, in ambiguo etiam verſamur. Nam & viſcera ſub hoc nomine intelligi poſſunt, & uterus ipſe gravium morborum, & generi muliebri κατὰ τὴν ἰδέαν (*p*) propriorum auctor & fundus. Poſſunt intelligi partes externæ, crura, tibiæ, pedes, a quibus ſolis aliquando tanta labes manat, quatenus a principe Avicenna morbus in habitu corporis nominatur: hæc autem cognoſcere, ideam morbi cognoſcere eſt. Aliis atque aliis ſignis res diſtinguenda eſt, quum magni interſit ad remedia uſurpanda, ſi ab utero, ſi a præcordiis, ſi ab habitu ipſo & cruribus (ut hiſtoria morbi ſubindicat) malum eſt repetendum: Nam & tremor tibiarum, & extenuatio, quid, niſi malum portendit?

Senſus frigoris in ventriculo, ventris adſtrictio, contrariam quamdam temperiem ventriculi & hepatis declarant; id quum adeſt, magnorum morborum fons & ſuſcitabulum exſiſtit; plura ipſa αὐτοψία (*q*) docere poteſt.

Concinnetur electuarium lenitivum quo facilitas alvo concilietur, hanc blandius ducere optabilius eſt. Clyſterum frequens uſus.

Detractio ſanguinis vere & autumno, maxime ſi ſanguis peccet & κατὰ τὸ πλῆθος, καὶ κατὰ τὸ πάθος (*r*). Item catharſis, ſed autumno blandior, & frequentior, ob contumaciam humorum, & neſcio quod empyreuma a prægreſſa æſtate, & aduſtionem, quam unam natura abhorret, quæ duo morbos autumnales, aut funeſtos, aut longos reddunt, (unde κατ' ἐξοχὴν (*s*) autumnus peſtifer dicitur, & funebris:) funeſtos, quum tabum malignum cito vitæ ſtamen abrumpit, alterato aut diſſipato ſpiritu: longos ob humorum contumaciam, obſtructionem a prava diæta; addo partium latens & inteſtinum vitium vix explicandum. Hinc virium infirmitas: at ſolæ vires, aut præſentes morbos abigunt, aut futuros arcent. Ventriculo robur concilietur, par ſtudium eſto in cerebro roborando, vitando quæ ſanguinem & ſpiritus inflammant.

Major animi impetus reprimendus, iræ frenos injicere: nam animi motus malum provocant.

Pyrotica tibiis.

3. Ungulæ Alces uſus ad inſultus epilepticos apprime conferens geſtanda quoque.

Aquarum naturalium uſus, maxime Nivernenſium, ut ne majore ſumtu Spadenſes affectentur. Sed hæc Medicus domeſticus expendet, examinabit.

ANNO-

(*o*) Quidpiam ſpaſmodicum aut quandam convulſionem.

(*p*) Secundum ideam.

(*q*) Ocularis inſpectio.

(*r*) Secundum plenitudinem & ſecundum paſſionem.

(*s*) Per excellentiam.

ANNOTATIONES.

1. *Morbi longi ob crassos humores fiunt coctu difficiles; & qui partibus impinguntur; dispositiones morborum & humorum magis tumoribus præcaris, quam inflammationibus assimilantur. Pauci fiunt morbi longi per compassionem, & absque loco patiente, in quo venæ omnes habent æqualiter humores putrentes. Galenus* ad aph. lib. 2. Acutorum.

2. *Quæstio fuit an balneum conferret. Alias conferre potest, alias obesse. Ita Galenus dum loquitur de vertigine: Capitis solius caliditatem quovis alio modo habentis balneum juvat. Quum vero spiritus flatulentus ob humorum pravitatem ad caput fertur, hos lavare non convenit. Ac si dicat, si malum in cerebro locale est, balneum confert, sin minus, nequaquam.*

3. *Quidam affirmant se hanc medendi rationem præsertim ad Epilepticos a quibusdam accepisse. Antimonii præparati, dr. ß: accipitur maceraturque in lib. ij. vini albi optimi; paroxysmi tempore cochlear unum istius vini in os infunditur.*

CONSILIUM CXIX.

De inordinatis mensibus, & uteri quodam Rheumatismo, & aliis affectibus.

MUlier hæc partim divino favore, partim artis ope liberata est periculo, omnino tamen restituta non videtur; nam superstes cacochymia succrescentem cacochymiam induxit, atque adeo in cachexiam quamdam adduxit: omnis enim coloris suavitas nitorque decussus est, inde totius corporis affectio indicatur, quamquam aliarum partium vernacula quædam affectio quæ κατὰ τὴν ἰδέαν (*t*) id est ex symptomatum syndrome apparet, quorum ἐπιγένεσιν (*u*) facit propagatio causæ morbificæ. Corporis coloratio similis est humoribus subjectis: id quod declarat aliquid intus male geri, sive id splenicum sit, sive insignis obstructionis soboles. Magna sunt argumenta hypochondriacæ affectionis, non minora uteri laborantis: quamquam Galeno totum corpus utero simile est omnino, Græce τὸ πιπον, quidam (fere) interpretantur.

Somnus turbulentus, dejecta appetentia, a sumto cibo oppressio, malacia quædam, denique sensus quidam caloris excitati a quodam suscitabulo, ac si calx irrigata foret, ubi primum benignitate alimenti æstuantia viscera madescunt & irrorantur: id autem declarat maxime dioclæam phlogosim, obstructionemque lactium, unde hypochondriacum πάθος (*x*) maxime originem ducit, opinione Principis.

At

(*t*) Secundum ideam.
(*u*) Epigenesin.
(*x*) Passio.

At affectio uteri partim ejus propria eſt, partim aliunde; declarant laborioſi menſes, decolores, nec per idem tempus venientes, parciores. Inde quoque deterius habet, quod omnis humor motus & non promotus oppreſſionem faciat. Decolorationem autem non ſolum pituita, ſed & utraque bilis facit Galeno. Proprium autem eſt mulierum cacochymarum, ut earum menſes ſtatam periodum non ſervent, nativoque careant colore. Si craſſiores humores, difficilius fluunt, moramque trahunt; ſi humidiores & tenuiores, antevertunt, diutiuſque perſeverant. Muliebria enim aqua laborantibus diuturniora. Ac calamitatem morboſi menſis auget uteri ῥευματισμὸς (*y*), ut mirum non ſit, ſi concipiendi opportunitas ſublata ſpem prolis ademerit, unde irriguus uterus, humore advena, & forte indigena, proindeque indignabundus τὴν μίξιν reformidat. At tellus niſi bene culta annuo puerperio læta eſſe non ſolet, ſic totius corporis, maximeque uteri cura habenda eſt.

Ad apho. 36. lib. 5.

Ibid.

Hippoc. 6. Epid.

Quum menſes decolores ſint, habeat frequentem ſyrupum ſolemnem ex rheo, agarico, folliculis.

Maxime probo in uſu quotidiano aquam macerationis rhei; parato decocto ex capillaribus, primula veris, chamæpyti & oxylapatho.

Pulvis ſit ad ῥοῦν (*z*); maxime quæ obſtructa liberant, & ῥυπτικὰ (*a*); calidiora vitentur.

Detractio ſanguinis, quum is ægrotet, & κατὰ τὸ πλῆθος, καὶ κατὰ τὸ πάθος.

Uterus alias moroſus & τῆς μίξεως (*b*) indignans repurgetur, purior factus excitetur, ſtimulis iſtis concitus quum olim κυφότερος (*c*) fuerit, fiat εὐήκοος (*d*) (ut eleganter loquitur Ariſtoteles) ut culto fundo fructus ſuavis egerminet.

10. de hiſt. anim.

CONSILIUM CXX.

Pro Conſule jam rudimenta Apoplexiæ experto.

Parva cauſa medulli exſolvitur niſi quod circa partem principem ſit, Hippocrat. de præcept.

CErebri læſiones ut magni momenti ſunt, ita parvæ non mediocrem etiamnum curam, magnæ maximam requirunt; ſi quando alias, hic nil negligi debet; primas tenent apoplexiæ; harum initia & rudimenta tanti eſſe debent, ut vel leviſſima ſymptomata non negligantur: nedum illud quod in ægro pathognomonicum eſt quodam modo; id genus linguæ ἀκράτεια (*e*) & incaute prehendens ἀφωνία (*f*). Hæc in Clariſſ. virum inciderunt, ſic enim ex fide hiſtoriæ a magiſtris artis medicæ & eleganter conſcriptæ conſtat.

Quoniam

(*y*) Rheumatiſmus.
(*z*) Fluorem.
(*a*) Deobſtruentia.
(*b*) Miſtionis.
(*c*) Levior.
(*d*) Facile obediens.
(*e*) Impotentia.
(*f*) Aphonia.

Quoniam vero & tempus, & ætas, & temperamentum, & vitæ institutum (cujus vis ceteris non est inferior) & cerebri nescio quæ contracta labes, & infirmitas malum revocare possent; hic danda opera, hic vigilandum, hic antevertendum. Sed non multa apud artis magistros edisserenda. Purgetur frequenter apozemate recipiente sennam, agaricum & syrupum rosarum pallidarum, addito rheo. Bis mense purgetur per syrupum ex eadem materia, vel cælo frigido catapotiis cephalicis addito rheo.

Quantum libera alvus capiti conferat. Hipp. 2. de diæt. Alvus evacuata ex reliquo corpore & capite humiditatem ad se attrahit, evacuato capite & auditus, & visus repurgantur, & homines agiles fiunt. Et plen. Galen. ex Hippo. de Aere & loc. qui natura alvum liberam habent, minime pleuritide? &c. morbis corripi. ad aph. 33. lib. 6.

Opiata concinnanda ex pulvere splenico, hepaticis conservis, cephalicis non admodum calefacientibus, adjecta confectione Alkermes.

Linatur cervix ex oleo salviæ, castorei, cum pauco oleo nucis moschatæ, adjecta mucagine seminis althææ extractæ in aqua salviæ & cera.

Gargarismus ex salvia, betonica, hyssopo coctis in hydromelite: teneat nucem moschatam in ore. Detractiones sanguinis pro re nata.

Cauterium ad collum. Vena frontis aperienda si plethorici cerebri argumenta adsint; si fieri possit provocandæ & aperiendæ hæmorrhoides. Abstineat a vino quoad ejus fieri potest; utatur chinæ decocto, addendo hiemis tempore salviæ parum. Non provocentur sudores eo decocto, vel ejus loco sic hydrosaccharum. Res venereas prudenter exerceat; quod enim ad venerea, quæ sunt λυσιμελέα καὶ λυσιγῆα καὶ ἄνοιαν (g) sæpe accersunt & ad animi pathemata hic præclare facit aurea mediocritas. Magnarum cogitationum cursus reprimendus, ut enim laboranti pede sedendum, nec ambulandum, sic nec cerebro infirmo laborandum.

CONSILIUM CXXI.

De Ulcere inguinis & Tumore.

PRoponis nobis quæstionem perdifficilem de ulcere, & tumore inguinis dextri, ad cujus dijudicationem cuperemus rem paullo altius repetitam: nam quum tumor is multis de causis oriri posset, vel in ipsis inguinum glandulis, vel ab intestini aut omenti prolapsu, vel ab utero in eam partem inclinato, non possumus intelligere quæ signa singulorum præcesserint: an scilicet suppressi menses, vel sanies e pudendo manarit; an dolores coxarum, femorum, lumborum, præcesserint, aut etiam pubis, quæ omnia utero male affecto eveniunt. Præterea dubii sumus an tormina aliqua, alvi profluvia, vomitiones, & reliqua quæ solent intestinis laborantibus excitari, apparuerint. Nam quod de stercore rejecto narras, dubium & ambiguum signum videtur, quod fœtore carere scripseris. Similiter & vermis tam ab utero quam ab intestinis rejici potuit: sed plerumque in omnibus ulceribus putridis & male curatis & detersis gignitur, nec tamen intelligimus quanta fuerit ejus longitudo.

(g) Solventia membra, corpus, amentiam.

His de causis non est facile tibi persatisfacere, quodque rescribimus conjectura magis quam certa ratione dictum accipies. Itaque nullis apparentibus signis male affecti uteri, aut intestini majoris, ut Ilei, verisimile putamus in inguen dextrum prolapsam fuisse apophysim quamdam cæci intestini, quæ referta sordibus tandem computruit, & sinum effecit; ex ea apophysi ita affecta non est necesse symptomata ea consequi, quæ majore intestino eoque toto sequi consueverunt, cujusmodi sunt volvulus, vomitiones, alvi profluvia & reliqua commemorata.

Hic affectus curari possit necne primum videndum est, deinde quibus remediis. Veram curationem sperare partis affectæ natura impedit, quæ regigni nequit, & coalescere si divisa fuerit.

Remedia autem non alia adhibenda existimamus, quam quæ detergendis ulceribus dicata sunt, eoque magis quo pars affecta perpetuis sordibus magis inquinatur.

Fiant autem frequentes, quibus non tantum levabitur malum, sed etiam innotescere poterit an ulcus penetret in intestinum, an in uterum, si diligenter attenderis utriusque partis rejectiones.

Præter topica remedia, censemus etiam purgandum corpus frequenter remediis ægræ accommodatis, clysteres etiam crebro injiciendos, providendumque ventriculi actioni eupeptis & euchymis alimentis.

His accedere poterit & chinæ usus eo modo quo expedire judicabis; lactis asinini usus, præsertim per æstatem, ulceribus accommodatus est, quod vehementer detergeat.

Quod si male affecti uteri signa appareant, utero consulendum erit; si Ilei, eodem modo Ileo & ejus affectionibus incumbendum. Hæc decreta Consulibus D. M. I. Gorræo, & I. Contæo.

CONSILIUM CXXII.

De Urinæ incontinentia.

VIrgo nobilis urinæ incontinentia jamdudum laborabat, sequentibus remediis illi consultum fuit.

Primum abstineat ab omni jure, præsertim ab eo quod urinam provocet, ut quod fit ex radicibus fœniculi, petroselini & asparagi, item ab omnibus herbis viridibus: sequenti autem syrupo 10. quoque die mane utatur.

℞. *Radicis polypodii, cichorii, cyperi, ana, unc.* ß: *plantaginis totius, buglossi, borraginis, majoranæ, ceterach, fumariæ, primulæ veris, absinthii romani, ana, man. j. seminis citrii, passularum mundatarum, ana, dr.* ß: *seminis acetosæ, plantaginis, coriandri, granorum berberis, ana, dr. ij: seminis fœniculi, scr. iiij. foliorum sennæ mundatæ, unc.* ß: *myrobalanorum citranarum & emblicarum, ana, dr.* ß: *fiat decoctio in colatura ad lib.* ß: *dissolve rhei electi infusi in parte decocti antecedentis expressionem factam ad unc.* ß: *syrupi rosarum*

rosarum laxativi, unc. ij ℥: sacchari q. s. fiat syrupus, utatur unc. ij. pro dosi ut dictum est, cum aqua hordei quæ postea augebitur pro effectu primæ doseos.

Fovebitur extrema pars spinæ prope os sacrum hoc decocto.

℞. *Salviæ, majoranæ, origani, calaminthæ, primulæ veris, lavandulæ, rutæ, ana, man. j. radicis acori, cyperi, ana, dr. j. florum chamæmeli, melioti, anethi, absinthii romani, ana, pug. j. medii corticis quercus & balaustiorum, ana, pug. j. fiat sacculus qui bulliat in æquis partibus vini styptici & aquæ fabrorum pro fotu partis nominatæ; post fotum illinatur.*

℞. *Olei costi & olei sambuci florum, ana, unc. jß: de hyperico, dr. vj. pulveris cyperi, ireos florentinæ, ana, scr. ij: pulveris balaustiorum, dr. ß. cum cera fiat linimentum pro parte dicta & osse sacro.* Si non levetur hoc remedio, applicabitur emplastrum contra rupturam ossi sacro mista mastiche.

Singulis diebus utetur hoc pulvere.

℞. *Mirobalanorum omnium assatorum & exstinctorum in aceto, ana, unc. j: seminis nasturtii, coriandri præparati, concharum exstinctarum in succo omphacii, ana, dr. jß: ambræ citrinæ, cupulorum glandium, nucis cupressi, ana, scr. iiij: cinnamomi electi, dr. j. corallii, scr. j. pelliculæ stomachi gallinarum præparatæ, scr. iiij. cum saccharo sufficienti fiat pulvis; utatur ex cochleari bis in die longe ante pastum.*

Utatur aqua bullita ferrata; abstineat a vino albo, cujus loco paullo adstringens vinum bibat aqua prædicta dilutum. Vitabit salsa, acria & aromata. Jure lentium coctarum utetur aliquando.

His remediis sanitatem recuperabit.

Si medicamenta per os assumenda abhorreat, utendum erit clysteribus.

℞. *Hydromellis cocti cum seminibus carminativis, cypero, salvia, majorana, floribus chamæmeli & anethi, quart. iij: in colatura dissolve, confectionis hieræ simplicis, unc. ß: mellis anthosati, sacchari rubri, ana, unc. j: olei de hyperico & irini, ana, unc. jß: fiat enema. Utatur sæpe.*

Hæc decreta Consul. D. M. Petræo, & Contæo.

CONSILIUM CXXIII.

De dolore Thoracis & Cervicis.

VIr nobilis varias aëris incommoditates perpessus cœpit conqueri de dolore thoracis, ad medullam spinalem: item de cervicis gravi dolore. Mala victus ratio, animi excandescentia, irarum ardor, habendi ardens desiderium, famis & inediæ tolerantia fecit ut ad ventriculum affluxerint varii humores æruginosi præsertim, qui eum gravissime torserint afflixerintve: videbatur pæne opprimi & suffocari præ congestis in ventriculo, partibusque vicinis humoribus. Vocatus D. Palmarius medicamentum præscribit purgans, apozemata celebria, malum quievit: lata est alvus excrementis biliosis, æruginosis; perseverabat tussis siccior, nullus capitis dolor, visus est restitutus; in morbum recidit, conquestus est de difficili respiratione,

tione, cujus causam referebat ad oppressionem diaphragmatis a liene. Missus sanguis ad tria vascula, corruptus erat; allevatus; paucis post diebus ex intervallis male habebat. His omnibus successit inappetentia, tumor pedum œdematosus, dolor ad regionem ventriculi, scrotum intumebat, præsertim sero & mane; cœptum est quæri de causa eorum symptomatum. Medici accusabant hepar, idemque ab intemperie calida laborare dicebant, & humores serosos gignere, huc & illuc relegare; accusatus quoque lien est. Non ita pridem fuerant præscriptæ tabellæ electuarii triasantalon quadruplicato rheo, superbibito tantillo vini absinthitis & aquæ decocti cichorii. Rebus diligenter examinatis hæc ab iis præscripta sunt: purgetur bis in hebdomade cum unc. jß: syrupi de cichorio compositi cum rheo, in quo dissolve expressionem dr. ij. rhei electi infusi in aqua agrimonii cum dr. ß santali citrini.

Item duobus diebus interjectis utatur suo electuario triasantalon cum quadruplicato rheo: post 15. dies foveatur utrumque hypochondrium fotu sequenti.

℞. *Foliorum malvæ, bismalvæ, violariæ, cichorii totius & agrimoniæ, ana, man. j: absinthii, scolopendrii, capillorum veneris, ceterach, chamæmeli, ana, man. ß: rosarum rubrarum & menthæ, ana, pug. ij: seminis anisi, fœniculi, ana, unc. j: radicis cyperi, schœnanthi, calami aromatici, ana, dr. ij: fiant duo sacculi intersuti, qui bulliant in aqua & tertia parte vini albi pro fotu cum philtris.*

℞. *Olei de absinthio, de capparibus & rosarum, ana, unc. j: fiat litus post fotum.* Præscripta est diæta hæc, ut primum cibis euchymis, carnibus potius tostis quam elixis, vino albo & rubro dilutissimo, jusculis fere abstineret.

FINIS LIBRI TERTII
CONSILIORUM MEDICINALIUM.

PARA-

PARADIGMATA
ET
HISTORIÆ MORBORUM
OB RARITATEM OBSERVATIONE
DIGNISSIMÆ,

Quarum lectio non minus rei ipsius gravitate, & admiratione, quam utilitatis ubertate est ad medendum & præsentiendum profutura.

AUCTORE

M. GUIL. BALLONIO
D. Medico Paris. Celeberrimo,

ET EDITORE

M. JACOBO THEVART
D. Medico Parisiensi.

LECTORIBUS BENEVOLIS

GUILL. DE BAILLOU

MEDICUS ἐυπραγεῖν (a).

SÆPE illud usu venit ut quæ nobis obvia sunt, & sub sensum cadunt, ea nobis in nihilo habeantur: contra ea mirari soleamus ac amplecti quæ a nostris sensibus sunt remota. Et tamen in iis quæ ob oculos aut ponuntur, aut forte incidunt, vis magna poni debet: quod eorum observatio ad communem rerum eximiarum effigiem animo imprimendam plurimum sit profutura. Relinquamus externa, in domesticis diligentiam nostram acuamus. Quum hoc opusculum rei medicæ sit accommodatum, e communi foro res est a nobis repetenda. Quoties novi morbi incognitique in dies surgunt ac nascuntur, qui a plerisque negliguntur? Sed id male, magnoque ægrotantium incommodo. Quod eo ab illis prætermittitur, aut quod omnium morborum ut est nomen idem, ita & rationem, & ideam, & indolem eamdem esse falso crediderunt: aut quod ignorant quorsum rerum singularum observatio pertineat, & quantum adjumenti sit allatura: aut, quum sibi persuadeant inde nonnihil & ad laudem, & ad cognoscendum opis contingere posse; hoc tamen flocci faciunt, & turpi otio languere malunt. Quorum ut sinistra levetur opinio, ignorantia adjuvetur, & ignavus in re fructuosa animus stimuletur addito minimo calcari, uno id verbo res potest explicari. Nemo ignorat ex singulorum in quoque corpore cognitione universam ac generalem rerum in arte medica comprehensionem fluxisse: in qua communium theorematon omnis ratio vertitur, & tota vis posita jacet. Et quum admirabilis iste cursus ac progressio cœperit inde, minimo ex isto principio in tantam copiam & rerum ubertatem sensim increscens: ne mirum sit si quæ rara sunt & communem aliorum opinionem superant, ea necesse sit proponi & ad communem usum accommodari. Ut enim fructuosa fuit eorum, quæ ut plurimum contigere, cognitio, ita minorem non est habitura apud eruditos homines, qui otio non abutuntur, auctoritatem, eorum quæ raro eveniunt operosa observatio. Aut si illa in loco aliquo ponitur, cur hæc exsulabit? Quamquam, nisi nos in nostra opera industriaque excitanda cæcutiamus, pluris faciendum putamus id quod raro venit, quam quod sæpe sese jactat in populo, ut nullus sit qui etiam in quadrimo ejus notitiam non profitea-

(a) Benè agere.

profiteatur. Nam ut rariorum rerum observatio eruditorum ferit sensus, ac eis adblanditur: ita in tritis vulgaribusque rebus imperitæ multitudinis dissoluta industria versari solet. Qui in theatris laudem quærunt aliquam, dum mores hominum ficto simulatoque sermone, aut persequuntur, aut informant, non quod omnibus notum proponunt, sed reconditum aliquid & inauditum vulgo exponunt, ut ex adumbrata simulataque fabulæ serie aliquid expressum verumque eliciatur: Eodem modo in arte medica; cujus non ubique non adest usus; sæpe ea quæ præclara minusque sub sensum cadunt, notari debent, ut in iis quæ eventura sunt aliquid sit quod meminerimus, ac ne frustra res admiremur, ac si nil tale umquam contigisset. Quod multis qui popularem gratiam venantur ex usu fuit, qui ut suam ignorantiam occultent, aut rei occultæ & a communi sensu remotæ nonnullam explicationem venditent, tum demum gloriantur quum quid novum evenisse vulgo persuadent. Nam si ex animo res processerit, nec opinionem rei eventus fefellerit, publicandæ suæ industriæ inde occasionem quærunt, quum tamen potius fortunæ talis eventus sit adscribendus; sin quid adversum evenerit, ad rei difficultatem numquam antea a quoquam perceptæ confugiunt. Ac dum eorum quæ raro eveniunt (eveniunt tamen, sed hoc fugiunt non advertentes) ignari de populo male merentur, justam se satis occasionem prætexere putant, si se rei difficultate & insolentia defenderint. Quod ut effugiamus, ex propriis observationibus, & veterum Neotericorumque scriptis nonnulla morborum raro in vulgus sævientium παραδείγματα (b) elicere voluimus, ut hæc animis nostris retenta impressaque proficiant. Nam & ita admirationis in morbis (quæ admiratio artem obscurat) occasio omnis tolletur, & similibus exemplis eruditi, quod erit muneris, prosequemur, quum exemplorum prolatio summa cum delectatione auctoritatem & fidem orationi afferre soleat. Valete.

(b) Paradigmata.

GUIL-

GULIELMI BALLONII MEDICI PARISIENSIS CELEBERRIMI, PARADIGMATA, ET HISTORIÆ MORBORUM OB RARITATEM obſervatione digniſſimæ, quarum lectio, non minus rei ipſius gravitate, & admiratione, quam utilitatis ubertate eſt ad medendum & præſentiendum profutura.

HISTORIA I.

DOMINUS de Montgeron, in multa apud Henricum III. gratia, inter 4. & 5. coſtam vulneratus fuit, & pugio recta quidem adactus erat, & mediaſtinum penetraverat, deinde paullum inflectendo oppoſitam pæne partem attigerat. Et minima etiam ſectione ſedes ipſius pugionis indagari potuerat, & fluenti ſanguini, deinde ſuppreſſo exitus parari, ac ſi contraria & oppoſita fuiſſet apertio. Sed ut ſæpe ſummorum virorum, & fiduciam rerum magnarum habentium cæcitas eſt maxima etiam in rebus minimis, quod ratio, quod tactus, quod tumor quidam eminens principio dictitabat, nimirum fieri debere eo loco apertionem, id differtur, negligitur, tandem necis occaſionem allaturum. Ingens fuit hæmorrhagia, inſignis alicujus rami venæ ἀζύγου (c) cæſi argumentum: juſſus omnino quieſcere: nulla tuſſis pæne toto morbi tempore, difficultas ſpirandi exigua, poterat in utrumque latus dormire. Quidam ex Medicis volebat experiri, num alacer eſſet in ſe erigendo, jubebat

(c) Sine pari.

bat ut ſeſe æger paullum erigeret; maxime ut detegeretur, num aliquid in capacitate eſſet, quod motu ipſo deprehenderetur: ſed, ut inter pares invidia facile ſe jactat, aliis id non placuit; maxime vero quod ejus opinionis auctores primi non eſſent, & tamen id ad explorandum maxime fuerat opportunum; poſt quartum diem initum conſilium (quoniam vulnus ad cicatricem tendebat) ſuper iis quæ ad vulnus attinet, num tuto ſineretur claudi, an vero dilatandum foret, an omnino claudendum, diviſæ fuerunt ſententiæ. Alii omnino debere claudi cenſuerunt, quod multum ſanguinis & ſpiritus effluxiſſet, quod nil alienum videretur in capacitate contentum, quod Galeni & Guidonis conſilio vulnera thoracis primo quoque tempore eſſent ad cicatricem ducenda, alioqui fiſtulæ metum eſſe, & ſphaceli alicujus, aut ſiderationis in pulmone, qui alioqui alieno aëri & externo aſſuetu, facile affici alterarique poſſet: naturæ negotium dandum, viam eſſe ad os, ad urinas, aut inteſtina: pleuritides beneficio naturæ tranſſumta exſuctaque materia curari. Alii contra nitebantur ſuſpecta eſſe ægri bona & præter rationem allevationem: inſigne vas inciſum, ſic non eſſe probabile, ut intra quatriduum clauderetur: formidabilem eſſe cicatricem externam, quod quum pars interna ſit membranoſa, proptereaque amplius vulnere diducatur quam carnoſa, & tardius coaleſcat quam ipſa carnoſa, metus ſit ne, ſalſa opinione internæ membranæ ad cicatricem perductæ, præter opinionem vulnus refricetur & refringatur: ac tum forte non amplius locus erit pyulco, aut evacuationi ſuppreſſæ ſaniei. Dicebant nil referre, ſi bene habere videretur primis diebus, ſed expectandos alios dies criticos, & quid ſerus veſper veheret: in his vulneribus tuta omnia timenda eſſe: non metum eſſe debere fiſtulæ, niſi vulnus conſenuiſſet: non ita metuendum eſſe ab externo aëre, quod plus detrimenti eſſet affuturum a ſuppreſſa ſanie, aut pure, quam ab externo ambiente. Atqui dictum eſt naturæ opus committi debere, & alias tutiores vias confinxiſſe naturam: contra dictum novercam & brutam eſſe naturam, & aliquando veluti conſulto, pus & ſaniem ad tempus ſervare; quod quum commode excerni non poteſt, repentina mors obtingit: ſic ſatius eſſe, quum vulnus hiet & pateat, ſi quid alienum ſit, illac expurgare, quam aut novas vias comminiſci, aut occluſum obſeratumque vulnus denuo aperire; magna enim eſſet ignorantiæ ſuſpicio, & juncta crudelitatis opinio; immo & tutiſſime fieri illo loco, & vulnus patere affirmabant & locum eſſe idoneum ſectioni in purulentis. Qui præerat omnia ſic moderari voluit, ut utrique parti adblanditetur: at iſtæ blanditiæ & temperamenta ægrum perdiderunt, deſitum eſt vulnus cicatricem contrahere: triumphus ante victoriam canebatur. Jam ſatagentium quorumdam Chirurgorum avaritia ſibi loculos ampliſſimos acquirebat ad emungendam regiam liberalitatem, attentiores ad rem erant, non ægri rem, ſed ſuam: Regis qui frequenter aderat (æger enim erat amicus Cæſaris) benevolentiam aucupari volebant, & in hoc omnis eorum ratio, animus, induſtria, & negotium otioſum verſabatur: jam libellos ſupplices, vulgo

vulgo *placets*, ad demerendam Regis liberalitatem porrigebant. At Regis nimia diligentia & amor ad præcipitandum ægrum nimius fuit: omnes enim id unum ſtudebant, ut Regi placerent, ut aliquid agere & dicere viderentur; ſic ſalus ægri negligebatur, & ſi quid alias male geſtum fuit, hic male geſtum eſt. Itaque Regis ſpes fallitur, ægri ſalus deſeritur, foro & ſcenæ ſervitur, avaritiæ loculus quæritur, mons parturit, naſcitur ridiculus mus, & his artibus in opprobrium & artis Medicæ & Chirurgiæ omnia convertuntur: minus enim bene tractatur quam aliquis de plebe homuncio, aut ſcrutorum venditor. Porro ſupprimitur ſanies in thorace multa, febris perſeverat, alvi profluvium, macies, tandem de repente difficultas ſpirandi, ῥόγχος (*d*), & inde mors, hæc contingit circa 33. diem a vulnere. Apertum cadaver, tres aut quatuor libræ ſanguinis ſanioſi in capacitate thoracis inventæ ſunt, corpus ipſius pulmonis non erat vulneratum, ſed tamen per ichoris contagionem erat velut tabo infectum, & membrana ſuccingens erat ſiderata. Mirum quod toto morbi tempore nulla pæne tuſſis fuit. Si tantula pars humoris pleuritim facientis tuſſiculas adfert, cur non tanta ſaniei pars in thorace & circum mediaſtinum ſuppreſſa? nullus dolor lateris, nullum ſputum cruentum.

Nobilis vir in bello civili perfuga multa tulit incommoda; in tot tantiſque diſcriminibus cœpit laborare deſtillatione a capite poſtico, præſertim in humeros & cervicem, hinc colli ac cervicis contorſio quædam. Et quum tempore occurſum non fuiſſet remediis ad id inſtitutis, ita malum increvit, ut facies in poſteriora detorqueretur, & non niſi magno conatu in anteriora reflecteretur: at ſive bibere, ſive edere, ſive loqui vellet, funiculo in eam rem comparato retrahebatur caput aliorſum inclinans. Numquam Lutetianis Medicis quidquam tale vivere contigerat: ac laborandum fuit in ſpecie morbi inquirenda, & remediis accommodatis. Videbatur nonnullis unius partis eſſe reſolutio, quæ alteri convulſionem attuliſſet, quod non erat credibile, nam in eodem ſtatu pars perpetuo permanſiſſet. At reducta facies in ſuum locum niſi magno conatu & magno cum dolore ſiſteretur, convulſivo quodam modo ſtatim revellebatur in poſtica, magna omnium qui aderant admiratione. Convulſio erat revera, & omnes muſculi erant affecti & viſcoſo frigidoque humore imbuti, qui diſcuſſus uſu rerum calidarum affectum ſuſtulit. 2.

Mirum & inauditum quod contigit D. Colino Scabino Caletenſi ſynocho febre putrida laboranti; illi multoties educitur ſanguis, febrilis incendii reſtinguendi gratia; una hora, aut altera poſt celebratam phlebotomiam, ſanguis vaſculis exceptus vermiculis plenus conſpicitur, ut in putri & verminoſo caſeo obſervari ſolet: nihilominus convaluit. Cauſam tantæ putredinis referebant Medici ad gravem malignamque exhalationem in aëra ſublatam ex vacuata cloaca civitatis inquinamenta, & purgamenta excipiente, quæ ambientem permixtione labefactaverat, & exitiali labe conſpurcaverat. 3.

Cuidam mulieri quinquagenariæ obortus in ventre tumor, hydropis 4.

 opi-

(*d*) Stertor.

opinionem faciebat. Ante morbo gravi afflicta fuerat, victa ars malo grave ſymptoma non arcuit. Has tumentis aqualiculi moleſtias menſes aliquot tulit, donec in hydropem confirmentur. Fœditas coloris, carnis ac molis collapſus, marcor & eminens abdominis tumor aſciten ſignificabant. Afflicta annos aliquot morbo ac ſymptomate victa exceſſit. Apertum cadaver, aqua intercus copioſe erupit, lien ac jecur vitium fecerat: inteſtina velut tabo infecta conſpiciuntur. Nec alia occultior diuturnæ calamitatis & mortis occaſio quæſita eſt, donec in latrocinantis & penitus ſcrutantis Chirurgi conſpectum ſe meſenterium dedit: occurrit aliquid inſolens cujus novitas non tam admirationem peperit, quam admiratio expectationem ſuperavit; omnibus ſtupor fuit; inventum eſt meſenterium ab inteſtinis ſeparatum & abſolutum; pondere, qualitate, abſceſſuum inſolentium, tamquam latentium ſcaturiginum ubertate, ſupra quam credi poteſt fuit prodigioſum: dena pondo pependit; denſum, corpulentum, ſucculentum plus juſto: longius, latius & altius quam natura ferret. Sed abſceſſuum perennitas majori admirationi fuit: nam & melicerides, & ſteatomata pullularant: tumores ex iis quidam adeo increverant & ſatiati fuerant, ut exigua punctione ingens humoris mellei copia æſtu quodam exundaret: multiplices tumores & lacunas humoris varietate, aut prudens, aut inconſulta natura quaſi cellulis diſtinxerat: alias coacta ac conglobata materies atheroma potius exprimebat, alias ob ſolutum, ſed aliquantulum viſcoſum quem continebat humorem in meliceridon familiam tumor erat potius natus cooptari. Choerades non apparebant, ſed hic humor in naturam ſtrumoſam forte degeneraturus erat: ſic omnia monſtroſa. Digladiabantur etiam anatomes gnari, & ancipites erant, an eſſet meſenterium id quod apparebat, an quid aliud. Stupore quodam, nutu, renutu, hæſitatione potius rem definiebant ac dijudicabant (aut ſe fingebant dijudicare) quam gravi aliqua ratione: ex mutuo ore alii mutuo pudibundi ac dubitabundi pendebant. Ita hercle hæc pars tamquam deformata & in aliam naturam μεταπλαθεῖσα (*e*) naturam propriam ac formam exuerat.

5. Nobilis phreniticus per novem dies decubuerat. Nulla arte conciliatur ſomnus: circa nonam noctem omnia exacerbata: exſiliebat, & Medico aſſidenti manum afferre volebat: a miniſtris in lectum conjectus eſt, fingit ſe dormire: inopinato e lecto ſurgit, & e ſublimi feneſtra, in Medicum qui in area ſtabat incidit præceps. Miraculo ſanitati reſtituitur. Putant caſu diſcuſſam materiam; copioſæ urinæ fluxerunt; ſimile quid apud Hippocratem *lib.* 5. *Epidemiorum*: *cuidam crurum rigor erat, & diuturnus: forte in lapidem cecidit, læſum caput eſt, vertigo oborta eſt, deſiit malum vetus.*

6. Mulier paupercula ſe utero geſtare opinabatur, venter intumuerat valde: exacti ſunt perfecti fetus menſes; nil producitur, tumor perſeverat. Alii eam hydropicam exiſtimant, alii molam geſtare autumant: Poſteriorum opinionem eventus meliorem detexit: nam quum annos ſexdecim has tumoris

(*e*) Deformata.

moris moleſtias tuliſſet, emaciata interiit. Aperto cadavere apparuit uterus undequaque diſtentus: magnam cucurbitam & profunditate denſitateque, & amplitudine referebat: adeo induruerat ut apprimi digiti non poſſent: craſſities digitorum quinque pæne erat, pendebat pondere libras novem cum dimidio. In capacitate interna, maſſa quædam carnea concreverat, quæ pertinaciter interno corpori uterorum adhæſerat, immo in ejus naturam pæne coaluerat: Molam eſſe putabant, quæ flexu temporis diuturnioris, ita uteris ipſis magno adhæſu & pertinaci conjuncta, in ſimilem naturam una ſui parte coiverat. In collo uteri abſceſſus erat ſteatomatis naturam referens; cornua manifeſto apparebant; teſticulus tantum unus erat. Miraculo multis diſſecta hæc pars exhibita eſt ad ſpectandum.

Joannes Hualdus, annos natus viginti & duo, de dolore capitis queritur, humiditate cerebri effuſa in opticos nervos occæcatur. Adverſus id omni præſidiorum genere oppugnatur, nil proficitur, immo & empiricorum præſidia advocantur. Audio tandem viſum aliquatenus recuperaſſe; dolores perſeverant capitis intolerabiles, omnium remediorum vim malum ſuperavit. Præ mali diuturnitate & vehementia interiit. Aperto cadavere abſceſſus reperti ſunt in proceſſibus (quibus vires & munia certa a natura tribuuntur) mammillaribus: illos abſceſſus melicerides vocare poſſis, quamquam ad ſcirrhum proxime accedant. Os frontis eroſum erat & perforatum vi humoris acrimoniaque; foramen erat inſtar quadrantis qui tres denariolos pendet: circum foramen obſita erat caries multa quæ tempora exediſſet: oſſa autem ethmoidea parte interna magis cariem contraxerant, & paullo antequam interiiſſet nec videbat, nec odorabatur. Convulſus interiit: Uno ante quam interiiſſet anno pedes incurvos retractoſque habebat; adhibitis particularibus frictionibus ex hydrargyro, iſta contractio ſublata eſt. Sed antequam ſatis concedit, præ convulſione & manus & pedes incurvantur, & ſic miſerrime ſuum diem obit. Putabant venefico poculo imbutum, ſed male. Sed tanta fundi calamitas non aliunde orta erat peritiorum conſilio & opinione, quam a latente luis venereæ veneno. Atque revera ſigna aliquot paruerant: ſed in primariis iſtis liberis, ſi quid peccatum ſit, omnia ſolent leviora æſtimari. Contendebant quidam eum ad luis venereæ curationem adigi debere, undelibet hoc malum natum foret: ſed metu pecuniæ amittendæ ex venditione magiſtratus in quo erat conſtitutus, aut ne ea de re eliminaret quiddam, curatione ſuperſeſſum eſt. Nec dubium eſt quin ſpes aliqua curationis ſupereſſet, ſi plus valuiſſet virorum bonorum ſiniſtrum adverſumque rerum exitum metuentium auctoritas certa ratione roborata, quam aut amittendæ pecuniæ metus, aut fucata nonnullorum opinio malo adblandiri ſolitorum. 7.

Tamen & abſceſſus illi & oſſium caries poteſt ab alia cauſa quam a venere aut veneno oriri: vide quod ſcripſit Hippoc. lib. 2. de morbis cap. de carie oſſis capitis.

Claudius Prior quum ſumtuum metu Medicos conſulere neglexiſſet, intolerabili ſiti cruciabatur: hanc mero ſolvere nitebatur: adaugebat magis. Viſcera habebat calidiſſima; intemperantiſſime vixerat; & male affectos pulmones maleque affectum jecur elephantica facies demonſtrabat. Malo vires quærente raptis ſurſum humoribus & alvo adſtricta pæne ſuffocatur: Stertit, lingua denſatur, apoplecticus quodammodo fit: 8.

In ore denſitas iſta linguæ remanet, circum venas ranales batrachion naſcitur, in gargareone quoddam ἐπιφλόγισμα (*f*) ac ſi angina eſſet ἐρυσιπελατώδης (*g*), loquendi magna difficultas, omnia ex arte fiunt: tamen quum non febriret multum, inopinato ſeptimo die natura irritata moliri vult aliquid: neſcio quæ materies in pulmone concluſa movetur, ac ſi abſceſſus aliquis eſſet: Jactatur, reſurgit ſæpe, ſtertor, mors. Illa ſitis ingens a pulmone calefacto ob pituitam putrem nata erat: erat vel eryſipelas
2. *de morbis.* in pulmone improprie dictum ab Hippocrate: denique hoc fuit peripneumonicon. Simile paſſus eſt piæ memoriæ Doctor Therſophus Galterus: quum enim inexſtinguibilem unius menſis ſitim ſuſtinuiſſet, oborto leni dolore lateris, intra quatriduum interiit.

9. Mirum quod obſervatum in aperto cadavere cujuſdam virginis: ea quum per menſes aliquot laboraviſſet, & jam de hydrope metus eſſet, vi morbi interiit. Internum corpus obſitum erat exiguis admodum abſceſſibus, quorum infinitus erat numerus: ſebum contentum in iis videbatur: ſpeciem internarum chœradon putabant.

10. Nobilis mulier frequenter animo deficiebatur, omnibus remediis magnam & malignam vim morbi oppugnantibus conſulebatur. Aperto cadavere in ſiniſtro cordis ventriculo repertus eſt exiguus quidam grumus ſanguinis, qui ibi concreaverat, hinc repentinæ mortis occaſio.

11. In obſidione Rupellæ cuidam nobili globulo ſclopetario transfoditur pectus a coſtis mammæ ſiniſtræ ſubjectis ad infimas nothas coſtas lateris dextri, præſertim qua parte ſita eſt cartilago xiphoides: hoc tamen vulnus curabile fuit: at anno poſt obortus dolor eſt intolerabilis colico ſimillimus qui nulli ceſſit remedio. Eo exſtincto apertum cadaver. Inventum eſt diaphragma parte ſua carnoſa perforatum ſuperiore ictu: atque foramen illud aliqua ex parte obductum erat caruncula quæ circum accreverat: tamen per reliquam rimulam colon inteſtinum ſenſim ſubiverat thoracis regionem, deinde per attractionem quamdam majore ſui parte ingreſſum fuit: idemque contigit quod tenui vulpeculæ apud Horatium, quum enim intumuit egredi non potuit. Denique ut fit enterocele in ſcroto, ita enterocele facta eſt in pulmonis capacitate.

12. Alteri a ſimili fere in diaphragmate vulnere, ventriculus ſubivit pulmonis capacitatem ſenſim, & intra breve tempus interiit.

13. Mercatori dolor ſummus ad ſpinam dorſi, annum integrum laborabat. Quod aliquando lue venerea infectus eſſet, id attribuebant veteri morbo. Ter aut quater litus eſt: nihil malum quievit: tandem ſurſum deorſum ingens ſanguinis copia excreta eſt. Aperto cadavere aneuryſma compertum eſt in diviſione magnæ arteriæ ad ilia, qua parte ſpinæ incumberet.

14. Joanni Formaget dolores ad utrumque hypochondrium ac præſertim ad ſiniſtrum: ſolo manus appulſu dolebat; manifeſtus erat pulſus in liene: nos aneuriſma eſſe ſuſpicabamur. Eodem die quo ſecta vena exſolutus eſt

(*f*) Accenſio ſicca. (*g*) Eryſipelacea.

eſt diffuſo affatim ſanguine. Putruerat lien, & grumoſi ſanguinis ſiniſtro in hypochondrio magna copia reperta eſt.

Cuidam omnes arteriæ micabant manifeſto: Mirum id fuit. Inſtituta diæta curatus eſt. 15.

Mulier præpinguis macreſcere volebat. Creta & aceto ſæpe muliercularum & empiricorum conſilio uſa eſt. Hinc pylori conſtrictio inſecuta eſt tanta, ut inde mors evenerit. 16.

Cuidam lien ſua mole jecur ſuperabat. Crediderunt Medici illud jecur a tanto liene in coctionis munere perficiendo adjuvari. 17. *Fernel. c. 7. l. 1. phyſio.*

Cuidam unus tantum ren erat, ſed mira magnitudinis mole alterius defectum compenſabat. 18. *ibid.*

Cuidam dolor capitis implacabilis circum ſaturam coronariam. Irrita medicamenta. Qua parte dolor deſignabatur, eadem facta ſcalpello ſectio: non profuit. Aperto capite repertus eſt vermis inter calvariam & piam matrem ſitus. Si terebrata calvaria fuiſſet, ſpes vitæ aliqua fuiſſet. 19.

Filius familias cladem gallicam patiebatur: dum id clam eſſe vult, imperito barbitonſori rem credit: hic rem parviſaciens nil intereſſe putat quo modo morbus curetur: nam æger toto die ad prima munia redibat, deinde ſero bene cœnatus duabus horis poſt illinebatur hydrargyro: nox ita tranſigebatur: mane circiter decimam patris menſæ accumbebat: & ita morbo defuncturum ſe putabat. Sed de repente centum pæne locis tubercula apparuerunt atheromatis ſimillima, & parvarum lupiarum inſtar: Elephantiaſis metuebatur. Remedia ad elephantiaſin uſurpantur: media curationis via obiit. 20.

Juveni cuidam magna in ventriculo cruditas erat; febris quotidiana ſucceſſit; initio paroxyſmorum ſyncope: deinde epilepticæ convulſiones. Quid hoc rei. 21. *Hieronymus Sabucimus.*

Magdalenæ ad ædes divi Marci habitanti pes palpitare vehementer ex pollice dextro cœpit: hæc palpitatio hinc recta aſcendebat per crus, femur & lumbos, donec ad caput perveniret; quo contacto deſipiebat, poſtea ſtatim convellebatur ſpuma ad os facta. 22. *idem.*

Mulier quædam ſtrangulatui matricis erat obnoxia: ſæpe in comitiales convulſiones incidebat ac ſyncopas. Hoc malum quum ſæpius tuliſſet, nec ullo remedio liberaretur, excreto tandem e vulva nigro quodam humore & craſſo, miraculo evaſit. 23. *idem.*

Philoſophus quidam intolerabili capitis dolore tenebatur; pars dolens in ſyncipite magnitudine digitum non ſuperabat. Aperto capite craſſior membrana ea parte in qua dolor excitabatur calvariæ adhærebat pauculo humore putri interjecto. Annotavit quoque auctor idem quoſdam comitiales factos fuiſſe quod pars unguenti ex hydrargyro in aurem incidiſſet. An hoc veriſimile eſt? 24. *idem.*

Cuidam familiaris erat prolapſio inteſtini in inguen; forte illi bubo venereus oboritur, ſuppuratur. Aperitur ſcalpello pars. Ita dum cicatrix obducitur, ita firma fit pars ut via præcluſa ſit deſcenſuro inteſtino. 25.

Coquus quidam difficultate meiendi tenebatur, aliquando ſuppreſſio erat urinæ: calculum in veſica, aut aliquid ſimile ſuſpicabantur: per 26.

quædam

quædam intervalla malum repetebat. De repente interiit; subitæ cladis causa reperta est aneurysma ruptum; valde enim erat dilatata arteria quæ vasis urinariis subjacebat. An credibile dilatationem istam arteriæ difficilis mictionis causam fuisse.

27. Gravidæ mulieri octavo mense abscessus ex aure erupit; filius ejus hoc partu editus perpetuo purulentas aures habuit.

Fer. cap. 11. lib. 1. de morb. caus. Hippocrat. 5. Epidem.

Quidam opimo corporis habitu, bibax, diebus octo ex ingenti corporis mole in magnam gracilitatem citra vim morbi collapsus est. Et magnam urinæ copiam profuderat, repentini collapsus & extenuationis causam.

28. *idem de urinis c. 11.*

Quidam ætate floreate epulans liberaliter, quotidie bilem vomebat. Hæc cessat vomitio; hinc ventriculi dolor immanis cum nausea & tussi inani: vicies die rigebat citra febrem. Exactis diebus xv. tertiana corripitur; hac soluta resolvuntur omnes partes quæ sub capite sunt. Aperto corpore bilis prasina sincera reperitur in cavo jecoris pondo libræ membranis coercita, & hujus portio in nervos spinæ jam irrepserat.

29. *Idem cap. 10. de febrib. forte idem D. Sangermano contigit cui erat familiaris vomitus.*

Quidam in cæmeterio Sancti Joannis a lithotomis sectus; detracti quinque lapides. Mirum quod illi per totam pœne vitam contigerat: Alvus nil pæne reddebat nisi liquidum, aut sollicitata pharmacis: nesciebatur quo id esset referendum. Aperto cadavere repertum est in medio unius crassi intestini annulus crassus & durus qui mediam pæne intestini partem occupabat. Sic crassiora excrementa non poterant transmitti.

30.

31. D. du Peron per 15. menses alvus liquidiuscula dejiciebat: tandem excretus ingens lapis qui continebatur in intestinis. Fernelius multos recenset quibus ab intestinis lapides deturbati sunt etiam sine dolore.

cap. 9. pathol.

32. Rassius observavit detracto pilo uno eorum qui in cavitate nasi nascuntur, cancrum teterrimum contigisse. Quod notandum, ne quid hic temere fiat.

33. Filia Bartholomæi Roland ventris tormina questa est; vomitiones assiduæ: dolor nulli cessit remedio; dolore victa mortua est. Stilo abdomini immisso exiguo admodum foramine flatus erumpit, & totum abdomen resedit. An non viventi metu repentinæ mortis ista punctio fieri & potuit, & debuit? Audendum hercle desperatis maxime rebus.

vide 141.

34. Dolebat sartor quidam, & suppressionem quamdam urinæ patiebatur: erat autem pituita obstruens urethram quæ id faciebat. Ille dum niteretur acu pituitam aut inducere, aut educere, ea forte impacta isti pituitæ introducta est; tribus post annis eductus est ex lithotomo lapis: hic ista acu erat transfossus. Numquid id miraculi instar est?

35. Puero cuidam in pupillam oculi stilus acutus adigitur: aqueo autem humore effuso, qua ictus fuerat oculus minor aliquanto reddita pupilla est, corneaque in rugas contracta est. Sed qui effusus humor erat, collectus est, & in locum suum refusus; ulcere ad cicatricem perducto sanitati æger restituitur. Rara hæc sunt: nam quum ulcus pupillam attingit & aqueus humor funditur cæcitatis certissimæ metus est: id tamen Galenus observavit *cap. 2. lib. 1. de symptom. causis.*

36. Cuidam Chirurgo quum per dies aliquot cum summa cutis siccitate & squallore

ſquallore febris aſſidua, periculum mortis crearet, ac jam de funere ageretur: audacioris Medici conſilio propinata aqua quantum ebibere poſſet: deinde veſtimentis circumtectum corpus, ſudores manaverunt: alvus liberior fuit, convaluit. Ab eo tempore familiaris fuit ob refrigeratas impendio partes alvi fluor ex intervallis repetens: Jam annos 24. perſeveravit. Mirum cur major offenſio non contigerit. *In methodi medendi lib. 9.* vetat Galenus ne ſiccis calidiſque corporibus aqua exhibeatur, quod partes ſolidas lædat, verba Galeni hæc fere ſunt: *Intempeſtive aqua præſcripta imbecillas corporis partes concutit, unde nonnullis illico ſpirandi difficultatem, convulſionem ac tremorem conciliat.* Minus iis tuta qui paucum ſanguinis habent: nam celeriter ad partes ſolidas venit. Tamen alio in loco in febribus hecticis, in quibus carnium eſt conſumtio, aquam mirificentiſſime laudat. Aquæ potus, ut ita duo illi loci concilientur, initio hecticarum & intemperiei calidæ ſiccæ confert, & dum vires vigent. Sed ſi contra eveniat, quia nil in corpore eſt quod vim occurrentis aquæ debilitet & frangat, damnis augetur ægrum corpus. *10. meth.*

Ariſto Mitilnienſis corpore erat gracili, macro, & ſuperius os ventriculi ut pote frigidius aquæ frigidæ aſſueſcere non poſſe ſæpe animadverterat. Morbo prehenſus eſt, cui profligando aquæ potum ex uſu eſſe Medici colligebant: Ille vero contra inſiſtebat ne frigida propinaretur, alioqui, aut gravis ſingultus, aut convulſionis metum adeſſe. Medici opinionis ſuæ defenſores pertinaces frigidæ poculum propinant: Contigit ut æger prædixerat: nam convulſus inde interiit. Quod diligenter notandum eſt ut aliquid conſuetudini tribuatur. 37. *Gal. cap. 1. l. de conſuetudine.*

Inexhauſta ſiti cruciatos & ab ea nonnullos intereuntes vidit Galenus: primum eum qui viperam (dipſadem eſſe ſuſpicatur) comederat: item qui vinum in quod forte inciderat hoc animal; tum qui vetus vinum ad ebrietatem hauſerat: nec non qui in navi ſiti divexati temperare ſibi non potuere quin marinam aquam biberent, ii celerius interierunt, quam qui ab ea temperarint. 38. *Gal. cap. 7. lib. 1. de cauſ. ſymptom.*

Vomitus cruenti & munctionis cruentæ ac hæmorrhagiæ cauſa eſſe potest hirudo, aut bibita, aut inter natandum naribus ducta. Et Galenus ita de homine integre ſano ſenſit qui cruentum evomeret: nam forte ille in fonte parvam hirudinem hauſerat quæ tempore increverat: alius cruentum eodem in nare adducto animali emunxit. 39. *Gal. cap. 5. lib. 4. de loc. affect. vide 111.*

Fernelio occurrerunt qui quum nonnulla reſpirandi difficultate laborarent, ab exercitatione incaleſcentes lapillos tuſſiendo e pulmonibus extunderent: alii pilulas ervi, aut piſi magnitudine. Ac idem obſervaſſe ſe fatetur Galenus in libris *de Locis affectis.* 40. *Fern. cap. 10. lib. 5. patho. Gal. cap. ult. lib. 4. de loc. affect.*

Antipatri Medici notanda hiſtoria, & cujus morbus nonnihil dedit negotii Galeno, ut ſex menſium tempus exigeretur antequam notitiam cauſæ pulſus inæqualitatis haberet. Antipater omnem in multis pulſibus, immo & in una pulſatione inæqualitatem querebatur: cauſam ad vitium pulmonum, nempe ad obſtructionem Galenus referebat: obſtructio autem & anguſtia, aut cum febre eſt, aut neceſſario cum orthopnœa; neutrum aderat, quod mirum. Cauſam autem cur orthopnœa non eſſet, Galenus 41.

ſenſit quod humor viſcoſus non aſperas ſed læves arterias tantum occuparet: inde notandum non omnem arteriarum pulmonis obſtructionem difficilem anhelitum afferre, ſed quæ in aſperis non autem lævioribus eſt arteriis: ſed quæ in levibus eſt, tandem malo increſcente repentinum affert interitum, ut Antipatro quoque contigit.

Cap. ult. l. 4. de loc affect.

42. Septennis puella diarrhœa correpta plures dies gravidam olidamque materiam alvo reddit. Conſilium cum mulieribus captum eſt in eam rem; large cytoniatum exhibetur: alvus inde omnino reſtitit. Ea ſuppreſſa ſæva tormina excitantur, adeoque intumeſcit venter ut repente hydropica facta videretur: invaleſcunt dolores, ſtercus per os rejicitur. Aperto cadavere cæcum inteſtinum adeo cytoniato obturatum deprehenditur, ut illac nil pertranſire poſſet. Immo accidere poteſt ut illa putris acriſque materia pereſo perforatoque inteſtino aliam ſibi viam quærat. Hinc patet nocere plurimum ſi alvus fluens repente ſupprimatur.

Fern. cap. 9. l. 6. Patholog.

43. Senator ſanus ex conjuge ſana liberos omnes ſurdos ſuſcepit, & multos; hujus rei cauſam cæcam putant: conformationis vitio tribuunt, ſed unde?

Fern. cap. 6. l. 6. Patholog.

44. Alius quum Lutetiæ degebat ſanos omnes liberos ſuſcepit: ſi Burdigalæ, omnes mutos & ſurdos. Item alia mulier ſana conjugi ſano juncta, ſurdos habebat. Recens natis Fernelius oleum amygdalorum amarorum in aures inſtillabat: auditum recuperabant.

45. Adoleſcens, a vehementi exercitatione, quum moleſta tuſſi torqueretur, vomicam integram ovi columbini magnitudine extudit, in qua pus erat laudabile: ſecuta hinc cruenta excretio. Convaluit.

Fern. cap. 10. l. 6. Patholog.

46. Pariſiis duo Medici repente interierunt rupta vomica in pulmonibus, quum nec febris, nec inappetentia, nec aliud ſimile præceſſiſſet. Quæſtio: Qui fiat ut ita lateat vomica nec ſui ſignum edat? cur non ab ea effertur vapor in partem vicinam qui leipothymiam afferat? hoc explicavit Hippocrates, *Quibus ſuppuratio in corpore latet, ea vel præ puris craſſitie, vel loci non apparet.* Sic circumvolventis materiam membranæ craſſities impedit quo minus a parte quicquam mali exhalet.

47. Quidam in vico templi fluxu alvi laboravit: ſexto poſt anno interiit. Multis vomicis obſeſſum erat hepar & pars meſenterii ſiderata erat.

Holler. c. de alvi fluxionib.

48. Monachus pici ſimillima excrevit: extima algebant; de funere agebatur: Convaluit. Ne credas omnem qui per inferiora excernitur nigrum ſanguinem malum eſſe & atrabilarium: nam Hippocrates ait 4. *aphoriſmorum* per comparationem per inferiora melius eſſe nigrum dejici. Galenus vult illum nigrorem tarditate egreſſus acquiri.

Holler. c. de dyſenteria.

49. Adoleſcens annos 12. natus, bilioſo fluore una cum febre correptus, dejiciebat dyſentericis ſimilia, nigrum ſanguinem. Sitis, extima algent, vigiliæ. Obiit 9. die: ſecatur cadaver. Oeſophagus ad ventriculi os ſuperius & medium thoracem ſideratus, item & epiploon: pulmones ulcerati, & inteſtina. Sæpe in dyſenteriis malum longius ſerpit. Relictis inteſtinis appetit malum alvum ipſam, præſertim corpus bilioſum, parteſque ſunt imbecillæ. Qua ratione dyſenteriæ vis ad alvum uſque pertineat videre eſt.

ibidem.

eſt in aphoriſmo illo: *Diuturnæ dyſenteriæ ſi nauſea & cibi faſtidium ſuperveniat, malum.*

Alteri febris, vomitio, ventris dolor, dejectiones pici & nigro ſanguini ſimiles: 20. die mors. Inventum eſt ulcus uſtulatum in ambitu exeſis omnibus tunicis ventriculi qua parte in pyloron declivis eſt. Toto morbi tempore alvus procidebat. 50. *Holler.*

Et nos in ſabro lignario obſervavimus rem commemoratione dignam. A male curatis hæmorrhoidibus, & vi ſedi illata, rectum inteſtinum imbecillum redditur: cuidam rheumaticæ diſpoſitioni obnoxius eſt, id eſt, ex quibuſdam intervallis ſanies olida & putris illac manabat: gulæ & abdomini ſerviebat: generoſioris vini amantiſſimus, habitu erat macer, ſqualidus: cœpit non ita fluere iſta proluvies: hinc dolores ad imum ventrem: jactationes, carentia ſomni, inappetentia: tum faſtidia ciborum, & vomitiones perpetuæ; tamen a medicamentis lenius habebat: & natura vim potius ferebat medicamenti, quam alimentorum gratiam. Quum quid biberat ederatve, ponderis ſenſionem habebat in ventriculo, & veluti de obice objecto querebatur: nulla arte vomitiones ceſſaverunt, febris lenta: tandem conſumtio corporis, imus venter collapſus, partium extimarum perfrigeratio: mors. Aperto cadavere gibbus livebat, fundus ventriculi & pyloron ſideratum: totus ventriculus putris & laceratus eſt, minimo fere digitorum conatu. 51.

Dyſenteria quidam detinebatur, repente ſuppreſſa eſt, & paullo poſt inſanus redditus eſt. Et Galenus ſuppreſſione hæmorrhoidum & dyſenteriæ, nephritim, atrabilarios morbos conſequi auctor eſt. Nobilis pictor in fœdam ſcabiem ſuppreſſa dyſenteria incidit. Et Hippocrates *particul.* 80. *lib.* 4. *de diæta acutorum*, *dyſenteria quæ ceſſavit, aut abſceſſum, aut tuberculum efficiet, niſi vel in febres, vel in ſudores deſierit*: & in Coacis ſcribit, *Dyſenteria intempeſtive ſuppreſſa abſceſſum in coſtis, aut viſceribus, aut articulis facit.* Cauſa cur ſuppreſſa ſemel dyſenteria alvus ita reſtringatur, eſt quia ſiccatur inteſtinum humore furibundo ſuppreſſo: & tum pus in inteſtinis manet quod tandem interficit: quod in pleriſque obſervatum. 52. *Holler. c. de dyſenteria. Galen. lib. de ſang. miſſione adverſus Eraſtrataos. Hipp. Hippoc. in Coacis. Holler. c. de dyſent.*

Domino de Mancy calculoſi renes ſuppurarunt & colliquefacti ſunt, adeo ut pellicula externa remaneret. In aliis idem obſervatum. 53. *Holler. c. de ſtranguria.*

Cuidam ſubito reſolvitur veſica: quum repente dolor incidiſſet in os ſacrum & coccygis, urina ſupprimitur: tamen tuſſiens, aut manum pectini admovens reddebat. Rectum inteſtinum ἀναίσθητον (*h*) redditur, clyſmata non ſentit. Admotis contra paralyſin remediis convaluit. 54. *ibidem.*

Primarius Collegii Divæ Barbaræ longa urinæ ſuppreſſione divexatur: vi remediorum aliquando meiebat; ſolus ren dexter calculo erat occupatus. Cur non ſiniſter officium ſuum fecit? 55.

Nobilis quidam in pueritia ſectus fuit. Grandiori dolores ad veſicam, calculi ſigna aderant: cathetere tamen deprehendi non potuit. A male curata cicatrice abſceſſus & gangræna venit; interiit. 56. *Holl. c. de ſtrangur.*

Mercatori omnia calculi ſigna; catheter probare non potuit. Mortuo duo 57.

(*h*) Inſenſile.

duo magni calculi reperti ſunt, ſinguli ſua membrana incluſi. Membrana illa judicium catheteris eludebat.

58. Vidi puerum annos duodecim natum qui calculum in veſica haberet; intolerabili dolore cruciabatur: Interiit; uno ante obitum anno adeo putrem olidamque materiam meiebat cum dolore ſtranguriofo (ut ſic dicam) ut qua parte urina veſtimento hærebat in ea vermes naſcerentur. Notandum hic humorem pituitoſum, putrem, & purulentum humorem (ſine ulcere tamen) eadem ſymptomata invehere poſſe quæ & calculus ipſe.

59. *Holl. cap. de calculo veſicæ.* Advocatus meiebat vermes a pituita in veſica ſuccreſcente. Alius intolerabili cruciatu pituitæ, quæ in cryſtallum concreverat, partes aliquot excernebat. Quidam annos 20. urinam cum capillitio excernebat. Præſes pituitam lentam corruptam magna quantitate meiebat. Notat quoque Hollerius a renibus pus excerni: nec neceſſe eſſe ut ſanguis una excernatur. Item in pulmonibus & capite inventi lapides. Et ab abſceſſu renum tabes contingit, hinc mors.

60. *Holl. cap. de lapid. veſicæ.* Mulieri cum cruciatibus purulenta urina profluebat: quarto poſt menſe interiit. Duo calculi in corde cum multis abſceſſibus reperti. Renes erant integri & viæ urinariæ. Mirum qui tantus dolor cruciaret.

61. Mercatori dyſuriam patienti ſigna omnia calculi. Secto non reperitur lapis. Ad collum veſicæ caro concreverat: idoneis conſumta remediis, convaluit. Obſervatione dignum eſt quod mictus cruenti in pleriſque perſpiciuntur: non tamen magno terrori eſſe debent: nam annotat Celſus *lib.* 4. poſt vehemens exercitium ſanguinis mictum contingere, quod laſſitudinem a labore contractam levat. Hoc autem præſertim iis contingit quibus ſolemnis evacuatio aliqua ſuppreſſa eſt.

62. *Holl. cap. de mictu cruento* Advocatus Perrot minimas carunculas ſæpe meiendo excernebat. An non id a renibus?

63. Moniali cuidam mictus cruentus: at & ob exercitationem poteſt contingere, & ob ſuppreſſos menſes, (ut huic contigit) & κριτικῶς (*i*).

64. Advocatus Archambault ſæpe per os ſanguinem excernebat, per alvum & una cum urina.

65. *Holl. cap. de vermibus.* Puella album vermem latum, palmo majorem, ſatis craſſum, rejecit per nares, nulla tuſſi, nullo vomitu antecedente. Præceſſerat acerbiſſimus capitis dolor per duos dies. Obſervavit Valeſcus de Taranta dolores capitis a vermibus eſſe.

66. *ibid.* In quodam quum præceſſiſſet lumborum & regionis renum dolor, e renibus ipſis cum urina vermes rejecti ſunt.

67. Puer natus annos 12. ex intervallis longos vermes, albos, e ventriculo rejectabat. Erat commotio, morſus, ſitiebat, angebatur.

68. *ibid.* Excretum vermem, Tineam vocatum, novem pedes longum obſervavit Valeriola. Notat quoque Savonarola vermem pedes 15. longum excretum fuiſſe, *lib. de vermibus cap.* 1.

69. Senex quum ea ſymptomata, quæ & pueri conflictati vermibus, paſſus fuiſſet,

(*i*) Criticè.

fuiſſet, quingentos excrevit vermes propinato medicamento e ſcordio & corallina.

Mulier ruſtica palpitatione cordis & inflatione ventris, ac ſi utero gereret, laborabat: Vermes prodiere quam plurimi, convaluit. Sæpe inſolentia ſymptomata vermes afferunt. 70. *Holler.*

Nobili cuidam, quum in graviſſimo renum dolore pus, ſanguinem & craſſam pituitam meieret, quia tumebat hæmorrhois, & dolor non cedebat remediis, apertione hæmorrhoidon, incredibili celeritate dolor conquievit. 71. *Holl. cap. de hæmor.*

Mulier nil excludebat ſtercoris, dolor in ano ingens, implacabilis. Speculo immiſſo nil apparuit. Tandem ſumma vi & eo conatu & dolore qui in difficili partu eſt, rotundum globulum e cæco inteſtino dejecit: is globulus tunica erat involutus ſuberis ſubſtantia; hernia laborabat. 72. *Cap. de exit. ani.*

Dominus de Vau-jour annos natus viginti quum palpitatione annos aliquot laboraſſet, aſſumto caſſiæ bolo eodem die interiit: quod iis contingit qui ea palpitatione moleſtantur. Omnes arteriæ evidenter in ſingulis fere partibus palpitare videbantur. Aperto cadavere adeo omnes cordis valvulæ & magna arteria diſtenta viſa eſt, ut cor triplo, aut ſaltem duplo amplius videretur. 73.

Nicolaus Magnus & nomine, & re, præ ingenii excellentia magnus a decimonono ætatis anno palpitatione laboravit. Narrat ſe tum palpitationem incipientem ſenſiſſe quum annos undeviginti natus contentius in umbratili philoſophorum xyſto diſputaret: nam quum aliis aliud contingere ſoleat, non mirum ſi in ea contentione quidam in epilepſiam incidant, in palpitationem alii: atque ab eo tempore ex intervallis ea palpitatio repetere ſolet, eamque ex ſtomachi cruditate originem habere credit: nam flatibus erumpentibus levatur plurimum: & quum acceſſio adeſt neceſſario illi decumbendum abſtinendumque a cibo & potu: exactis horis aliquot ſudor manat toto corpore, allevatur, cibum capit. 74.

Puellæ tremor in ſiniſtra parte in facie & thorace, non autem in partibus inferioribus; ſi in ſiniſtrum incumberet, movebatur: quieſcebat autem in dextrum devoluta: mane & veſperi movebatur; caloris & frigoris erat viciſſitudo; ſuppreſſi menſes annis fere tribus: Facies ſaturato colore: tenaſmus, dolor ſtomachi, lien inflatus; huic vincula uteri erant reſoluta. 75. *Holl. cap. de exitu matricis.*

Dominæ de Rochepot, quum varicoſa eſſet, hyſterica affectione prehendebatur cum delirio, riſu, lacrymis, oculorum contractione. 76. *Holl. cap. de hiſtor. affect.*

Filiabus Præſidis Rothomagenſis in motu uteri ſurſum quo ex intervallis agitantur, riſus, præſertim dum paroxyſmus inſtaret: riſum nec monitu, nec minis compeſcebant. Reſpondebant ſe non poſſe illum continere. 77. *ibid.*

Mulier quum 9. menſes videretur uterum geſtare, quum omnia paruiſſent quæ in legitimo partu accidere contingunt, nil aliud præter quædam animalcula ranis ſimilia excrevit, cum multis purgamentis cruentis. 78. *Holl. cap. de mol.*

Alia cum perfecto fetu molam excrevit ac ſi aliqua eſſet ſuperfetatio. 79.

Cuidam, cultello aperta hernia aquoſa fuit: hinc in gangrænam, do- 80.

Holl. cap. de ent. lorem intolerabilem & delirium incidit; mors expectabatur. Excluditur multa aqua per urethram; concisa magna pars gangrænæ; convaluit.

81. Quidam diu pila palmaria luserat; lassus somnum iniit in peristerotrophæjo: repente elephanticus evasit.

Sylv. com. in l. Gal. de febr.

82. In colicis doloribus cavendum ne decipiamur: nam sæpe in fine febrium, contingit a centro materiam regeri in abdomen, ibique dolores excitari colicis similes quum in intestinis nulli, aut exigui flatus contineantur. Sæpe humor biliosus ferit & distendit, doloremque excitat qui colicum mentiatur; interdum continentur absceſſus a quibus dolores colicis non absimiles excitantur. Quod observavit Fernelius & nos post illum.

83. Advocatus Gilot dolore colico cruciari putabatur, sed frustra. Variis præsidiis tentata res est: nil profectum. Post longa & multorum annorum tormina, quibus non decumbebat, sexto quo decubuit die, interiit. Huic colon qua parte vicinum reni sinistro collecta veluti cartilagine dura in scirrhum obduruerat, interiore cavitate eo tumore intercepta: atque ita nil transcurrebat. Parte dextra colon ad instar magnæ vesicæ dilatatum medicamentis erat: superjecti vicinique musculi abdominis & peritonæon erat saniosa.

Holl. cap. de colico dolore.

84. Hieronymus Germanus colicum dolorem pati putabatur. Quarto die interiit extimis ante frigentibus, languente pulsu, sanguineis spectris ob oculos obversantibus. Huic interna in visceribus & intestinis inflammatio & putrilago erat.

85. Sacerdoti colici dolores acerbissimi: secuta deinde est paralysis quæ sedatis doloribus remansit: nam & vi doloris, & per modum absceſſus irritata materia παράλυσιν (*k*) potest afferre. Id frequenter contingere asseverant Pictaviensibus.

86. Mulierem sexagenariam vidimus quæ fluore tetro muliebri conflictabatur, diu perseveraverat: nescio quo remedio repressus est; hinc natus diabetes sævissimus, quo emaciata tabefactaque interiit. Narravit nobis se in renum regione sensum ingentis frigoris sæpe præcessisse.

In tumore abdominis & hydropis specie multa sæpe observantur memoratu digna: nam & pars detumet & evanescit sine manifesta excretione.

87. Negotiatori Parisiensi in Angliam profecto quum is intumeret valde, tumor miraculo quodam subsedit, evanuit morbus, nec rediit. An quod tumor partim vi caloris naturalis cum viscerum robore conjuncti discussus fuerit, an quod adjutus fuerit ab aëre marino cui se commiserat in negotiatione?

Holler.

88. Cuidam hydropico sudores toto corpore manarunt, & aqua totum corpus diffusum erat, hinc curatio.

89. Piscator 12. menses quartana laborarat: huic male curatæ & ob improbam victus rationem hydrops successit: deinde sursum translata materia convulsiones epilepticæ & terrificæ, tumor faciei admirabilis: delata deorsum

(*k*) Paralysin.

ſum tumorem pedum & ſcroti attulit: hydrocele, teſticulorum phlogoſis & metus gangrænæ: ſectus eſt. Convaluit; tametſi pronunciarit Hippocrates epilepſiam hydropi ſupervenientem deſperatam eſſe, *in Coacis.* *Hippoc. in coacis.*

Cuidam ad vivum ſecti ſunt ungues: Abdomen intumuerat, exercuit corpus, per extimas partes aqua defluxit, convaluit. 90.

Alteri abdomen tumidum habenti alvi fluor: detumuit aqualiculus; repetiit paullo poſt, mors. Et nos ſæpe hydropicos alvi fluore interiiſſe comperimus: quamquam Hippocrates ſcribit, *Si hydropico aqua in ventrem confluat, bonum.* 91. *Holler.*

Singultiendi non faciebat finem quidam, & nonniſi uſu vini hypocratici allevatus. Credibile eſt hunc ventriculi os ſuperius præfrigidum habuiſſe. 92.

Puella perpetuo ſingultiebat, nil deglutiebat, dolor in œſophago erat. Ante pulmonibus bubulis largiter uſa fuerat; hinc gravitas in ſtomacho, nauſea, vomitus; fruſtulum pulmonis quem ederat in œſophago reſtiterat. Cucurbitulis rejectum eſt fruſtulum, & aliis adhibitis remediis convaluit. 93.

Archidiaconi a ſyncope & palpitatione e vivis ſublati corpore diſſecto abſceſſus in ſubſtantia cordis inventus eſt: in alterius pericardio aqua inventa eſt, quæ id ſymptoma inferret. In Britone inflammatio cordis, in alio abſceſſus in vena arterioſa. 94. *Holl. cap. de palpitatione. Gal. cap. 2. l. 5. de loc. aff.*

Joa. Minard Supplicum libellorum in Regia Magiſter interiit a magno abſceſſu: in pericardii tunica contenta erat materia purulenta, & hoc Medicis admirationi fuit: unde dum viveret & belle munia ſua obiret; ex intervallis leipothymia prehendebatur: Aphonos per 12. horas, aut eo plus manebat. Hujus rei cauſa an alio referenda? legendus locus Galeni de Simia *in libris de locis affectis* huc maxime pertinens. 95. *Cap. 2. lib. 5. loc. aff.*

Palpitatio pleriſque incidit: pericardium flatu multo diſtentum deprehenſum eſt: & is flatus in aquam aliquando concreſcit. 96.

Præſes Rothomagenſis ab ineunte ætate ad annum 55. quo obiit palpitatione cordis tenebatur, ac præſertim a ſomno meridiano & ubi arctius tibias decuſſatim complicaret: ſenſus erat quidam tremulus ad carotidas: pulſus parvus vel nullus: ſolvebatur paroxyſmus edito crepitu, ructu, clyſtere, dolore in mediis claviculis excitato, deinde in fronte, vel tuſſi ſatis violenta ſponte nata; idem mulieri contigit: repererunt Medici in utroque cor eſſe calidius, frigidiorem ventriculum: ſic vapor excitabatur, quem calor diſcutere non poterat. 97. *Holl. cap. de Palpitatione.*

Mulier ex balneo, aut vitioſis lignis ſuccenſis animo deficiebat. Quidam ſi per horam lavaretur idem patiebatur; hic convenit Hippocratis Aph. *Qui frequenter & abſque cauſa manifeſta exſolvuntur, de repente intereunt.* 98. *Galen. in aph.*

Monachus aſthmate brevi interiit. Diſſecto repertus abſceſſus in vena arterioſa integris pulmonibus. 99.

Quidam angina correptus, quum ſuffocaretur, juſſit ſibi amputari gurgulionem; ſervatus eſt. 100.

Mihi narratum eſt a fide dignis puerum annos decem natum quum in regalibus egregie hyppocraticum vinum hauſiſſet, de nocte ab angina ſuffocatum. 101.

focatum. Preſſus dolore ſibi foris intro adegit gladiolum: effluente multo ſanguine ſanatus, & vixit.

102. Melancholia morbo detentus ſe mortuum putabat: Medicos precabatur ne animæ quominus evolaret impedimento forent: monebat ut omnes viderent exſpirantem. Hæmorrhoidon fluxu liberatur.
Holler.

103. Alius ſe mortuum ratus omnia eſculenta averſabatur, quod nefas crederet mortuum edere: Optimo conſilio effictum cadaver menſæ accumbens, cujus exemplo cibum ſumſit.

104. Sacerdos concidebat epilepticus, ſolum caput movebatur, nulla alia aliarum partium incitatio; rariſſimum hoc.

105. Scoto e ſura dextra vapor excitabatur, hinc totius corporis concuſſio: Solvebatur vomitionibus bilioſis.

106. Nicolaus de Marillac, & Catharina olim illuſtris Domini Memmei Supplicum libellorum Magiſtri eodem pæne morbo interiere. Ille quum de dolore aurium intima occupante quereretur, nec non de capitis parte altera, remediis aliquot aliquantulum dolor ceſſit: recruduit ſtatim, non ita tamen quin munia publica obiret: ἀπύρετος (*l*) fere erat. Exactis aliquot diebus recrudeſcit dolor, acceſſio febrilis cum periodico frigore eum prehendit: attonitus ſtatim recumbit: incipit convelli: convulſus cum horrendis ſymptomatis & ἄφωνος interit. Serva autem tres tantum dies laboravit: ſine febre: defectiones animi præ dolore: jactationes, inſomnia: remediis non ceſſit dolor: rigor ſeu tetanus prehendit, ἄφωνος (*m*): mors: in utroque credibile eſt quoddam apoſtema in cerebro conceptum eſſe. Si evaſiſſent, παράλυσιν, aut ἡμιπληξίαν (*n*) vitare non potuiſſent.

107. Quidam laborabat morbo Medicis incognito: Suſpicio nonnulla fuit poculi venefici: argumenta aderant. Præſcripto judicis res ad Medicos relata. Aperto cadavere exanthematis obſitus ventriculus reperitur: judicarunt toxicum præbitum, ſed male quidem. Chirurgus oculatus quæſivit num antequam e vivis exceſſiſſet aliquid in cute apparuiſſet: cognito quod aliquid tale contigiſſet ſententiam retractant: ac judicarunt a morbillis occultis, vi naturæ non erumpentibus, id tale eveniſſe: hinc corpus internum contaminatum. Notandum hoc ut falſa de potione venefica ſuſpicio potius blanda & placida ratione in ſimili exemplo fundata elevetur, quam acerba apud judices contentione frangatur ac oppugnetur.

108. Cuidam, quum aphthoſum os & gurgulio fuiſſet, cum anhelitus inſuavitate, excretio puris contigit. Aperto corpore totus internus thorax ſideratus apparuit: & nos in vico de la Bretonnerie vidimus dominam cui ſanioſum os eſt, & veluti purulentum, fœtens. Dubitant Medici an a pulmonibus, an a cerebro.

109. Obſervatum eſt palpitationem cordis mulieri melancholia hypochondriaca laboranti poſt moleſtias multas contigiſſe. Mors. In ſiniſtro cordis ſinu pars humoris melancholici reperta eſt ibi veluti concreta ac fermentata:

(*l*) Infebricitans.
(*m*) Aphonus.
(*n*) Paralyſin aut hemiplexiam.

tata: atque ita ſpiritus oppreſſi, congelatique ſunt, eorumque incitatio & motus repreſsus.

Eques Torquatus imbecillitatem ſtomachi & oculorum tenebricoſum quid objecit: homini occupato publicis muniis conſuluerunt ut quotidie pilulam ex aloe ante paſtum deglutiret: a dolore ſtomachi interiit. Ferunt repertam in alvo integram maſſam pilularum: nam & frequentiam medicamenti natura eluſit: & forte quum pilulam caperet genio indulſit, ut medicamentulum impotens fuerit. 110.

Duo excernebant ſanguinem, unus per nares, alter per os. Quum remediis non cederet malum, quæſitum num hirudinem hauſiſſent. Quum hujus rei opinionem feciſſet quod in fonte bibiſſent, tandem veritas apparuit. Videndum ne decipiamur in hæmorrhagiis, & a vitio corporis res repetatur. 111. *vide 39. Gal. cap. 5. l. 4. loco aff.*

Mulier hydrope uteri corripitur appetentibus menſtruis, aquarum illuvies per uteri cervicem profunditur: pelves ſex implebantur aqua citrina: mox ſtata periodo menſes reduces: rurſum par colluvies colligebatur, & profluebat. 112. *Fer. cap. de mor. uteri.*

Senex in iram mire propenſus poſt obitum ſine felle deprehenſus eſt: in ejus loco lapis concreverat: iis aliquando in cyſti calculus concreſcit quos gravis ac diuturnus icterus exercuit. Idem ſe obſervaviſſe annotavit Langius, & nos lapillos octo in cyſti vidimus in Domina de Chaulmont. 113. *Epiſt. 57. l. 2. Epiſt. vide 135.*

Neoburgi, virgo veſtalis, continuis ſub dextro hypochondrio torminibus vexabatur: Mors. Omnia illæſa inteſtina; ab hepate pendebat folliculus fellis ob pondus incluſi lapidis in ſubſtratum inteſtinum procumbens: ac illud inteſtinum inoffenſo fellis folliculo lapis ille attriverat. Hinc dolores, tormina. 114.

Trallianus narrat ſe vidiſſe quemdam qui quum tuſſi ſumma ad tabem uſque maciaretur, oborta graviore tuſſi lapidem durum excreat, qui pavimento illiſus reſiliebat. Paullus quoque in pulmonibus ſæpe concreſcere annotavit. 115. *c. 4. lib. 5. cap. 28. & 31. lib. 3.*

Canonicus continuo tuſſiebat, tonſillarum abſceſſu laborarat. Materiam dum diſcutere Medici conarentur, ſiccitate tandem obduruit in lapidem. Quum Medici tuſſim inde ortam mitigare conarentur, uſu ſuppurantium lapis eſt excretus. Nam caro vicina lapidem continens remollita eſt. 116.

Batrachion morbus mediaſtinam mulierem cum ſuffocationis periculo tenebat, vix loqui poterat: tandem concrevit materia in verum lapidem. 117.

Cuidam tenaſmus permoleſtus: tandem deprehenſum illius cauſam eſſe lapidem in inteſtino retentum. 118. *Lang. Ep. 57. l. 2. ex Paulo.*

Cuidam ſtomachi dolor acerbiſſimus: excretus eſt vomitu lapis: ceſſaverunt ſymptomata. 119. *Gentilis.*

Barnabæ Panthou conſarcinatori annos 69. nato ictus & contuſio ad nothas coſtas hepati propinquas: reſtitit ſemper dolor & tuſſiendo percipiebatur: exacti menſes ſex aut octo: tandem dolores ad alvum, inſomnia, inappetentia: de nocte ſyncope, vomitus ſanguinis: ſudores frigidi, pulſus languidus, ſanguis niger, grumoſus: ſyncopæ repetunt: putatur animam 120. *Is uno anno & dimidio poſt ea ſympt. quum excreviſſet multam*

materiam fœtide expiraſſet, de repente interiit. animam agere. Purgatus deinde eſt: convaluit, ita tamen ut pars ea dolore non careret. Quæſtio. Unde ſanguis? cur non interiit ſecundum dictum Hippocratis.

121. *Fer. c. de lum.* Vermes aliquando pruritu quodam emergunt, præſertim aſcarides, hinc in femora nateſque quoquoverſum irruunt.

122. Quidam annos 20. natus epilepticus erat, nil tale paſſus erat antequam natus eſſet annos decem: at nono ætatis anno inciderat in cranium qua decurrit ſutura ὀβελαῖα (o), effractum eſt cranium: effectum ut quod intro pulſum erat relevaretur: os illud quod effractum erat vitium attigerat, ideo incremento & nutritione prohibebatur: ſic reliquum cranium creſcebat, & qua parte læſum fuerat non nutriebatur: ſecundum illam partem tamen cerebrum creſcebat: ſic per oppreſſionem cerebri, quo præſertim tempore turgebat, vertigines & epilepſia.

123. *Fer. c. de inteſtin. morbis.* Legatus quodam torquebatur, nec non tumore a dextro hypochondrio per ima ventriculi in ſiniſtrum exporrecto: Sexennio toto ſtudetur tamquam remolliendo ſcirrho: tandem injecto acriore enemate durum quippiam ac medio ductu pertuſum pedis longitudine detractum eſt: portio inteſtini credebatur, ſed falſo.

124. Alteri gravior affectus alvum cohibuit; ventre ſupra modum intumeſcente, diſceſſit e vivis: Inventum eſt colon inteſtinum adeo infarctum pituita concreta, ut ſolidum plane putaretur: & ideo nil fæcis in alvum prolabebatur.

125. *Rondel. c. de Ep.* Multos quum iter facerent epilepſia prehendit, violento aëre ducto aut per nares, aut aures: Si earum partium meatus obſtruerentur, talis mali occaſio præcipiebatur.

126. Ingenioſi & quibus ingenii acuties eſt ob cerebri ſubſtantiam ſubtilem ac delicatam in epilepſiam propendent: unde Carolus V. Imperator Mahumetius & Cæſar iis affectibus obnoxii fuerunt. Et quibus ingenii vis acutior delicatiorque, ii ſi quid contentius agant, præſertim in coitione hominum, & frequentia, ut ſi quid ediſſerere velint, paroxyſmo epileptico capiuntur, unde quidam putarunt non eo epilepſiam comitialem morbum dici, non quod dimitterentur comitia ſi quis in iis epilepſia prehenderetur: ſed quum alias tum maxime paroxyſmum epilepticum hominem adoriri quum in hominum corona cum contentione aliqua animi agere inſtituunt. Unde & aliis memoria quoque excidit id quod a longo tempore ei erat demandatum.

127. Nobilis quidam quartana laborabat: eum tædebat remediorum ſolennium: vulgarium opem popoſcit: præſtigiis ac amuletis febris viſa eſt quieſcere: ſuppreſſa eſt materia; ab ea ſucceſſit crudelis dyſenteria; interiit. Hinc noſci oportet ſatius eſſe cum cauſa ægrotare, quam ſine cauſa allevari.

128. Virgo rigente hieme niveis globulis cum æqualibus ſuis ludebat: ſecuta partium extimarum refrigeratio, febris acuta: ſummus in intimis æſtus; interiit. Inventus pæne recoctus uterus, & hepar vermiculatum; hæc

(o) Sagittalis.

hæc quum macilenta esset non dubium si in tam gravem affectum hieme ita sæviente inciderit.

Nobilis solebat epilepsia prehendit: remediis nil profectum est: furiosus factus est; desiit postea esse epilepticus. Ergo verum quod in Aphorismis scripsit Hippocrates: *A furore* ἔκστασις (p) *superveniens bonum*; hujus bonæ solutionis maxime meminit Hippocrates *lib.2. epid. sect.5.* 129.

Cuidam tam vehemens cordis palpitatio contigit, ut vicinas costas fregerit: & eas quæ supra sinistram mammam sunt de sede propria depulerit; sæpe arteriam dilataverit: Item in aneurysma pugni magnitudine dilatatur arteria, & visu & tactu percipitur pulsatio. D. Magnus ait se cum Fernelio observasse effractas, vi palpitationis, costas, sed ait illas costas longe ante abscessu tentatas fuisse: alioqui incredibilis esset historia. Alteri tanta palpitatio contigit ut vehementer desiliret manus pectori applicita. 130.

Quidam quum in comitatu Præsulis caligas non exuisset; tandem quum exuere voluit partium pilos evellit citra præeuntem morbum ullum: quod eo accessisse credibile est, quoniam diuturnitate suppressionis fuliginosi excrementi putredo concepta fuerit, hinc pilorum defluvium. 131. *Rondeletius. idem 166.*

Mulier quartana laborabat; immunis ab ea fuit quindecim dies, aut plus eo. Consilio Medicorum jus foliculorum sennæ sumsit: statim repetit febris, deinde cessat: Iterato sumsit medicamentum, rursum febris. Hoc arguit febre cum quartana mitius agendum. 132.

Dicam quod nos observasse contigit anno Domini 1582. Magna fuit febrium quartanarum seges & verarum, quod per se & primo contingerent: omnibus initio adhibita remedia: non tamen quiescunt. Hoc affirmo verum, quibuscumque sæpius exhibita sunt medicamenta & pugnatum remediis valentibus, iis omnibus producta fuit febris: qui vero præsidia neglexerunt principio exacto, ii intra breve tempus incolumes exstiterunt. Quod ab omnibus diligenter observandum est, & hoc primus Galenus cum aliquot veteribus annotavit: ut male de ægris quartana laborantibus mereantur qui id student, ut medicamentorum frequenti usu humorem adeo contumacem oppugnent & expellant.

Comitis de Mauleurier uxor quum uterum gereret casu est læsa ad regionem lumborum; ferunt non attigisse partus tempus legitimum. Peperit. Omnia satis ex voto: Pleuritis: Secatur vena sæpius, lochia supprimuntur. Ἀπόπληκτος (q). Mors. Aperto cadavere ligamenta uteri rupta reperiuntur. Mirum hoc. Et forte ruptura hæc purgationis non legitime factæ causa fuit. An non oborta pleuritide in muliere nuper enixa audacius mittendus sanguis? Uxor Domini Bonian mercatoris non alia ratione interiisse videtur, quam quia sæpius sanguis missus fluentibus lochiis. Hæc enim statim suppressa sunt. 133.

Mulierem vidi quæ liberos habuerit & nata annos 30. semel, aut bis tantum 134. *vide 146.*

(p) Ecstasis. (q) Apoplectica.

tantum menſtrua paſſa fuerat. An menſtrualem eſſe neceſſe eſt mulierem ut concipiat utero?

135. Mirum quod obſervatum in ſene iracundo; in cyſti fel non inventum ſed in ejus loco lapis: quod & Langius accidere iis ait, qui diuturno ictero laborarunt. Dominus Magnus ait, in vulgari quartanarum febrium ſetura obſervaſſe ſe pleroſque toto autumno & hieme quartanarios decubuiſſe, ac tandem interiiſſe: in quorum mortuorum cyſti lapis loco felliis concreverat. His quartanis jecur auctor fuit.

vide 113.

136. Nobilis Domina du Bez, quum quartana laboraret modo duplice, modo ſimplice, modo typum tertianæ retinente, quum item & vinum biberet, & ingens intus incendium perciperet, tamen perpetuo illi aqueæ urinæ fluxerunt: quod mirum: ſive ante acceſſionem, tempore acceſſionis, & poſt acceſſionem. Et exiguum fuit admodum caloris argumentum in urinis.

137. Virgo fœdos colores patiebatur: diu id mali perſeverabat: nullis ceſſit remediis; juncta viro ægreſcit; forte curru citato vehementerque ſuccutiente devehebatur, dolores cordis, nauſeæ, agitationes, morituram credebant: omnis generis humores abunde evomuntur: alvus humeſcit. Momento pæne primum faciei nitorem recuperavit.

138. Nobili cuidam urinæ diu ſupprimuntur: comatoſus fit, convellitur: uſu variorum remediorum urina fluit: Moritur tamen. Quia ſuppreſſio excrementorum reſolutionem cerebri affert: & qualitatem partibus imprimit explicatione vix perceptibilem.

139. Joannes le Fuzelier, in Senatu Procuratorium munus exercens, tabida matre natus, eo modo, eoque morbo, & tempore eodem interit quo ejus mater: in pulmonibus nil commemorabile reperitur quod mortem attulerit. Mirum quod ante mortem ei contigit, decem antequam e vivis excederet diebus, tumidum corpus fuit: tumor fugax erat, repetebat ex intervallis. Unde hoc? leucæ videbantur eſſe. Tale quid in morbis funeſtis contingere ſolere agnovit Hippocrates, leucæ autem oboriuntur (ſupple in morituris) in morbis funeſtiſſimis, cujuſmodi eſt phthiſis.

Hippocr. 2. Prorrh.

140. Mulier numquam articularem morbum paſſa, ſanis parentibus orta, ſub dio in multam noctem ſermonem producit: Ab influxu lunæ crudore quodam cerebrum percellitur: dolores capitis ingentes, hinc omnis generis arthritis eam adoritur.

141. Puellæ febris continua: elatum abdomen in tumorem. Mirum quomodo tam ſubito hic tumor natus: præ dolore interiit. Acu abdomen mortuæ apertum: magno edito ſono venter totus ſubſedit.

vide 33.

142. Mulier macilenta erat & melancholia hypochondriaca laborare videbatur. Quum aqua potui dabatur, nullum dolorem ſentiebat: quum vinum aqua dilutum hauriebat, dolore vehementi eoque ad ſiniſtrum hypochondrium tenebatur. Quid hoc rei? An quod vinum ſubibat lienem & ſubigebat ſuccum melancholicum in eo contentum, ut & acetum facit Hippocratis ſententia?

Hippoc. 3. aut ctor.

143. Mulieri acerbiſſimi dolores capitis & aurium: ſine intermiſſione admittebat

mittebat fumum cephalicorum per infundibulum: allevabatur; deteriores fiunt dolores. Mors. Aperto capite aquæ copia magna reperitur. Causam Medici retulerunt ad vapores ita frequenter susceptos: nec abs re. Cautos esse oportet in excitandis in aurem vaporibus.

Polemarchus a Medico suo venefico poculo inficitur: inexpugnabilis erat dormiendi appetitus. Sexto post die mors; de ventriculo querebatur. In eo quibusdam maculis ventriculus erat aspersus. Medici quibus aperiundi cadaveris cura erat, satis hoc argumenti afferre putabant. Oculatior alius jussit ventriculum ab aliis partibus desecari: prætendit apertum omnium oculis: perforatus minimis foraminibus miraculo quodam apparuit. Et hæc pertusio mortis causa fuerat. 144.

Vidi aurigam ad ripam Sequanæ pulmonicum, qui adeo vivens spiransque de se halitum emitteret, ut totum fere cœnaculum inficeretur, & vix quisquam erat ferendo. 145.

Mulieri numquam menses fluxerunt: vixit tamen incolumis. Vidi natam annos 30. quæ semel tantum menstruum passa sit, nec tamen fecunda esse desierit, & Hippocrates *lib.* 5. *Epid.* notat de quadam cui quum annos quatuor suppressi menses essent, concepit & peperit vitalem. 146. *Fer. c. 16. l. 6. path. vide* 134.

In Perinæo quidam percutitur: urina supprimitur, oborta inflammatione; vesicam tamen plenam esse circumscriptio designabat. Affunditur aqua tepens: tensio remittitur: Urinam facit. *Gal. c. 1. l. 1. de loc. affectis.*

Quidam colico dolore divexatus ab omnibus calidis & acribus offendebatur, item & calorificis irritabatur: alimentis benignis juvabatur; dolorem acrem percipere se æger narrabat. Dato medicamento ex aloe convaluit. Sic decipi non oportet in colicis doloribus. 147. *Gal. c. 4. l. 1. de loc. affect.*

Alius quum dolorem excitari putaret ab acribus humoribus sumsit medicamentum acre: ab hoc medicamento læsum intestinum: quovis etiam benigno cibo offendebatur. Conjecit Galenum intestinum venisse ad διάθεσιν ῥευματικὴν, & ideo facile jecoris recrementa recipere, & corrumpere: adstringentibus cibis allevatus. 148. *ibid.*

Quidam in collo læsus hieme: recurrentes nervos læsio non attigerat: tamen dum curatur perfrigerantur illi nervi: vox perit. Usu calidorum recuperatur. 149. *Cap. 6. l. 1. de locis affect.*

Chirurgus strumas puero curaturus dum vas secat, membranam digito evellens, imprudens nervum recurrentem distrahit: curat chœradas: mutum puerum reddit. 150.

Homo macilentus lapidem in rene querebatur: oxyporis calidisque medicamentis lapidi deturbando Medici studebant. Aliquo post tempore digitos manus ut cavum sonantes, nil pæne sentire & vix moveri posse ægre ferebat: Paralysin esse medici putabant: sed a sola siccitate ob diætam exactam nata id mali contigerat. Macilentos lapidosos curare quum consilium est, cautionem adhibere oportet. 151. *Cap. 1. l. 6. de sanitate tuen.*

Dolorem capitis intulit scorpius in cerebro natus post basilicæ herbæ frequentem odoratum: item & a vermibus in cerebro natis idem contingere posse asserit ex Indorum Medicorum sententia Avicennas. 152. *Holl. 1. c. de dolore capitis.*

Cuidam trium digitorum sensus ademtus fuerat: integer autem motus erat. 153.

Gal. cap. 6. l. de loc. affect. erat. Medici fruſtra manui remedia applicabant, quum in ea parte nec perfrigeratio fuiſſet, nec inflammatio, nec ictus. Forte quum veheretur curru, in ſpinam incidit qua parte decurrit nervus ſenſum digitis impertiens. Itaque ſæpe læſionis argumentum in ea parte paret quæ læſa non eſt.

In eodem capite multæ exſtant hiſtoriæ eorum quibus hujus, aut illius digiti, aut manus ſenſus ademtus erat illæſo motu.

154. *ibid.* Puero quum in fluvio piſces venaretur præ aquæ frigore invita fæcum contigit excretio reſoluto muſculo ani. Aliis invita, aut urinæ, aut fæcum ſimiliter affuit excretio, aut ſuppreſſio propter ictum, aut læſionem nervorum dorſi lumborumque. Galenus eo loci, ictum & refrigerationem rerum earum cauſas ſtatuit: at in hoc diſtinguuntur, quod ictus maxima ex parte ad plures uno muſculos attinet: ſed frigus unum fere muſculum attingit.

155. *Holl. lib. de materia Chir.* Quidam maligna vi luis venereæ conflictatus, quum remedia deeſſent, fimo ſtabulario, urinis jumentorum & equorum commixto putrique corpus recondidit: tota materia venenata exhalavit. Curatus eſt.

156. *Cap. 5. l. 2. de loc. affect.* Galeno ipſi obortus eſt tantus dolor ut ſibi perforari partem terebra putaret: ac præſertim qua parte ureteres a renibus ad veſicam protenduntur: in calculi opinionem eo loco fixi ventum eſt. At excretio declaravit vitream pituitam hoc doloris tædium attuliſſe, quæ omnium frigidiſſima eſt.

Idem illuſtri viro Domino de Fon-le-bon contigiſſe novimus, fruſtraque ei tamquam calculoſo manum auxiliarem adhibebamus: nam poſt infinita prope remedia per penem frigidiſſima pituita dolorem inferente excreta convaluit: quamquam & forte colica nephriticaque ſimul aderat.

157. Nuper miſella mulier neſcio quæ abſurda ob annonæ caritatem ſumere coacta, conqueritur de graviſſimo ſtomachi dolore, ac ſi colicam ſtomachicam dixiſſes: de fovenda parte ita diſtenta cogitabamus: tandem rheo exhibito revomuit pituitoſa multa cum tribus lumbricis ſemipedem longis ac vivis.

158. *Savonar. l. de vermib. c. 4. idem Meſu. c. 2. de cura ægritud. int.* Obſervavit Fernelius vermes ita ſenſim cuniculos egiſſe, ut viam ſibi in crura fecerint. In inedia qui vermibus conflictari ſoliti erant, iis vermes ventrem & umbilicum perforarunt, ut notat Avicennas, & poſt eum Savonarola *lib. de vermibus*, atque idem ſe obſervaſſe Joannes Meſuæus aſſeverat.

159. *Fer. de ſymptom. uteri.* Non tantum ætate provectiores fluor muliebris divexat, ſed & juniores & ſeptennes puellas: eas præſertim quas fœdus color deturpat: quod in puella annorum octo accidiſſe narrat Fernelius. Et nos multo minorem fœdo fluore divexatam vidimus: Mater id eo accidiſſe ſuſpicabatur quod puellula iſta ſervæ ῥῶν γυναικεῖον (r) patienti concubuiſſet, & probabile iſtud.

160. Narrat Fernelius fluorem muliebrem a gonorrhœa virulenta diſtingui, quod

(r) Fluorem muliebrem.

quod hæc fluat menſibus etiamnum erumpentibus: fluor autem muliebris ceſſet fluentibus menſibus: nos contra in miſella muliere utrumque ſimul fluere obſervavimus. Et ſanioſa excretio per fluorem muliebrem adeo fœda erat, ut nullus eſſet ferendo.

Mirum quod contigit Polemarcho Polono. Illi annos multos aures erant purulentæ, & magno profectu excernebatur nonnihil ſanioſum. Accepto grandi in fronte vulnere, rapto veluti alio curſu in anteriora, e naribus ſtillat purulentum ac fœtens: hinc narium fœtor. Quod mirum magis & Medicis inauditum incognitumque fuit, umbilicus ei intumuit, & ſtillabat ſanies fere aſſimilis ei quæ per nares excernebatur. Quæſitum qua id via & ratione fieret, quum vaſa umbilici in vinculum coaluerint. 161.

Novimus mulieres, aut hemicrania, aut capitis dolore affligi graviter ſolitas, dum aut lactant, aut peperere: quum primum autem conceperunt utero aliæ nil tale ſentiunt: aliæ poſt duos menſes tantum laborare deſinunt. Quid hoc rei? Hippocrates primus hoc a ſe obſervatum litteris mandavit. *Mulieri*, ait, *in Phæris caput circumdolebat: remediis non juvabatur, ne dum caput quidem purgaretur. Quum concepiſſet, dolores capitis relinquebant.* 162. *Hipp. l. 5. Epid.*

Annoſa mulier menſtrua alba patiebatur, malum diu perſeveraverat. Quum tam diuturni mali eam tæderet, conſulto Medico neſcio quid ſumſit quod fluxum ſiſteret: nec hoc impune tulit: nam non ita poſt diabetes ſæviſſimus eam oppreſſit, a quo duobus menſibus poſt emaciata tabefactaque interiit. Mirum quo abierit olida putriſque materia quæ fluorem committebat: nam ea per diabetem non fluebat. Erat enim aqua limpida. 163.

Militi ab oſſe ethmoide ſolebat purulenta materia effluere, non ſecus ac e naribus fluere ſolet. Illa fœda eluvies ſuppreſſa eſt facile quod reſimis eſſet naribus: duo inde vermes villoſi inſtar digiti geniti ſunt qui illum in furorem adegere: ac febre non multum manifeſta die vigeſimo de medio ſuſtulere. 164. *Fer. c. 7. lib. 5.*

Quidam bilioſus & macilentus, depoſito fenore contendit ſe intra breve tempus præfinitum ſexdecim placentulas corniculatas (Galli vocant *des eſchaudés*) comeſturum: effectum eſt uti voluit: venter inde intumuit; doluit plurimum. Miraculo quodam poſt tumorem iſtum ventris, maculis, aut exanthematis corpus exaratur qualia in fœda ſcabie apparent: graviſſime ægrotavit, fere inde contabuit. 165.

Quidam in diuturno comitatu quum multis diebus caligas non exuiſſet, tandem quum eas depoſuit, cum illis illarum partium pilos avulſit: ita fuliginoſæ materiæ retentio diuturna radices illorum exederat. 166. *idem 131. Rondeletius in c. de notis Alopeciæ a morbo Gallic.*

Quemdam equus in præcordiorum regione calcitraverat: in ſepto transverſo ſemper manſit imbecillitas: dum reſpirationem inchoabat omnes thoracis muſculos movere cogebatur etiam ſanus effectus. Et athleta, Secundus nomine, quum ſepto tranſverſo imbecillitatem nonnullam perciperet, omnes una reſpiratione thoracis muſculos movebat; his locis patet ſæpe occultam difficultatis ſpirandi cauſam, ex aliqua etiam abdita diaphragmatis 167. *Gal. cap. 4. l. 4. de loc. aff.*

phragmatis imbecillitate nasci: præsertim vitium æstimare oportet dum quietem agimus: nam tum sola diaphragmatis motio respirationi sufficit; quod si tunc omnes thoracis partes moventur, aliquid contra naturam subesse suspicandum est.

168. *ibid.* Cuidam in nate oborto suppurato juxta cruris initium, nervi illius cruris per chirurgiam nudati sunt: parte tamen sanata, toti membro difficultas motus contigit. Conjecit Galenus a priore inflammatione aliquid scirrhosum in parte relictum esse: huic rei providit. Convaluit.

169. *ibid.* Piscator quum solo frigido diu piscans desedisset, in involuntariam fæcum & urinæ excretionem incidit; fomentorum calidorum usu sanatus est.

170. *ibid.* Quidam sub multa fecit iter pluvia ac validis ventis; pallium madefactum cervici imposuerat: pars pericranii sensu carebat. Medici capiti remedia assidue applicabant: nil proficiebatur. Cervici consultum est: sanatur: nam ex primis spinæ spondylis nervi paria duo ascendunt ad caput, a quibus pellis caput ambiens sensum mutuatur: sic necessario cervici nervorum origini prospiciendum erat. Quibus ex locis patet consultos nos esse oportet in remediis usurpandis, ne parti temere illa adhibeantur, quum tantum compatiendi lege laborat.

171. *Gal. cap. 2. lib. 5. de loc. aff.* Galenus observavit tantam sæpe humoris copiam in ambiente cor tunica, ut ipsum cor non moveatur, quod & in hominibus & in simia a se dissecta vidit, quum illa in dies emaciaretur. In gallo gallinaceo scirrhosum observavit, ac si multiplex membranarum implicatio esset.

172. *ibidem.* Gladiatores inflammato manifeste corde vidit pereuntes, non aliter quam si syncope cardiaca prehenderentur.

173. *ibidem.* Quidam quum palpitatione prehenderetur, præsertim verno tempore, solennem phlebotomiam celebrabat: & multis in simili affectu profuit sectio venæ, ait Galenus. Et ille & hi fere omnes morte ante senectutem præveniuntur, & cum syncope omnes fere pereunt: tamen sine syncope unum, aut alterum periisse, ait Galenus, sed alia mortis specie, id est, apoplectico quodam modo, ut ait Paullus Ægineta.

174. Faber lignarius a vomitione molesta liberari non potuit. Aperto cadavere semilacer erat ventriculus & putredine corruptus. Idem fere in Domino de Hodeville est inventum: nam languit fere per 45. dies, nec manifestus erat morbus: animo sæpe deficiebat, ut facultatis vitalis virtus videretur exstingui; alimentis resurgebat: Mors. Aperto cadavere totum hepar pæne putre: Pulmones corrupti. Quibus in ægris eadem symptomata conspiciuntur, caute medicamenta exhibere oportet: nam sæpe calamitose statim a sumto medicamento intereunt. At præmatura morte corripiuntur.

175. Puer annos natus duodecim, sine nephritico dolore, cum difficultate tamen urinæ, per penem excernit lapillos pici & aloæ simillimos: Mirum fuit multis. Numquam cruentum excrevit. Quæritur cujus naturæ ea sit concretio. A sanguine esse aiunt. Ergo credibile foret aliquando mictum cruentum fuisse: tamen quum Galenus explicat quæ sint illæ carunculæ quæ in urinis apparent, ait veram carnem non excerni, *Comm. in Aph. 76. lib. 4.*

sed

ſed ſanguinem in hepate, aut in renibus exuſtum: qui locus, pro eo de quo nunc dicimus, audiendus videtur.

Quidam annos 30. natus nephriticos dolores paſſus erat ſæpe: purulentum minxerat: cetera alacris interiit. Repertus lapis in ore vaſorum urinariorum: Quod mirum; uterque ren tabuerat: nil erat ſucci, nil carnis: ſed in molem maximam creverat ac ſi inflatam veſicam dixiſſes: & tota cavitas renum ita extenſorum inanis erat. Sed quod mirum magis & nuſquam viſum, carunculæ longe repertæ ſunt tum in arteria venoſa, tum in vena arterioſa, nec non cava vena dextrum cordis ventriculum attingente. Et tamen numquam ulla difficultate ſpirandi laborarat. 176. *Idem narrat Fernel. c. 12. lib. 6. patholog.*

Heros quidam Lutetiæ a febre acutiſſima decumbit: Deliria perpetua: Moriturum delirum prædicebant Medici. Ecce nil tale Medicis agitantibus ſtrophiolum devorat: hinc graviſſimæ & frequentiſſimæ convulſiones: Medici tale quid morbo tribuebant, ſed male. Forte illud per os magno cum conatu expulit: ceſſant convulſiones: Audio convalere. 177.

In hiſtoriis præcedentibus hujus libri obſervatum quomodo hydrops modo per inſenſilem tranſpiratum miraculo evanuerit: modo per ſudores. Nos autem vidimus mulierem quæ menſes aliquot hydrope detenta fuit: Abdomen elatum erat plurimum: protuberavit umbilicus: ruptus tandem eſt vi aquæ concluſæ: excreta magna aquæ pars. Item circum lumbos per dies aliquot alia pars aquæ per modum copioſi ſudoris excreta eſt. Evaſit tandem ab illo morbo. Immo narrat ſe plurimum adjutam in tumore aquoſo tibiarum poculo ex cancris fluvialibus contuſis in vino albo, in quo prius infuſi ſunt. Tumor ille pedum miraculo diſceſſit. 178.

Paullo ante annotatum quemdam puerum excreviſſe e veſica, aut e renibus lapillos pici aloæque ſimillimos. Eſt & mirandum quod nuper obſervatum; ex intervallis grumus ſanguinis e nare duriſſimus, friabilis tamen magno cum conatu exibat: qua parte decurrebat latebatque vena, nigrities ſumma apparebat. Quærebatur quid rei eſſet. Tandem dictum malum hoc veluti naſi hæmorrhoidem nuncupari poſſe, qua fœculento ſanguine cerebrum repurgaretur: nec malum hoc ſupprimendum cenſebant, quod furoris, aut ſymptomatis deterioris metus eſſet quidam. 179.

Cuidam militi nares reſimas habenti ex fœdiore quadam eluvie diutius cohibita, vermes duo villoſi inſtar digiti illic geniti inventique ſunt: qui tandem in furorem illum adegerunt, febreque non admodum manifeſta de medio ſuſtulerunt die circiter vigeſimo. 180. *Fer. c. 7. lib. 5. de morbis.*

In oppidulo divi Gratiani quidam colico cruciatu tentari ſolitus poſt intempeſtivos labores conſueta ſymptomata experitur: Ruſtici neglecta alvi ſubductione ad calefactoria confugiunt: impenſe calefaciunt: Alvus plane reſiſtit. Medicamenta aſſumta, etiam horas novem in præcordiis morata, rejiciebantur ſine ullo profectu: Clyſteres irriti: Balnea uſurpantur: nihil proſunt. Quarto poſt die tympanitis ſpeciem refert abdomen: Mors. Iliacum hoc. 181.

182. Galenus notat quibusdam ex diuturno lactis usu, lapides in renibus concrevisse: aliis dentes eodem usu excidisse. Quidam agricola centum annos vixerat in usu frequenti lac habens, alias solum, alias cum cacuminibus thymi. Alius spe longioris vitæ idem factitare voluit: incredibile quod symptomata inde contigerint. Hinc patet unum & idem non easdem habere in multis vires.

Cap. 7. l. 1. de sanit. tuenda.

183. Cuidam totum brachium a metastasi humoris in eam partem nigricabat: malum disparebat: tunc insaniebat: rursus redibat. Consultum tandem est ut denigrato brachio scarificatio profunda adhiberetur. Convaluit, liberque fuit & ab ista nigritie, & ab insania.

184. Multis qui insaniverant post melancholicas affectiones caput apertum fuit: Venæ capitis inventæ sunt turgentes, dilatatæ, ac varicosæ factæ. Idem capiti contigerat quod venis varicosis: immo affectus erat, quem Hippocrates vocat ὑπερέμετον (*s*) venarum, supervomitionem & eructationem voco.

Lib. 2. de morb.

185. Mulier ægerrime præ dolore varices ferebat: dilatatio summa erat. Audacter e varicibus ipsis detractus est sanguinis larga copia: audacia ista rationem superavit: optime habuit.

186. Mulier novem menses gestare uterum putabatur: nonnulla ex iis aderant quæ impregnatis mulieribus adesse solent: Instante partus tempore præ dolore ob abdominis tumorem satis concedit. Veriti parentes ne una exstingueretur fetus, ut ademta matre superesset, recens emortuæ cadaver pæne spirans secatur. Totum corpus internum, epiploum, mesaræum, hepar, lien, pulmones, cor quoque ipsum & peritonæum erant obsita vesiculis aqua purissima plenis & limpidissima, nihilque graveolens habebat; & quod magis mirandum, unicuique vesiculæ triplex erat tunica, & incolumis, integraque a corpore sive esset superficies, sive interior substantia decidi detrahique poterat. Hippocrates hydatidas observavit in corpore ipsius hepatis, sed numquam quid tale in toto corpore deprehensum est.

187. Nobilis vir febre tertiana correptus fuit, quartus paroxysmus adeo vehemens fuit, ut translato sursum humore ἐκπύησμος (*t*) unius oculi, & exitus foras contigerit: Et hic oculus deperditus tabuit.

188. Filiæ D. Desbrosses obortus tumor sub lingua, batrachion vulgo dictus, hinc nonnulla deglutiendi & loquendi difficultas; ovi columbini magnitudinem adæquabat, & venulis consperſus erat nigricantibus; metuebant Chirurgi ne ad carcinomatis naturam accederet. Sectionem tentare recusant; audacior unus adacto scalpello pituitæ albugineæ uncias duas vel tres educit: brevi convaluit.

189. Dominus du Plessis quum molestiam aliquot accessionum febris tertianæ satis vehementis pertulisset, novum & insolens remedium experiri voluit; quum enim ex aquatione & fluvio equi revertissent, jussit eos aqua puteali perfundi; quum hoc spectaret, istaque affusio aquæ perplaceret, idem voluit sibi fieri, & ut id servi facerent coegit: educunt; frigida e puteo,

(*s*) Supervomitum. (*t*) Suppuratio.

teo, nudo corpori, medio paroxyſmo aqua affunditur: nec id diu impune tulit: nam paullo poſt ἄφωνος (*u*) fit; convulſiones eum adoriuntur: ſpuma in os cucurrit: epileptice convellitur: Mors. Mirum fuit unde tam repentinæ mortis occaſio: licet enim difflari prohibeatur materia tertianam committens, non ita tamen ſæva edit ſymptomata. Credibile eſt iſtud ſerum, eumque febrilem habitum qui e materia putrente effertur (licet febris ipſa ſit ἠυήθης (*x*)) malignum quid habere. Declarant dolores vehementes capitis, aut totius corporis &c. ſymptomata quæ tam cito aſſidere ſolent febribus etiam manſuetis, ut mirum non ſit, ſi inſolentem experientiam, & imprudentem tam fatalis caſus exceperit.

Alter febre tertiana laborabat: Medicus qui illi medebatur ut erat αἱμόφοβος (*y*) detractionem ſanguinis neglexit. Quarto paroxyſmo ruptis velut venis, & ſanguinis repagulis, & facto impetu quodam in partibus internis, tanta foras ſanguinis eruptio eſt conſecuta, ut eo ipſo die illi obeundum fuerit. 190.

Uxor D. Bondenier varices magnas habebat in cruribus & tibiis: temperamento eſt melancholico; adhibito ſuper ea re conſilio apertæ ſunt venæ, detracta eſt ſanguinis copia inſignis. Ab eo tempore nullum commemorabile ſecutum eſt incommodum. 191.

Virgo quædam dum humi cecidiſſet, & verita eſſet ne naturalia detexiſſet, præ pudore deſiit eſſe menſtrua: patiebatur autem tunc menſtrua: verebatur vero ne quid iſtius impuræ excretionis apparuiſſet. An tam facilis ſuppreſſionis menſium cauſa, revocato ſpiritu alio, qui ſanguinem ad partes conducebat. 192.

Filius Clariſſimi illius Budæi qui ſui ſæculi lumen exſtitit, horrendum ſymptoma paſſus eſt: eo ſudante lintea cruentis maculis perſperſa inventa fuerunt: & eo morbo interiit. Notat Ariſtoteles quoſdam ſudore cruento exſudaviſſe: & Theophraſtus ex Monade Medico citat ſudorem aliquando emanare cui ſimilitudo inſit cum ſanguine. 193.

Filio D. du Bois poſt eruptionem variolarum oborti dolores atrociſſimi in brachiis & tibiis qui nullis ceſſerunt remediis: adhibito conſilio ſuper ea re emplaſtrum de ranis applicatur partibus dolentibus; brevi convaluit: Id quod negligi non debet, ne tam facilis & ad manum parati remedii contemtus calamitatem ægris adferre videatur. Nam ſi dum urgent dolores iſti, ſi dum pars tumet, ad ſuppurantia feſtines, corruptionis metus major erit: ſi in ſolis anodynis conſiſtas, opera fortaſſis ludetur. Et in tempeſtate quadam puſtularum & eruptionum ferinarum ferace oborti ſunt tumores & dolores in variolis & morbillis qui pueros miſere necabant: itaque ceteris nil proficientibus, in hanc itum ſententiam, ut emplaſtrum de Vigo cum hydrargyro applicaretur, aut litus lenis alis fieret ex Mercurio. Mirum in modum id remedii genus profecit. 194.

(*u*) Aphonus.
(*x*) Benigna.
(*y*) Hæmophobus.

195. In domo D. de Pacy quum hortus esset in quo genista luxuriaret, & parietes fere floribus ornarentur ac vestirentur; cepit quosdam desiderium floribus utendi & esitandi; colligunt & sartagine frigunt: esitant jucundissime: tribus post esum horis, tumultus in ventriculo contigit, dolor capitis cum vertigine fugaci, nausea, vomitus, & alvi laxatio, ac si quoddam choleræ morbi rudimentum foret: stupor, metus, admiratio: quæ gravida erat verebatur de aborsu: paullo post pacata omnia. Vocatus, mirabar quid esset cur flores isti, qui in usu aceto conditi hieme asservari solent, tantam perturbationem attulissent. De his sic Dioscorides. *Purgant per superiora vehementer ellebori vice citra periculum flores genistæ & semina.* Quod observatione dignum est ne aut ciborum ignorantia, aut voluptate ducti in commoda valetudinis peccemus.

196. Quidam in sura vulnus accepit, fluxit sanguis multus, non tamen immodice, ut ne ad fluxum sanguinis referas, id quod contigit. Ab eo tempore congredi non potuit, nec semen emisit; saltem non arrexit sufficienter: Id mirum fuit etiam peritis rei anatomicæ. Non videtur enim ratio cur vulnus ea parte inflictum eam impotentiam adferat. An id Hippocrates forte adumbravit, dum scripsit sectionem in malleolo infecundos reddere? Sic aliquis partium consensus est, sed is fortassis non intellectus.

197. Socrus D. Passart frequenter colico dolore tenebatur eoque valde crudeli: Ad hepar illud referebant: ea videbatur mœsta perpetuo: tandem incidit in febrem continuam: dolor totam partem dextram pæne occupabat: ab jecore omnino id esse autumabant: nulla re juvari potuit: nono icterus καταχορής (z). Mors: aperto cadavere cystis fellis lapillis plena reperta est: hepar albicans.

198. Sectio inter annularem & minimum digitum ab antiquis credita est febrem quartanam solvere. Quædam 7. jam menses quartanaria fuerat: Masilii Medici consilio secta est vena, detractusque copiose sanguis: febris jugulata est, sed annum fere unum manus tota veluti livefacta mansit. Alter febre quartana diu laborabat: in tibiis ulcera maligna & telephia oboriuntur: Febris perseverat: arte remediisque communibus non curantur: Suspicio luis venereæ est, quod medicabilia non redderentur: tamen rebus diligenter expensis, & rogatis, nil venereum inventum est: non desierunt tamen Medici suadere usum hydrargyri: plantis pedum & femoribus applicantur ceronea de hydrargyro, & consimilibus: provocatur πτυαλισμός (a): curantur ulcera, curatur & febris. An idem in contumacia febris quartanæ agere licet? Tamen narrat Fernelius observasse se quemdam continenter afflictum, & lue venerea tum sordidis ulceribus, necnon quartana vera. Adhibiti litus & diæta solennis ad luem veneream, lue venerea est liberatus: quartana perseveravit.

199. Mercator quidem ferina destillatione in pulmones a capite jam vetere infirmitate prædito laborabat; nec solum caput accusabamus, sed & partium inferiorum intemperiem quamdam, cui pariter consulendum putabamus.

(z) Saturulus. (a) Ptyalismus.

mus. Postquam primarios Medicos consuluit, iis visum est ex usu esse lenientia, mitigantia, catarrhum compescentia; tandem nostro consilio incrassantium syruporum usus visus est necessarius. Lutetiam venit tussiculosus, curis implicitus, debebat enim sistere se coram Senatu examinis ergo: & quum hinc illinc animus curis agitaretur, bene cœnatus, meminit istius superioris consilii: e pharmacopolio syrupum de papavere quærit: eo copioso usus est, tum ad catarrhi levationem, tum ad somni conciliationem: sed suæ imprudentiæ pœnas non longe post pependit: obmutuit enim & ἄφωνος (*b*) mansit per duas horas integras: etiam valde agitatus vocem non recuperavit. Hinc apparuit febris ingens (nec enim ante ἀπυρετὸς (*c*) erat.) Sequentibus diebus veluti balbutiens & parum attonitus redditus est: multorum oblivisceba tur; καταφορικὸς (*d*) interiit. An usus istius syrupi tantopere obfuit? An materia suppressa fuit quæ καταφορὰν (*e*) invexit? An bonum in catarrhis venenatis & subtilioribus dare narcotica? An non dum symptomati occurrimus, causam, morbi fomitem adaugemus? Etenim in talibus fluxionibus fit quædam διάχυσις (*f*), & retinens de natura syntectica, & talis humoris suppressio quum aliquid venenati habeat, perniciosa est. Commode per halitum & sudorem exhalaret & digeretur, sed si hydroticis utimur, metus est ne corpus calescat, & humores commoveantur.

Nobilis mulier quum conceptum fallere vellet, & fetum elidere, τὸ 200.
φθόριον (*g*) sumsit ad provocandum sanguinem; & sui temerarii consilii pœnas pependit: fluxus enim sanguinis est consequutus, erosis potius quam apertis venis. Multo sanguine per sinum pudoris profuso, adeo refrixit omne genus nervosum, ut in summam imbecillitatem adductum sit: hinc cruciatus articulares, immanes, modo quodam admirabili atque divina vindicta orti: membrorum contractio, squallor, macies, mors. Quæ immodica hæmorrhagia convulsionem ab inanitione adfert, eadem articulares dolores excitare potest.

(*b*) Aphonus.
(*c*) Infebricitans.
(*d*) In somnum inclinans.
(*e*) Cataphoran.
(*f*) Diffusio.
(*g*) Abortivum.

INDEX

HISTORIARUM ET CONSILIORUM, quæ in Libro ſecundo & tertio clariſſimi G. BALLONII leguntur.

LIBER SECUNDUS.

ISTORIA I. *De homine Veneri indulgente, vertigine oppreſſo, qui in aphoniam incidit, cum intolerabili capitis dolore, & aliis ſymptomatis.* pag. 22. *& in eam Commentarius.* pag. 23. & ſeq.

Hiſtoria II. *De illuſtri Domina, corpore pituitoſo, capite porriginoſo, dyſenteriis obnoxia, fluore muliebri laborante, & in eam Commentarius.* 73

Hiſtoria III. *De nobili viro, cui inflictum vulnus tranſverſim paullo ſupra articulum manus, cum perpetua ſiti, & aliis ſymptomatis, qui delirus & convulſus moritur, & in eam Commentarius.* 111

Hiſtoria IV. *De nobili virgine Delphinate, continua febre correpta, cum delirio, & aliis ſymptomatis.* 115. *& in eam Commentarius.* ibid.

Hiſtoria V. *De uxore Conſulis Regii morbo febreque populariter graſſante correpta, cum alvo liquida, puncticulis culicum morſus referentibus, & aliis ſymptomatis, & in eam Commentarius.* pag. 137

Hiſtoria VI. *De puſione quadrimeſtri, torminibus vexato, aphono, convulſo, & aliis ſymptomatis, & in eam Commentarius.* 155

Hiſtoria VII. *De nobili muliere fetum gerente, tenaſmo tentata, & fluxu velut dyſenterico: poſtea febre continua, & aliis ſymptomatis, & in eam Commentarius.* 156

Hiſtoria VIII. *De hortulano febre continua laborante, cum delirio per totum fere morbum, tremore, balbutie, exacerbationibus nocturnis, & in eam Commentarius.* 161

Conſil. I. *De Melancholia.* 167

Conſil. II. *De lue Venerea.* 168

Conſil. III. *Pro Theſaurario arthritico.* 174

Conſil. IV. *De Epilepſia.* 178

Conſil. V. *De Melancholia Hypochondriaca.* 181

Conſil. VI. *De pulmonis vomica.* 184

Conſil. VII. *De tumore hypogaſtrii.* 185

Conſil. VIII. *De febre lenta, & hydrope.* 187

Conſil. IX. *De Phymoſi.* 190

Conſil. X. *De Catarrho.* 191

Conſil. XI. *Ad fœtorem oris.* 194

Conſil. XII. *De febre continua, cum gra-*

gravibus ſymptomatis. pag. 195
Conſil. XIII. *De ptyaliſmo.* 197
Conſil. XIV. *De febre quartana cum graviſſimis ſymptomatis.* 198
Conſil. XV. *De amblyopia.* 199
Conſil. XVI. *De ἀποσιτία.* 201
Conſil. XVII. *In quo continetur explicatio* Aph. 34. lib. 6. Aph. *Iis qui calvi ſunt varices magni non fiunt; quibus vero calvitio laborantibus varices ſuperveniunt, rurſus capillati fiunt.* 202
Conſil. XVIII. *De oculi albugine.* 206
Conſil. XIX. *Ad tineam inveteratam.* 207
Conſil. XX. *De Pleuritide.* 208
Conſil. XXI. *Ad fœtorem narium.* 209
Conſil. XXII. *De vulnere thoracis.* 210
Conſil. XXIII. *Pro Dyſentericis.* 213
Conſil. XXIV. *De Volvulo.* 217
Conſil. XXV. *Ad ptyaliſmum.* 218
Conſil. XXVI. *Pro impotentia ad venerem.* 219
Conſil. XXVII. *Pro imbecillitate viſus, aut potius caligine.* 220
Conſil. XXVIII. *Pro herpete cum ſerpigine.* ibid.
Conſil. XXIX. *Pro ſemitertiana laborante.* 221
Conſil. XXX. *De febre continua.* 224
Conſil. XXXI. *De Cauſo.* 229
Conſil. XXXII. *Ad dolores ab utero.* 232
Conſil. XXXIII. *De Hypochondriaca affectione, catarrho dorſali, & variis affectibus.* 233
Conſil. XXXIV. *De febre continua, cum dolore ad ſplenem.* 235
Conſil. XXXV. *De abortu & fluore uterino.* 236
Conſil. XXXVI. *De raucedine.* 238
Conſil. XXXVII. *De Cauſo.* 239
Conſil. XXXVIII. *De Hepatis maraſmo.* pag. 241
Conſil. XXXIX. *De purulentis urinis.* 242
Conſil. XL. *De febre periodica, & tumore ventris.* 245
Conſil. XLI. *Ad Melancholica pathemata.* 246
Conſil. XLII. *Ad facilem uteri geſtationem.* 250
Conſil. XLIII. *De Polypo.* 252
Conſil. XLIV. *De febre continua, cum gravibus ſymptomatis.* 253
Conſil. XLV. *Pro filio Conſulis tumorem in utraque mamma habente.* 254
Conſil. XLVI. *De tumore inguinis.* 257
Conſil. XLVII. *Pro Anglo arthritico.* 259
Conſil. XLVIII. *De cerebri imbecillitate.* 261
Conſil. XLIX. *De ſymptomatis hyſtericis, hypochondriacis, & catarrhoicis.* 262
Conſil. L. *De Elephantiaſi.* 266
Conſil. LI. *De inteſtini ulcere & hæmorrhoidibus.* 273
Conſil. LII. *De ſanguinis ſputo.* 274

LIBER TERTIUS.

Conſil. I. *De Capitis dolore & vertigine.* pag. 281
Conſil. II. *Pro ſeptenni puero moleſta raucedine laborante.* 291
Conſil. III. *De febre nocturna; in quo quæritur cur Empyici nocturnas potius quam diurnas habeant exacerbationes.* 297
Conſil. IV. *De ſanguinis miſſione in melancholicis, & data occaſione explicatur illud Hippocratis:* Cur ſanguis faciat ad ſapientiam. 309

Conſil.

Consil. V. *De causo.* pag. 332
Consil. VI. *De Impotentia coeundi*, 343
Consil. VII. *De fædis coloribus.* 345
Consil. VIII. *De Scelotyrbe.* 347
Consil. IX. *De Elephante pedum.* 348
Consil. X. *De puella trienni nauseam patiente a nativitate.* 349
Consil. XI. *De falsa specie Ischiadis.* 350
Consil. XII. *Ad serpiginem in facie psoræ prænuntiam.* 351
Consil. XIII. *De Oculorum morbis, maxime de macula ex morbillis reliqua.* 352
Consil. XIV. *De Tumore epigastrii.* 353
Consil. XV. *De dolore cruris post ictum ex globo missili ex catapulta.* 354
Consil. XVI. *De varicosa hernia & hæmorrhoidibus.* ibid.
Consil. XVII. *De suppressione urinæ.* 355
Consil. XVIII. *De Catarrho & sputo sanguinis.* ibid.
Consil. XIX. *De Aure suppurata & manante sanie.* 356
Consil. XX. *De congressus impotentia.* 357
Consil. XXI. *Pro quodam juvene ad venerem inutili.* 359
Consil. XXII. *De vetere Arthritide.* 360
Consil. XXIII. *De paraphimosi.* 361
Consil. XXIV. *Pro D. Villebois Seneschalio aliquid vertiginosum sentiente partim ab hypochondriis partim a capite.* 362
Consil. XXV. *Pro muliere stranguriam septennem patiente.* 364
Consil. XXVI. *De tumore cancroso pro D. de S. Jean.* 366
Consil. XXVII. *De hernia pro filia D. Margeret.* 368
Consil. XXVIII. *De sterilitate an ex parte viri, an mulieris.* pag. 369
Consil. XXIX. *De febre καυσώδει pro D. Gobelin Abbatissa.* 371
Consil. XXX. *De sterilitate.* 373
Consil. XXXI. *Ad surditatis initia pro D. Bazanier.* 375
Consil. XXXII. *De Lethargo, syncope & cardialgia.* 376
Consil. XXXIII. *De puella quam ob terrifica symptomata vel possessam vel obsessam esse putabant, quasi de censu τῶν ἐνεγυμένων & numero diceretur.* 377
Consil. XXXIV. *De Scrophulis pro D. L. M.* 378
Consil. XXXV. *De fluore muliebri & muliere cachectica.* 380
Consil. XXXVI. *De Sputo cruento pro Thesaurario. Ad D. D. Andream Laurentium Henrici IV. Gall. & Navarræ Regis Archiatrum.* 383
Consil. XXXVII. *De ulcere renis.* 384
Consil. XXXVIII. *De Abscessu renis & uteri prolapsu.* 385
Consil. XXXIX. *De hepatis intemperie.* 386
Consil. XL. *De Affectibus hystericis & hypochondriacis.* 387
Consil. XLI. *De dolore brachii.* 390
Consil. XLII. *De hepatis & partium alvinarum phlogosi.* ibid.
Consil. XLIII. *De Epilepticis convulsionibus & rudimentis Apoplexiæ; ad Remp. Venetam de Legati morbo missum.* 391
Consil. XLIV. *De latente pulmonis & hepatis intemperie, & aliis affectibus.* 393
Consil. XLV. *De Ischiade.* 395
Consil. XLVI. *De raucitate & affectu rheumatico.* 396
Consil. XLVII. *De affectu oris qui κομακάκη dicitur pro Oeconomo D. Britannici.* 397
Consil. XLVIII. *De Tussi permolesta pro*

pro D. Florette Consule. pag. 398
Consil. XLIX. *Pro juvene melancholico cujus mentem mœror perculit, & de suo statu dimovit.* 399
Consil. L. *De incontinentia urinæ & stillicidio involuntario post lithotomiam pro filio D. Machau.* 400
Consil. LI. *De Cachexia cum faciei pallore & symptomatis hypochondriacis.* 402
Consil. LII. *Ad mulierem recens nuptam Epilepticis convulsionibus afflictam, & affectu qui σπασμότραυμος vocatur.* 403
Consil. LIII. *De urinæ incontinentia.* 405
Consil. LIV. *De profluvio veneris non venereo.* 406
Consil. LV. *De febre assidua cum gravibus symptomatis.* 409
Consil. LVI. *De febre lenta, & tumoribus glandularum gutturis strumam minitantibus.* 410
Consil. LVII. *De contumacibus ruboribus post exanthemata.* 412
Consil. LVIII. *De serpigine, specie tineæ & pityriasi.* ibid.
Consil. LIX. *Pro filia D. Habert cui tumores in collo & ulcera in gingivis, soboles diatheseos strumosæ.* 413
Consil. LX. *Ad ardorem urinæ, & reliquias antiquæ Gonorrhoeæ.* 414
Consil. LXI. *De Satyriasi.* 416
Consil. LXII. *De Vertigine & symptomatis melancholicis & hystericis.* 417
Consil. LXIII. *De morsu canis rabidi.* 418
Consil. LXIV. *De affectione hypochondriaca pro Angenostii uxore.* 419
Consil. LXV. *De cholera morbo.* 421
Consil. LXVI. *De febribus diariis hecticæ prodromis, & rene purulento.* 422
Consil. LXVII. *De rheumatismo.* 423
Consil. LXVIII. *Pro D. Monbeliart dysuriam & stranguriam patiente.* pag. 425
Consil. LXIX. *Pro D. des Brosses tussiculoso, phthisico.* 427
Consil. LXX. *De Arthritide, lumborum doloribus, & aliis affectibus.* 430
Consil. LXXI. *De febre assidua cum symptomatis paraphoricis, catarrhoicis & cataphoricis.* 431
Consil. LXXII. *Pro muliere sterili fluxu muliebri laborante.* 434
Consil. LXXIII. *De rubore narium.* 435
Consil. LXXIV. *De quodam vomitum patiente cum ventris tormine.* ibid.
Consil. LXXV. *Pro fluxu dysenterico & mesenterico.* 436
Consil. LXXVI. *De tumore hepatis seu fermentatione.* 437
Consil. LXXVII. *De Auditu imminuto qui βαρηκοΐα & δυσηκοΐα dicitur.* 438
Consil. LXXVIII. *De Melancholia hypochondriaca pro muliere hysterica.* 439
Consil. LXXIX. *De doloribus hystericis & hypochondriacis.* 445
Consil. LXXX. *Pro Notario paralyticon aliquid patiente aut potius laxationem quamdam articulorum ipsarum omoplatarum.* 448
Consil. LXXXI. *Pro Domina de Roissy ischiadicos dolores patiente.* 456
Consil. LXXXII. *De Stranguria, Dysuria & Ischuria.* 457
Consil. LXXXIII. *Ad flores muliebres pro D. Præposita.* 459
Consil. LXXXIV. *Pro Jacobo Memmæo raucitatem conquerente.* 460
Consil. LXXXV. *Pro D. du Breuil cephalalgiam patiente.* 461
Consil. LXXXVI. *Pro muliere Carnotensi febre lenta laborante.* 462

Consil. LXXXVII. *De tinnitu aurium.* pag. 463
Consil. LXXXVIII. *De Cachexia pro uxore Gaii.* 464
Consil. LXXXIX. *De tussicula & spirandi difficultate cum suffocationis metu.* 468
Consil. XC. *Pro muliere Issodunensi splenica cum metu hydropis.* 470
Consil. XCI. *Pro uxore Consulis de Goussencourt quæ a duobus annis ter aut quater passa est effluvium sanguinis sursum deorsum.* 471
Consil. XCII. *De affectione quæ dicitur* Ἵππος. 472
Consil. XCIII. *De dolore capitis & oculorum.* 474
Consil. XCIV. *Ad Gonorrhœæ reliquias.* 475
Consil. XCV. *De fluxu sanguinis, & fluore muliebri cum suspicione cancrosæ in utero affectionis.* 476
Consil. XCVI. *De voce pæne deperdita.* 477
Consil. XCVII. *De tussi molesta & sputo cruento.* 479
Consil. XCVIII. *De alvi fluore, hæmorrhoidibus, & aliis affectibus pro uxore Anglorum Legati.* 482
Consil. XCIX. *De hepatis & pulmonum calida intemperie cum totius corporis extenuatione pro D. Judith Memmæa.* 487
Consil. C. *De Aphthis in ore & calida viscerum intemperie.* 489
Consil. CI. *De vertigine.* 490
Consil. CII. *Ad impediendum abortum pro filia D. Monglat.* 491
Consil. CIII. *Ad fluorem muliebrem.* 492
Consil. CIV. *Ad molestos herpetas & serpiginem cum furfure & squammis.* 492
Consil. CV. *Ad tumorem genæ lupiam minitantem.* 494
Consil. CVI. *De intemperie omnium viscerum calida ad elephantiasim accedente.* 495
Consil. CVII. *De hydrope.* 496
Consil. CVIII. *De fluoribus albis & aliis affectibus.* 497
Consil. CIX. *De doloribus capitis & ad hepar & ventrem.* 498
Consil. CX. *Ad luem veneream incipientem.* 499
Consil. CXI. *De vermibus.* 500
Consil. CXII. *De Arthritide.* 502
Consil. CXIII. *De calculosa affectione.* 503
Consil. CXIV. *De cachexia, ictero & aliis affectibus.* 504
Consil. CXV. *De pulmonis calida intemperie.* 505
Consil. CXVI. *In hydropis metu, & pulmonis hepatisque latente vitio.* 506
Consil. CXVII. *De calculo renum.* ibid.
Consil. CXVIII. *Pro muliere ad convulsiones epilepticas prona.* 509
Consil. CXIX. *De inordinatis mensibus & uteri quodam rheumatismo & aliis affectibus.* 511
Consil. CXX. *Pro Consule jam rudimenta Apoplexiæ experto.* 512
Consil. CXXI. *De ulcere inguinis & tumore.* 513
Consil. CXXII. *De urinæ incontinentia.* 514
Consil. CXXIII. *De dolore thoracis & cervicis.* 515

FINIS TOMI TERTII.